

GIOVANNI BOCCACCIO

GENEALOGIE
DEORUM GENTILIIUM LIBRI

A CURA DI
VINCENZO ROMANO

VOLUME PRIMO



BARI
GIUS. LATERZA & FIGLI

TIPOGRAFI-EDITORI-LIBRAI

1951

SCRITTORI D'ITALIA

N. 200

GIOVANNI BOCCACCIO

OPERE

X

SCRITTORI D'ITALIA

N. 200

GIOVANNI BOCCACCIO

OPERE

7

GIOVANNI BOCCACCIO

GENEALOGIE
DEORUM GENTILIIUM LIBRI

A CURA DI
VINCENZO ROMANO

VOLUME PRIMO



BARI
GIUS. LATERZA & FIGLI

TIPOGRAFI-EDITORI-LIBRAI

1951

GIOVANNI BOCCACCIO

GENERALOGIE

DEORUM GENTILIIUM LIBRI

PROPRIETÀ LETTERARIA



LUGLIO MCML - 6415

GENEALOGIE DEORUM GENTILIIUM AD UGONEM INCLITUM IERU- 9 a
SALEM ET CYPRI REGEM SECUNDUM IOHANNEM BOCCACCIUM
DE CERTALDO LIBER PRIMUS INCIPIT FELICITER.

Prohemium.

5 Si satis ex relatis Domnini Parmensis egregii militis tui
vera percepi, Rex inclite, summopere cupis genealogiam deo-
rum gentilium et heroum ex eis iuxta fictiones veterum de-
scendentium, atque cum hac, quid sub fabularum tegmine
illustres quondam senserint viri, et me a celsitudine tua quasi
10 expertissimum atque eruditissimum hominem in talibus sele-
ctum tanto operi autorem. Sane ut omiserim desiderii tui
admirationem (non enim parvum hominem decet, quid regem
moveat, perscrutari) et adversus electionem mei quid sentiam
dicere pretermittam, ne dum insufficientiam meam monstravero
15 per subterfugia arbitreris impositi laboris onus evitem, ante-
quam ad sententiam meam circa impositum opus deveniam,
libet serenissime regum apponere, etsi non omnia quedam
saltem que inter Domninum insignem militem tuum, dum
iussa tue celsitudinis explicaret, et me intervenire verba ut
20 eis perlectis satis de me iudicium tuum videas et temeritatem
meam, dum in obedientiam tue maiestatis devenio. Cum igitur
ille facundo ore sacra tue sublimitatis studia et opera regalis
officii admiranda nec non et insignes atque gloriosos quosdam
tui nominis titulos longa dicacitate explicuisset, eo devenit
25 ut conatu plurimo me in tuam sententiam ducere niteretur,
nec unica tantum ratione sed multis ex quibus, fateor, valide

videbantur quedam. Verum postquam tacuit et michi respondendi copia facta est, sic dixi: Arbitraris forsā, facunde miles, seu rex tuus de proximo noster futurus, prestante deo, hanc insaniam veterum scilicet cupientium se haberi divino procreatos sanguine angulum terre modicum occupasse et tanquam ridiculum quoddam, ut erat, parvo perseverasse temporis tractu et veluti etiam recentissimum opus facile colligi posse? Atamen bona semper tua pace dicam: longe aliter est! Nam ut omittam Cycladas et reliquas Egei maris insulas, Achayam et Ylliricum atque Traciam, quas penes fomenta huius stultitie emicuere plurimum et potissime dum Grecorum respublica floruit, Eleuxini maris, Hellespontiaci, Meonii, Ycarei, Pamphylīi, Cilicii, Phenicis et Syri atque Egyptiaci litora sua contagione infecit. Nec Cyprus nostri regis insigne decus ab hac 5
9 b labe fuit immunis. Sic et omnem Lybie atque Syrtium et | Numidie oram labefactavit et Athlantiacos occiduique oceani 10
sinus et remotissimos Hesperidum ortos. Nec Mediterranei tantum maris fuit contenta litoribus. Quin imo et ad incognitas mari nationes etiam penetravit. Decidere enim in perniciem hanc cum litoralibus accole omnes Nyli fonte carentis, et harene 15
Lybice una cum suis pestibus, et antiquissimarum Thebarum solitudines, nec non et superiores Egyptii, atque Garamantes fervidi et calentes nimium irsutique Ethyopes, et odori Arabes Perseque dites atque Gangarides populi et nigredine insignes 20
Yndi, Babilones, et celsa Caucasi cacumina, eiusque tam in fervidum solem quam in gelidas arthos scabrosa decliva, Caspium mare Hyrcanique truces, et omnis Tanais, ac nivosus semper Rhodopes et Scitharum etiam inculta barbaries. Et cum orientalis oceani fluctus et Rubri maris infecisset insulas, postremo ad nos usque Ytalos declinavit, adeo ut Roma rerum domina 25
huius caliginis offuscata nube sit. Et ne passim per regiones omnes, in quibus plurimum hec inscitia potuit, evager, ut satis potes advertere, portiuncula sola fuit orbis inter triones et cadentem solem, que deitatis huiusmodi non fuit nobilitata progenie, esto nephande credulitatis sicuti et reliqua fuerit 30
infecta. Nec ista evo fuere nostro. Erat forsā adhuc adole-

scens Abraham dum apud Sycionios cepit ista proserpere et
 insipientium hominum subintrare animos; heroum tamen tem-
 pestate ferbuit et in maximum devenit decus et nomen, et in
 dies usque superbi Ylionis ruine perseveravit. Nam in Troiano
 5 bello quosdam deorum filios cecidisse et Hecubam in canem
 et Polidorum in virgulta conversos legisse meminimus. Quod
 quidem et vetustissimum est et plurium seculorum tempus. Nec
 dubitandum insuper, quin, quocunque hec viguerit stultitia,
 ibidem ingentia sint descripta volumina, ut maiorum divina
 10 nobilitas monumento licterarum veniret ad posteros. Et esto
 nunquam existimaverim talium parvum fuisse numerum, quod
 permaximus fuerit, Paulus Perusinus, vir gravis et talium
 solertissimus atque curiosissimus exquisitor non nunquam as-
 seruit, me presente, se a Barlaam, quodam Calabro homine
 15 Grecharum licterarum apprime erudito, habuisse, neminem in-
 signem virum principatu aut preminetia alia tota in Grecia
 insulis et litoribus premonstratis eo fuisse seculo, quo hec
 fatuitas vigit, qui ab aliquo deorum huius modi duxisse ori-
 ginem non monstraret. Quid igitur dicam, quid tu, spectantes
 20 tam longe lateque diffusum malum tam vetus, tot perseveratum
 seculis, tot ex|plicatum voluminibus et in tam grandi virorum
 numero ampliaturum? Credisne me regis optata posse perficere? 9 c
 Equidem si prestant montes faciles transitus, et solitudines
 invie apertum notumque iter, si flumina vada et maria tran-
 25 quillas undas, ac transfretanti emittat ab antro Eolus ventos
 tam validos quam secundos, et, quod maius est, sint Argi-
 phontis talaria aurea volucris cuicumque homini alligata pe-
 dibus, et pro votis, quocumque libuerit, evolet, vix tam longos
 terrarum marisque tractus, etiam si illi prestetur permaxima
 30 seculorum annositas, nedum aliud agat, solum poterit pera-
 grassse. Concedam amplius; dentur cui velis hec omnia posse
 contingere in momento loca et, divina insuper favente gratia,
 characterum ac ydiomatium variarum nationum notitia, et co-
 ram accedenti integra preparentur volumina, quis, ut me pre-
 35 termiserim, mortalium erit, cui sint vires tam solide, tam
 perspicax ingenium tamque tenax memoria, ut omnia videre

queat apposita, et intelligere visa et intellecta servare, et de-
 mum calamo etiam exarare et in opus collecta deducere? Addebas preterea, ut explicarem, quid sub ridiculo cortice
 fabularum abscondissent prudentes viri, quasi rex inclitus ar-
 bitretur stolidum credere, homines fere omni dogmate eruditos 5
 simpliciter circa describendas fabulas nulli veritati consonas
 nec preter litteralem sensum habentes trivisse tempus et im-
 pendisse sudores! Non inficiar, delectavit me regalis ista di-
 scretio et argumentum certissimum prebuit, quoniam, ut tu
 ante dicebas, sit illi divinum ingenium, meque in votum im- 10
 pulit suum, dummodo vires sufficerent. Sane circa huiusmodi
 explicationes longe plus quam putes difficultatis et theologi
 hominis labor est, nam, dato, iuxta Varronis sententiam, ubi
 de divinis et humanis rebus multa descripsit, genus hoc theo-
 logie sit, quod mithicon seu, ut aliis placet et forte melius, 15
 physicon dicitur, et si plurimum ridende falsitatis habeat, mul-
 tum tamen ad illam eliciendam artis exquirat. Et ob id, miles
 elegantissime, pensande sunt hominum vires et examinanda
 ingenia, et sic illis convenientia onera imponenda. Potuit
 Athlas sustinere capite celum, eique fesso sub onere Alcides 20
 potuit prestare vicem, divini homines ambo, et invictum fere
 robur fuit ambobus! Ast ego quid? Brevis sum homuntio,
 nulle michi vires, ingenium tardum, et fluxa memoria; et tu
 meis humeris, non dicam celum, quod illi tulere, quin imo
 et terram super addere cupis et maria, ac etiam celicolas 25
 ipsos, et cum eis sustentatores egregios! Nil aliud | hoc est,
 nisi velle, ut pondere premar et peream. Verum si tantum
 regi hoc erat animo, erat onus aptum, si inter mortales ullus
 est tanto labori sufficiens, viribus preclarissimi viri Francisci
 Petrarce, cuius ego iam diu auditor sum. Homo quippe est 30
 celesti ingenio peditus et peremni memoria, ac etiam fa-
 cundia admirabili, cui familiarissime quarumcunque gentium
 hystorie sunt, sensus fabularum notissimi, et breviter, quic-
 quid phylosophie sacro iacet in gremio, manifestum est.
 Tacueram iam, cum sic ille vultu placido et comto sermone 35
 secutus est: Credo, longe melius quam noverim, ea vera esse,

que narras, et difficultates video, sed queso, mi Iohannes, an
putes regem nostrum circumspectione carere? Oculatus quippe
dominus est, et mitis ingenii, et regia facilitate laudabilis! Et
absit, ut quenquam, nedum te, premere velit, quin imo vetus
5 est illi mos leviare quoscunque, et idcirco sane intelligenda
atque assumenda iussa ipsius. Edepol facile credi potest inac-
cessibiles esse eas, quas predixeras, nationes et eorum codices,
si qui sunt, omnino Latinis incognitos; verum, si qua ex Grecis,
que ad Latinos usque devenerint, seu apud Latinos ipsos,
10 quorum licteris non parum honoris et glorie maiorum attulere
studia, comperiuntur, etsi non omnia, que saltem tua cura
haberi possint, ista desiderat. Eia ergo, liberali animo, bene
de deo sperans, laborem subi, et, quod potes, facito, cum
ad impossibile requiratur nemo! Non enim michi virum illum
15 sublimem et, nedum apud Cyprios, sed fama super ethera
notum Franciscum Petrarcam dedit fortuna obvium, credo sic
volente deo, ut et illi maximis occupato parcerem, et iuven-
tuti tue honestum laborem inferrem, ex quo nomen tuum nuper
in auras exire incipiens inclita gloria elucescat clarius apud
20 nostros. Tunc ego inquam: Iam satis video, strenue miles,
quam, pretermisissis barbarorum remotissimis libris, existimes
ex Grecis Latinisque opus hoc integrum perfici posse. O bone
deus! Nonne ipse, Domnine, vides, quia hac ipsa concessione
maximam partem operi demas? Sed faciamus uti iam dudum
25 nostri fecere principes, romanum imperium dividentes in orien-
tale et occiduum; sint monstro huic corpora duo, barbaricum
unum et grecum atque latinum reliquum, ad grecum latinum-
que, quos ipsemet nominas, libri. Nec istud etiam poterit,
ut quod postulas consequatur; antiquam enim hanc pestem
30 monstravimus. Tu nunc tecum volve, quot labentibus seculis
hostes habuere volumina. Confiteberis equidem, quoniam in-
cendia et aquarum diluvia, ut de particularibus taceam, bi-
bliothecas assumpserint | plurimas; et si non alia deperisset
quam Alexandrina, quam iam dudum Phyladelphus summa
35 cum diligentia fecerat, esset librorum diminutio maxima, cum
in ea testimonio antiquorum poteras reperire, quod velles!

Preterea invalescente gloriosissimo Christi nomine, eiusque doctrina sincere veritatis perlucida letiferi erroris et potissime gentilitii tenebras amovente, ac etiam iam diu Grecorum declinante fulgore, clamantibus in infaustam religionem Christi nuntiis ac eam in exterminium pellentibus, nulli dubitandum est quin secum multos deleverint libros huius materiei refer-
tissimos, dum non multos esse deos, nec deorum filios, sed unicum Deum patrem et filium Dei unicum tam vera quam pia predicatione monstrarent. Insuper avaritiam, cui non parve sunt vires, concedes habuisse hostem; facultas enim poetica scientibus nil afferre lucri certissimum est, et apud eam nil preciosum est preter quod afferat aurum. Ex quo consecutum ut aurum non afferentia, non solum neglecta, sed despecta atque deiecta sint; et cum omnes fere in divitias totis tendant pedibus, volumina talia in desuetudinem abiere, et sic etiam periere facile. Eque in eorum detrimentum quorundam principum detestabile accessit odium, nec aliter quam in hostes ab eis adversus ea conspiratum est. Et quot hoc deleverit odium non solum fabularum, sed quarumcunque facultatum volumina, non leviter exprimeretur numerus. Ceterum si cetera pepercissent, non eis, restauratore carentibus, pepercisset labile tempus, cui et taciti et adamantini sunt dentes, nedum libros, sed saxa conterentes durissima et ferrum ipsum, domans cetera. Hoc hercle tam Greca quam Latina multa redegit in pulverem! Et si hec et alia plura passa sint, et ea potissime, que nostro labori oportuna essent, negari tamen non potest, quin multa supersint, sed nullum tamen, quod ego noverim, in hoc, quod optas, conscriptum. Vaganter igitur tam deorum quam progenitorum nationes et nomina huc illuc dispersa per orbem. Habet enim liber hic ex his aliquid, et aliquid liber alter. Que quis, queso, pro minime seu saltem parum fructuoso labore velit exquirere et tot volumina volvere, legere, et hinc inde excerpere perpauca? Credo satius desistendum. Ast ille in me defixis luminibus inquit: Non me latebat, quin adversum moderatam petitionem meam haberes, quid diceres; sed non adeo me repelles, quin locus remaneat aliquis, in quem

fugiam. Non equidem negabo, quod asseris verum. Iam secundo dixisse velim: quod potes, facito! Hanc portiunculam, quam hinc inde excerpisse poteris, rex noster exoptat. Potesne istud etiam denegasse? Sed heu! Timeo non has | tibi torpor ignavus rationes prepararet, ut laborem effugias. Nil nempe turpius ocioso iuvene! Et si laborandum est, cum ad laborem nascamur omnes, cui melius quam regi optimo potes laborem impendere? Surge igitur, et inertiam hanc pelle, et ad opus ingenti accingere animo, ut regi pariter pareas et tuo nomini ad inclitam famam viam facias! Venies profecto, si prudens es, ultro eo, quo ego te conor impellere. Nosti enim, quoniam labor improbus vincat omnia; audentesque iuvat fortuna, et multo magis Deus ipse nunquam deserens sperantes in se. Vade igitur, et bonis avibus volve et revolve et exentera libros, calamum arripe, et, dum regi obsequeris, tuum nomen in longissimum deduc evum! Tum ego: vincor, inquam, magis fere lepiditate verborum quam viribus rationum; urges et enim me impellis, trahis, et ut paream, si velim nolim, necesse est. Et sic, clementissime rex, ut ad te aliquando calamum flectam, aliquandiu altercati sumus, Dominus tuus et ego, et, seu valeam seu non valeam, ad ultimum victus in tuam sententiam impulsus venio; quibus tamen viribus, tu vides. Iussu igitur tuo, montanis Certaldi cocleis et sterili solo derelictis, tenui licet cimba in vertiginosum mare crebrisque implicitum scopulis novus descendam nauta, incertus, num quid opere precium facturus sim, si omnia legero litora et montuosa etiam nemora, scrobes et antra, si opus sit, peragravero pedibus, ad inferos usque descendero, et, Dedalus alter factus, ad ethera transvolavero; undique in tuum desiderium, non aliter quam si per vastum litus ingentis naufragii fragmenta colligerem sparsas, per infinita fere volumina deorum gentilium reliquias colligam, quas comperiam, et collectas evo diminutas atque semesas et fere attritas in unum genealogie corpus, quo potero ordine, ut tuo fruaris voto, redigam. Horresco tamen < tam > grande opus assumere, et vix credam, si resurgat et veniat Prometheus alter seu is idem, qui poetarum assertionem prisco tempore

consueverat homines ex luto componere, nedum ego, huius
 operis sit artista sufficiens. Sane ne, rex inclite, mireris in
 posterum, dixisse velim: Non expectes, post multum temporis
 dispendium et longis vigiliis elucubratum opus, corpus huius-
 modi habere perfectum; mutilum quippe, et utinam non mem- 5
 brorum plurium et fortasse distortum seu contractum gibbo-
 sumque habendum est iam rationibus premonstratis. Porro,
 princeps eximie, uti componendo membra deveniam, sic sensus
 10 c abscon|ditos sub duro cortice enucleando procedam, non tamen
 ad unguem iuxta intensionem fingentium fecisse promittam. 10
 Quis enim tempestate nostra antiquorum queat terebrare pe-
 ctores et mentes excutere, in vitam aliam iam diu a mortali
 segregatas, et, quos habuere, sensus elicere? Esset edepol
 divinum potius quam humanum! Veteres quippe, relictis licteris 15
 suis nominibus insignitis, in viam universe carnis abiere,
 sensusque ex eis iuxta iudicium post se liquere nascentium,
 quorum quot sunt capita, fere tot inveniuntur iudicia. Nec
 mirabile; videmus enim divini voluminis verba ab ipsa lucida,
 certa, ac immobili veritate prolata, etiam si aliquando tecta 20
 sint tenui figurationis velo, in tot interpretationes distrahi,
 quot ad illa devenere lectores. Et ob id in hoc minus pave-
 scens accedam, nam, et si minus bene dixerō, saltem ad
 melius dicendum prudentiorem alterum excitabo. Et hoc fa-
 ciens, primo, que ab antiquis hausisse potero, scribam, inde,
 ubi defecerint seu minus iudicio meo plane dixerint, meam 25
 apponam sententiam; et hoc libentissimo faciam animo, ut
 quibusdam ignaris atque fastidiose detestantibus poetas, a se
 minime intellectos, appareat, eos, etsi non catholicos, tanta
 fuisse prudentia preditos, ut nil artificiosius humani ingenii
 fictione velatum sit, nec verborum cultu pulchrius exornatum. 30
 Ex quibus patet liquido eos plurima mundana sapientia im-
 butos fuisse, qua sepius carent stomachosi reprehensores
 eorum. Ex quibus enucleationibus, preter artificium fingentium
 poetarum et futillum deorum consanguinitates et affinitates
 explicitas, naturalia quedam videbis tanto occultata misterio, 35
 ut mireris, sic et procerum gesta moresque non per omne

trivium evagantia. Post hec, quoniam in longe maius volumen quam existimes progredietur opus, oportunum arbitror, ut facilius invenias, quod exquires, et melius possis retinere, que velis, illud in partes distinguere plures, easque nuncupare libros. Quorum unius cuiusque principio arborem apponendam censeo, cuius in radice pater assit propaginis, in ramis vero iuxta degradationes seriem apponere omnem dilatam propaginem, ut per hanc videas, de quibus et quo ordine in sequenti libro perquiras. Quos libros etiam debitis comperies distinctos rubricis ampliori sermone pandentibus, quod unico tantum nomine per frondes arboris primo perlegeris. Demum duos superaddam libellos, et in primo quibusdam obiectionibus in poesim et poetas factis respondebo; in secundo, qui totius operis erit ultimus, quedam, que in me forsitan obicientur, amovere conabor. Sane ne omiserim, nolo mireris aut errore meo contigisse putes (veterum crimen est!), quod sepiissime leges multa scilicet adeo veritate dissona et in se ipsa non nunquam discrepantia, ut nedum a phylosophis oppinata, sed nec a rusticis cogitata putes, | sic et pessime temporibus congruentia. Que quidem, et alia, si qua sunt a debito variantia, non est mee intentionis redarguere vel aliquo modo corrigere, nisi ad aliquem ordinem sponte sua se sinant redigere; satis enim michi erit comperta rescribere et disputationes phylosophantibus linquere. Postremo, si sane mentis homines tam ex debito quam ex Platonis consulto in quibuscunque etiam minimarum rerum principiis divinam opem imprecari consuevere ac eius in nomine agendis initium dare, eo quod, illo pretermisso, Torquati sententia nullum rite fundetur exordium, satis advertere possum, quid michi faciendum sit, qui inter confragosa vetustatis aspreta et aculeos odiorum membratim discerptum, attritum, et in cineres fere redactum ingens olim corpus deorum procerumque gentilium nunc huc illuc collecturus et, quasi Esculapius alter, ad instar Ypoliti consolidaturus sum. Et ideo, cum solum cogitans iam sub pondere titubem nimio, eum piissimum patrem, verum Deum rerumque omnium opificem et cuncta potentem, cui mortales

vivimus omnes, supplex precor, ut grandi superboque ceptui meo favens assit. Sit michi splendens et immobile sydus et navicule dissuetum mare sulcantis gubernaculum regat, et, ut oportunitas exiget, ventis vela concedat, ut eo devehar, quo suo nomini sit decus, laus et honor, et gloria sempiterna, detrectantibus autem delusio, ignominia, dedecus, et eterna damnatio!

Quis primus apud gentiles deus habitus sit.

Mare magnum et dissuetum navigiis intraturus novumque sumpturus iter, ratus sum prospectandum fore solerter quo ex litore cimbe proesia solvenda sint, ut rectius, secundo spirante vento, eo devehar quo cupit animus. Quod quidem tunc comperisse reor dum eum comperero quem sibi primum deum finxere priores, ut, ab eo initio propaginis sumpto debito, possim ordine in posteritatem procedere. Convenerant igitur mecum omnes animi vires et e sublimi mentis speculo omnem fere orbis intuebar ambitum, surgentesque extemplo plurimos vidi nec unius tantum religionis homines cuiuscunque tamen veritatis fidedignissimos testes, gravitate asserentes sua deum unicum esse quem nemo vidit unquam et hunc verum esse principio fineque carentem, potentem omnia, rerum patrem atque creatorem tam patentium quam non patentium nobis. Quod cum optime crederem et ab ipsis puerilibus annis crediderim, semper cepi mente revolvere veterum quam plurimum circa hunc varias atque diversas opiniones. Visumque michi est hoc idem fere ipsos credere gentiles, sed eos decipi dum creature creatoris attribuunt dignitatem nec omnes uni sed diversi diversis conantur impendere. Cui | errori causam intulisse phylosophantes et diversimode sentientes existimo, dum ostenderent prisce ruditati et post eos poete, quos primos theologizantes Aristotiles dicit, secundum suas credulitates eos esse deos primos quos ipsi arbitrabantur rerum primas fuisse causas. Et hinc, si plures et diversimode opinantes fuere, de necessitate

secutum est ut plures et diversos deos diverse haberent nationes vel secte, quarum unaqueque suum existimavit verum et primum et unicum esse deum aliorum patrem et dominum. Et sic non solum ad instar Cerberi tricipitem hanc fecere
5 beluam, quin imo in monstrum longe plurium capitum describere conati sunt; quorum dum antiquissimum investigarem Taletem Milesium obvium habui, suo evo sapientissimum hominem et celo astrisque familiarissimum et quem ego audieram multa de vero Deo ingenio magis quam fide iam dudum exquisivisse. Hunc ego rogavi ut diceret quem ratus sit deorum
10 fuisse primum. Qui e vestigio inquit: Rerum omnium causam primam aquam fuisse reor, eamque in se divinam habere mentem, omnia producentem nec aliter quam apud nos plantas humectet, sic ex abisso scaturiginibus emissis in celum usque
15 sydera et ornatum reliquum manu madida fabricasse. Hinc Anaximenem alium doctissimum virum conveni et, dum hoc idem quod a Talete percontor, respondit: Aerem rerum omnium productorem eo quod animantia aere perdito moriantur illico et absque eo nequeant procreari. Post hos Crisippus affuit
20 inter priscos famosus homo, qui rogatus ait: Ignem se omnium conditorem credere, eo quod absque calore nil appareat posse gigni mortale, vel genitum posse consistere. Alcinoum autem Crotoniensem cum convenissem, ceteris celsioris animi hominem comperi. Nam elementis transvolatis repente intellectu se miscuit astris, inter que, que noverit nescio sed retulit
25 se arbitrari solem, lunam et stellas et omne celum rerum omnium fuisse fabros. O liberalis homo, quam uni tantum elemento ceteri dederant, hic omnibus supercelestium corporibus deitatem largitus est. Post hos ego Macrobum iuniorum omnium adorior. Ille autem solo soli attribuit quod dederat
30 Alcinoi toti celo. Theodontius vero, ut arbitror, novus homo sed talium investigator precipuus neminem nominando respondit: Vetustissimorum Arcadum fuisse opinionem terram rerum omnium esse causam, eique, ut de aqua dicit Thales, mentem
35 inesse divinam existimantes, crediderunt eius opere omnia fuisse producta atque creata. Porro ut de reliquis taceamus,

poete qui Thaletis opinionem secuti sunt, aque elementum
 Oceanum vocavere et rerum omnium hominum atque deorum
 dixere patrem, et ab eodem genealogie deorum dedere prin-
 cipium. Quod et nos fecisse poteramus nisi invenissemus
 secundum quosdam Oceanum filium fuisse Celi. Et qui Ana-
 ximenem et Crisippum vera dixisse credidere eo quod Iovem
 pro elemento ignis et non nunquam ignis et aeris sepiissime
 ponant poete, ei principatum deorum omnium tradidere et suis
 genealogiis deorum primum omnium ascripsere; quos ideo
 in hoc secuti non sumus, quia Iovem nunc Etheris nunc
 Celi nunc Saturni fuisse filium legisse meminimus. Qui vero
 Alcinoo prestitere fidem, Celium seu Celum genealogie sue
 principem voluere. Quod cum Ethere genitum legissemus ultro
 omisimus. Sic et qui Macrobius primoresque suos Soli genea-
 logie concessere primatum. Quem multos habuisse parentes
 ipsi testantur poete, nunc illi Iovem patrem, nunc Yperionem,
 nunc Vulcanum attribuentes. Qui autem terram rerum omnium
 productricem voluere, ut Theodontius dicit, inmixtam illi di-
 vinam mentem Demogorgonem nuncupavere. Quem profecto
 ego deorum gentilium omnium patrem principiumque existimo,
 cum neminem illi secundum poeticas fictiones patrem fuisse
 compererim; et cum Etheris non tantum patrem, sed avum
 extitisse legerim, et deorum aliorum plurium, ex quibus hi
 orti sunt, de quibus supra mentio facta est. Sic igitur omnibus
 circumspectis, aliis abscisis tanquam superfluis capitibus et in
 membra redactis, adinvenisse itineris principium rati, facientes
 Demogorgonem non rerum patrem sed deorum gentilium, duce
 deo scabrosum intrabimus iter per Tenaron aut Ethnam in
 terre viscera descendentes et ante alia Stigie paludis vada
 sulcantes.

In arbore signata desuper ponitur in culmine Demogorgon versa in celum
 radice, nec solum infra descripte progeniei sed deorum omnium gen-
 tilium pater, et in ramis et frondibus ab eo descendentibus descri-
 buntur eius filii et nepotes de quibus omnibus hoc in primo libro
 prout signati sunt distincte scribitur. Verum ex eis Ether solus exci-
 pitur, de quo et eius amplissima posteritate in libris sequentibus
 describetur. Fuerunt ergo Demogorgoni filii filieque VIII Quorum
 primus Litigium, secundus Pan, III^a Cloto, IIII^a Lachesis, quinta
 Atropos, sextus Polus seu Pollux, septimus Phytton seu Phaneta,
 ottava Terra, nonus autem Herebus.

Summa cum maiestate tenebrarum arbore descripta, veter-
 nosus ille deorum omnium gentilium proavus, undique stipatus
 nebulis et caligine, mediis in visceribus terre perambulanti
 michi comparuit Demogorgon, nomine ipso horribilis, pallore
 quodam muscoso et neglecta humiditate amictus; terrestrem
 tetrum fetidumque evaporans odorem, seque miseri principatus
 patrem potius alieno sermone quam suo confessus verbo, me
 coram novi laboris opifice constitit. Risi, fateor, dum illum
 i(n)tuerer, memor stultitiae veterum qui illum a nemine genitum
 eternum et rerum omnium patrem atque in terre visceribus
 delitescentem rati sunt. Sane quoniam mi|nus hoc spectat ad
 opus, eum sinamus sua in miseria, procedentes eo quo cupi-
 mus. Huius igitur insipide credulitatis causam dicit Theodon-
 tius non a studiosis hominibus habuisse principium, quin imo
 a vetustissimis Arcadum rusticis. Qui cum mediterranei essent
 homines atque montani et semisilvestres et viderent terram
 sponte sua, silvasque et arbusta queque producere, flores, fru-
 ctus et semina emittere, animalia alere cuncta et demum in se
 morientia queque suscipere, nec non et montes flammas evo-
 mere, ex duris silicibus ignes excuti, ex concavis locis et valli-
 bus exalare ventos et illam sentirent moveri nonnunquam et
 etiam mugitus emittere eiusque ex visceribus fontes, lacus et
 flumina fundi, quasi ex ea ethereus ignis et lucidus aer exorti
 ac egregie potata ingentem illum oceani pelagum eminxerit, et
 ex collis incendiis evolantes in altum favillule solis luneque
 globos ediderint, summoque implicite celo in stellas sese infi-

xerint sempiternas, stolide credere. Qui autem post hos secuti sunt paulo altius sentientes, non terram simpliciter rerum harum dixere autorem, sed illi mentem implicitam esse divinam intellectu et nutu cuius agerentur ista, eamque mentem in subterraneis habere sedem arbitrati sunt. Cui | errori auxit fidem apud rusticos antra ac profundissimos terrarum abditus intrasse non nunquam in quibus cum in processu languescente luce silentium augeri videatur, subintrare mentes cum nativo locorum horrore religio consuevit et ignaris presentie alicuius divinitatis suspicio quam a talibus suspicatum divinitatem, non alterius quam Demogorgonis existimabant, eo quod eius mansio in terre visceribus crederetur ut dictum est. Hic igitur cum esset apud vetustissimos Arcades in honore precipuo, rati taciturnitate sui nominis divinitatis eius augeri maiestatem, seu existimantes indecens esse tam sublime nomen in buccas venire mortalium, vel forte timentes ne nominatus irritaretur in eos, consensu publico vetitum est ne impune nominaretur a quoquam. Quod quidem testari videtur Lucanus ubi Ericturn manes invocantem describit dicens: Paretis, an ille Compellendus erit, quo nunquam terra vocato Non concussa tremit qui Gorgona cernit apertam Verberibusque suis trepidam castigat Erinem etc. Sic et Statius ubi cecum senem Tyresiam iussu Ethioclis belli Thebanorum exitum perscrutatur dicit: Scimus enim et quicquid dici noscique timetis Et turbare Hecatē, ni te, Tymbrēe, timerem Et triplicis mundi summum quem scire nephastum; Illum sed taceo etc. Hunc, de quo duo poete loquuntur nomine non espresso, Lactantius insignis homo doctusque super Statium scribens liquido dicit esse Demogorgonem summum primumque deorum gentilium. Et nos etiam satis sumere possumus, si verba carminum ponderare velimus. Dicit enim apud Lucanum femina malefica et gentilis ad preminentiam atque subterraneam huius mansionem demonstrandam terram tremere eo vocato, quod nunquam alias facit nisi concussa. Subsequenter hoc idem, quia videt Gorgonem, id est terram apertam, id est ad plenum eo quod in visceribus habitet terre, nos autem respective ad eum superi

superficiem tantum videmus. Vel videt apertum Gorgonem, monstrum illud vertens aspicientes in saxa, nec propterea in saxum vertitur, ut appareat preeminentie eius signum aliud. Tercio potentiam eius ostendit etiam circa inferna, dum eum
 5 dicit castigare verberibus Erinem pro Erinias, id est Furias, eas scilicet potentia sua et reprimendo et irritando. Hunc autem cognosci a superis ideo dicit Statius, ut illum et subterraneum et cunctorum demonstret principem, et invocatum posse cogere manes in desideria mortalium, quod ipsi nollent. Eum
 10 autem cognosci ideo nephas dicit, quia scire secreta dei non spectat ad omnes; nam si cognita sint, in vilipensionem fere veniet potentia deitatis. Huic preterea ne tedio | solitudinis angeretur, liberalis et circumspecta vetustas, ut ait Theodon-
 15 tius, socios dedit Eternitatem atque Chaos, et inde filiorum agmen egregium; VIII enim illi inter mares et feminas fuisse voluere, ut infra apparebit distinctius. Erat hic locus detegendi, si quid fuisset poetica fictione reconditum. Sed cum nudus sit huius deitatis erronee sensus, explicare quid nomen eius horridum sonare videatur tantummodo superest. Sonat
 20 igitur, ut reor, Demogorgon grece, terre deus latine. Nam demon deus, ut ait Leontius, Gorgon autem terra interpretatur. Seu potius sapientia terre, cum sepe demon sciens vel sapientia exponatur. Seu, ut magis placet aliis, deus terribilis, quod de vero Deo qui in celis habitat legitur: Sanctum et
 25 terribile nomen eius. Verum iste aliam ob causam terribilis est, nam ille ob integritatem iustitie male agentibus in iudicio est terribilis, iste vero stolidè existimantibus. Postremo, antequam de filiis aliquid, de sociis pauca videnda sunt.

12 b

CAP. I

De Eternitate.

30

Sequitur de Eternitate, quam ideo veteres Demogorgoni sociam dedere, ut is qui nullus erat videretur eternus. Que quid sit suo se ipsa pandit nomine, nulla enim temporis quan-

titate mensurari potest, nullo temporis spatio designari, cum
 omne contineat evum et contineatur a nullo. Quid enim de
 ea scripserit Claudius Claudianus, ubi heroico carmine Stilli-
 conis laudes extulit, libet inserere. Dicit enim sic: Est ignota
 procul nostrequae impervia menti, Vix adeunda diis annorum 5
 squalida mater, Immensi spelunca evi, que tempora vasto
 Suppeditat revocatque sinu; complectitur antrum Omnia quo
 placido consumit numine serpens Perpetuum[que] viret squa-
 mis, caudamque reducto Ore vorat tacito, relegens exordia
 lapsu. Vestibuli custos vultu longeva decoro, Ante fores natura 10
 sedet cunctisque volantes Dependent membris anime; mansura
 verendus Scribit iura senex, numeros qui dividit astris, Et
 cursus stabilesque moras quibus omnia vivunt Ac pereunt
 fixis cum legibus. Ille recenset etc. Antro demum sic descripto
 subsequitur idem: Hic abitant vario facies distincta metallo 15
 Secula certa locis, illic glomerantur aena, Hic ferrata rigent,
 illic argentea cudent; Eximia regione domus etc. Hec ille;
 ex quibus reor, serenissime regum, possis advertere quam
 suavi stilo quamque accurata atque explicita oratione quid
 12 c Eternitas et que intra Eternitatem contineantur | poeta descri- 20
 bat. Qui ut eius ostendat omnium temporum excessum, dicit
 speluncam ispius, id est gremii profunditatem incognitam atque
 procul stantem, et nedum mortalibus, sed vix adeundam diis,
 id est beatis creaturis que in conspectu dei sunt; eamque de- 25
 mum dicit tempora suppeditantem atque revocantem, ut appa-
 reat intra eam omne tempus initium sumpsisse ac sumere et
 sumpturum esse, et ultimo in finem devenire suum. Et ut
 appareat quo ordine describit serpentem perpetuo viridem, id
 est quantum ad eam nunquam in senium tendentem, eumque 30
 dicit revoluto in caudam ore eam devorantem, ut ex hoc actu
 percipiamus temporis circularem lapsum. Nam semper anni
 unius finis principium est sequentis, et sic erit durante tem-
 pore. Quo exemplo usus est, eo quod per illud fuerit olim
 Egypitiis, antequam licteras suscepissent, consuetudo descri- 35
 bendi annum. Subsequenter autem hoc fieri tacite dicit eo
 quod non advertentibus nobis paulatim labatur tempus. Natu-

ram autem animarum circumvolantium plenam eo quod assidue multis animantibus animas infundat, ideo ante fores Eternitatis describit ut intelligamus quod quicquid intrat Eternitatis gremium, seu parum mansurum seu multum, natura rerum agente intrat, et sic quasi ianitrix hic est, et est intelligendum de natura naturata. Nam quod natura naturans immittit nunquam egreditur. Senem autem, qui in antro numeros stellis dividit, Deum verum credo, non quia senex sit, non enim in eternum cadit etatis ulla descriptio, sed mortalium loquitur more, qui longevos etiam immortales senes dicimus. Hic numeros stellis dividit ut intelligamus quia eo agente et ordinante per certum et constitutum ab eo syderum motum nobis tempora distinguantur, ut puta per solis totius celi circuitum habemus annum, sic per eandem lune circumvolutionem mensem, et per integram octave spere revolutionem diem. De seculis autem, que ibidem esse dicit, infra ubi de Eonis satis late scribetur.

CAP. II

De Chaos.

Chaos, ut Ovidius in principio maioris sui voluminis asserit, fuit quedam omnium rerum creandarum inmixta et confusa materia. Dicit enim sic: Unus erat toto nature vultus in orbe Quem dixere Chaos, rudis indigestaque moles Nec quicquam nisi pondus iners congestaque eodem Non bene iunctarum discordia semina rerum etc. Hunc seu hanc tam speciosam forma certa carentem effigiem voluere non nulli, alias insignes phylosophi, sociam atque coeternam fuisse Demogorgoni, ut si quando in mentem illi venisset creaturas producere, non deesset materia; quasi non posset qui poterat rebus variis formam dare, materiam ex qua daret producere. Ridiculum est, sed iam neminem redarguere professus sum.

CAP. III

12 d

De Litigio primo Demogorgonis filio.

His premissis ad inclitam prolem primi dei gentilium
 veniendum est. Cuius primum filium voluere Litigium, eo
 quod primum eum ex Chaos pregnantis utero, ex incerto tamen 5
 patre eductum velint. De cuius educatione talis a Theodontio
 recitatur fabula. Dicit enim a Pronapide poeta in Prothocosmo
 scribi quod semel residente Demogorgone, ut quiesceret in
 Eternitatis antro, sensit in utero Chaos tumultuari, quamobrem
 commotus extensa manu Chaos ventrem aperuit, et evulso 10
 Litigio tumultum faciente, eo quod turpem et inhonestam ha-
 beret faciem, abiecit in auras. Qui confestim evolavit in altum;
 non enim poterat ad inferiora descendere, cum omnium rerum
 inferior is esse videretur, qui illum ex utero matris exemerat.
 Ast inde Chaos acri fessa labore, cum non haberet quam in- 15
 vocaret Lucinam, madens tota in sudorem videbatur resolvi
 debere, ignita exalans infinita suspiria, insistente forti manu
 Demogorgone, ex quo factum est ut iam divulso Litigio, tres
 Parcas et Panem educeret una cum eis. Inde autem cum illi
 Pan rebus gerendis videretur ceteris aptior, eum domui pre- 20
 fecit sue et sorores illi dedit pedissequas. Chaos autem liberata
 pondere, iussu Panis, Demogorgonis cessit in sedem. Litigium
 vero, quod nos vulgatori vocabulo Discordiam dicimus, ab
 Homero in Yliade Lis vocatur, et Iovis dicitur filia, quam
 ipse ait, eo quod a Iunone per eam lesus fuerit circa nativi- 25
 tatem Euristei et Herculis de celo in terras eiectam. Theodon-
 tius autem de Litigio plura insuper recitat, que ubi decentius
 in processu ponenda videbuntur, apponam, que hic de eo ad
 presens omittantur. Habes, rex inclite, ridiculam fabulam,
 verum eo ventum est, ubi oportunum sit a veritate amovere 30
 fictiones corticem, sed prius respondendum est persepe dicen-
 tibus, quid poete dei opera vel nature vel hominum hoc sub
 fabularum velamine tradidere? Non erat eis modus alter? Erat
 equidem, sed uti non equa facies omnibus, sic nec animorum

iudicia. Achilles arma preposuit ocio, Egisthus desidiam armis,
 Plato phylosophiam omissis ceteris secutus est, statuas celte
 sculpere Phydias, Apelles pinnaculo ymagines pingere. Sic ut
 reliqua hominum studia sinam, poeta delectatus est tegere
 5 fabulis veritatem, cuius delectionis Macrobius super Somnio
 Scipionis scribens satis apte causam videtur ostendere dum
 dicit: | De diis autem dixi ceteris, et de anima non frustra
 se, nec ut oblectent ad fabulosa convertunt, sed quia sciunt
 inimicam esse nature apertam undique expositionem sui, que
 10 sicut vulgaribus hominum sensibus intellectum sui vario rerum
 tegmine operimento subtraxit, ita a prudentibus arcana sua
 voluit per fabulosa tractari. Sic ipsa misteria fabularum cu-
 nicultis operiuntur, ne vel hoc adeptis nudam rerum talium
 natura se prebeat, sed summatibus tantum viris sapientia in-
 15 terprete, veri archani consciis contenti sunt reliqui. Hec Ma-
 crobius, quibus etsi multo plura dici possent, satis responsum
 arbitror exquirentibus. Insuper, rex precipue, sciendum est
 his fictionibus non esse tantum unicum intellectum, quin imo
 dici potest potius polisenum, hoc est multiplicium sensum. Nam
 20 sensus primus habetur per corticem, et hic licteralis vocatus
 est; alii per significata per corticem, et hi allegorici nuncu-
 pantur. Et ut quid velim facilius assummat, ponemus exem-
 plum. Perseus Iovis filius figmento poetico occidit Gorgonem,
 et victor evolavit in ethera. Hoc dum legitur per licteram
 25 hystorialis sensus prestatur. Si moralis ex hac lictera queritur
 intellectus, victoria ostenditur prudentis in vicium, et ad vir-
 tutem accessio. Allegorice autem si velimus assummere, pie
 mentis spretis mundanis deliciis ad celestia elevatio designatur.
 Preterea posset et anagogice dici per fabulam Christi ascensum
 30 ad patrem mundi principe superato figurari. Qui tamen sensus
 etsi variis nuncupentur nominibus, possunt tamen omnes alle-
 gorici appellari, quod ut plurimum fit. Nam allegoria dicitur
 ab allon, quod alienum latine significat, sive diversum, et
 ideo quot diversi ab hystoriali seu licterali sint sensu, alle-
 35 gorici possunt, ut dictum est, merito vocitari. Verumtamen
 non est animus michi secundum omnes sensus enucleare fa-

bulas que sequuntur, cum satis arbitrer unum ex pluribus explicasse, esto aliquando apponentur fortasse plures. Nunc autem quid Pronapidem sensisse putem, explicabo paucis. Videtur etenim michi Pronapidem mundi creationem designare voluisse, secundum erroneam eorum opinionem, qui rati sunt deum ex materia preparata produxisse que creata sunt. Nam sensisse Demogorgonem tumultum fieri in utero Chaos, nil aliud reor quam divinam sapientiam, aliqua eam movente causa, ut puta maturitatem ventris, id est temporis propositi horam advenisse, et sic cepisse velle creationem et que immixta erant certo ordine segregare, et hic extendisse manum, id est operam voluntati dedisse, ut ex informi | colluvie formosum atque ordinatum produceret opus, et ante alia evulsis ex utero laborantis, id est laborem confusionis patientis Litigium, quod totiens aufertur a rebus quotiens amotis discordantie causis illis debitus imponitur ordo. Patet igitur hoc ante alia fecisse, disgregasse scilicet que inter se erant elementa confusa, calida enim frigidis, sicca humidis, et levia gravibus repugnabant. Et cum primus dei videretur actus a discordantibus ordinando subtraxisse Litigium, Demogorgonis primus filius dictus est. Eum abiectum ob turpem faciem, quia turpe sit ut plurimum litigare; evolasse ad sublimia potius videtur fabuloso ordini prestare decorem, quam aliud velle significare. Preterea eiectum quo se efferret ni in altum tenderet non habebat, cum in inferioribus iam producti orbis partibus in lucem constet eum fuisse productum. Quod a superis in terras demum deiectum sit, scribit Homerus ob id factum, quod opere suo ante Herculem Euristeus natus sit, ut suo narrabitur loco. Verum quantum ad intrinsicum sensum, hoc ego sentio, quod a motu superiorum corporum apud mortales persepe oriantur litigia. Insuper dici potest illud in terras eiectum a superis, cum apud superos omnia certo et perpetuo agantur ordine, ubi apud mortales vix inveniatur aliquid esse concorde. Demum cum dicit sudore madefactam Chaos et ignita emittentem suspiria nil aliud intelligat reor quam elementorum segregationem primam, ut per sudorem sentiamus aquam, per ignita vero su-

spiria aerem atque ignem, et que desursum sunt corpora, et per grossitiem molis huius terram, que Panis consilio confestim creatoris sui domus et sedes facta est. Eductum autem Pana post Litigium credo ratos veteres ea in separatione
 5 elementorum naturam naturatam habuisse initium et euestigio domui, id est orbi, Demogorgonis prepositam, quasi eius opere sic volente deo omnia producantur mortalia. Parcas autem eodem partu productas et pedissequas fratri datas ideo fictum existimo, ut intelligatur naturam his cum legibus pro-
 10 ductam ut procreet seu gignat, nutriat et in finem nata deducat. Que tria sunt Parcarum officia, in quibus continuum nature prestant obsequium, ut latius in sequentibus apparebit.

CAP. IV

De Pane secundo Demogorgonis filio.

15 Pana Demogorgonis fuisse filium iam satis supra monstratum est. De quo talem Theodontius recitat fabulam. Dicit enim eum verbis irritasse Cupidinem et inito cum eo certamine superatum, et victoris iussu Syringam nynpham Archadem adamasse, que cum satyros ante lusisset, eius etiam sprevit
 20 coniugium. Pan autem cum illam urgente amore fugientem sequeretur, contigit ut ipsa a Ladone fluvio impedita consisteret, et nynpharum auxilium precibus imploraret, quarum opere factum est ut in palustres calamos verteretur. Quos cum Pan motu ventorum sensisset dum invicem colliderentur esse
 25 canoros, tam affectione puelle a se dilecte quam delectatione soni permotus, calamos libens assumpsit, et ex eis septem disparibus factis fistulam, ut aiunt, composuit, eaque primus cecinit, ut etiam testari videtur Virgilius: Pan primus calamos
 30 cera coniungere plures Instituit etc. Huius preterea poete et alii insignes viri mirabilem descripsere figuram. Nam ut Rabanus in libro De origine rerum ait: Is ante alia fronti habet infixam cornua in celum tendentia, barbam prolixam et in pectus pendulam, | et loco pallii pellem distinctam maculis, quam

nebridem vocavere prisci, sic et manu virgam atque septem calamorum fistulam. Preterea inferioribus membris yrsutum atque hypsidum dicit, et pedes habere capreos et, ut addit Virgilius purpuream faciem. Hunc unum et idem cum Silvano arbitrabatur Rabanus, sed diversos esse describit Virgilius 5 dicens: Venit et agresti capitis Silvanus honore, Florentes ferulas et grandia lilia quassans. Et illico sequitur: Pan deus Arcadie venit. Et alibi: Panaque Silvanumque senem nynphasque sorores etc. His igitur premissis, ad intrinseca veniendum est. Et quoniam supra Pana naturam naturatam esse dictum est, 10 quid sibi voluerint fingentes eum a Cupidine superatum, facile reor videri potest. Nam quam cito ab ipso creatore natura producta est, evestigio cepit operari, et suo delectata opere illud cepit amare, et sic a delectatione irritata amoris succubuit. Siringa autem quam aiunt a Pane dilectam, ut dicebat 15 Leontius, dicitur a syren grece, quod latine sonat deo cantans, et sic poterimus dicere Siringam esse celorum seu sperarum melodiam, que ut Pictagore placuit ex variis inter se motibus circularum sperarum conficiebatur, seu conficitur, et per consequens tanquam deo et nature gratissimum a natura conficiente diligitur. Seu volumus potius Siringam esse circa nos 20 agentibus supercelestibus corporibus nature opus tanto organizatum ordine, ut dum in certum et determinatum finem continuo deducitur tractu, non aliter quam faciant rite canentes armoniam facere, quod deo gratissimum fore credendum 25 est. Cur autem hanc nynpham Arcadem fuisse dixerint et in calamos versam, ideo dictum puto quia, ut placet Theodontio, Arcades primi fuere, qui excogitato cantu emittentes per calamos longos et breves spiritum, quatuor vocum invenere discrimina, et demum addidere tria, et ad postremum quod 30 permultos faciebant calamos, in unam contraxere fistulam, foraminibus ori flantis proximis, et remotioribus excogitatis. Macrobius vero hoc repertum dicit Pictagore, ad ictus malleorum gravium atque levium. Iosephus vero in libro Antiquitatis Iudaice dicit longe vetustius iubal inventum fuisse ad tinnitum 35 malleorum Tubalcayn fratris sui, qui ferrarius faber fuit. Verum

quoniam fingentibus verius visum est Arcades invenisse, eo
 quod illo forsā evo ceteros excederent fistula, Arcadem nyn-
 pham fuisse voluere. Syringam autem lusisse satiros et Pana
 fugientem, atque a Ladone moratam et ninpharum suffragio
 5 in calamum versam, circa nostros cantus iudicio meo aliquid
 bone considerationis abscondit. Hec enim spretis satyris, id
 est ingeniis rudibus, fugit Pana, id est hominem natura
 aptum natum ad musicalia; nec equidem actu fugit, sed exi-
 stimatione cupientis, cui in dilatione videtur cessari quod
 10 optat. Hec tunc a Ladone sistitur donec instrumentum ad
 emittendam meditationem perficitur. Est enim Ladon fluvius
 in ripa nutriens calamos, in quos versam Syringam aiunt,
 ex quibus postmodum confectam fistulam novimus; ex quo
 summere debemus uti calamorum radix terre infixā est, sic
 15 et meditatio musice artis et compertus exinde cantus tam
 diu latet in pectore inventoris, donec emittendi prestetur
 organum, quod ex calamis suffragio humiditatis a radice
 emissis conficitur; quo confecto, sonus premeditatus emittitur
 suffragio humiditatis spiritus emittentis. Nam si siccus esset,
 20 nulla sonoritatis dulcedo sed mugitus potius sequeretur, ut
 videmus ex igne per fistulas emisso contingere; et sic in cala-
 mos versa videtur Syringa, eo quod per calamos resonet.
 Possibile preterea fuit a compertore fistule calamos ad hoc
 primo fuisse compertos Ladonem secus, et sic a Ladone de-
 25 tento. Restat videre quid sensisse potuerint circa Panis yma-
 ginem, in qua ego arbitror veteres | universale nature corpus
 tam scilicet agentium quam patientium rerum voluisse descri-
 bere, ut puta sentientes per cornua in celum tendentia superce-
 lestium corporum demonstrationem, quam duplici modo perci-
 30 pimus arte scilicet, qua discursus syderum investigantes co-
 gnoscimus et sensu quo eorum in nos confusiones sentimus. Per
 ignitam autem eius faciem ignis elementum, cui annexum ae-
 rem voluere, summendum reor, quos sic iunctos Iovem dixere
 non nulli. Per barbam autem, per quam virilitas demonstratur,
 35 virtutem activam horum duorum elementorum sic iunctorum
 intelligi voluisse existimo, et eorum opus in terram et aquam,

dum demissam illam in pectus et ad partes inferiores traxere. Eum autem maculosa pelle tectum describere, ut per illam ostenderetur octave sperae mirabilis pulchritudo crebro stellarum fulgore depicta, a qua quidem spera, sicuti pallio tegitur homo, sic omnia ad naturam rerum spectantia conteguntur. 5
 Per virgam autem nature regimen intelligendum reor, quo omnia et potissime ratione carentia reguntur, et in determinatum finem in suis operibus etiam deducuntur. Fistulam vero ad armoniam celestem designandam illi apposuerunt. Quod illi circa inferiora sit hispidum corpus et hirsutum, terre superficiem montium et scopulorum gibbosam et silvarum virgultorum et graminum tectam intelligo. Alii vero sensere aliter. Solem scilicet per hanc ymaginem designari, quem rerum patrem dominumque credidere, quos inter fuit Macrobius. Et sic eius cornua volunt lune nascentis indicium, per purpuream faciem aeris mane seroque rubescentis aspectum, per prolixam barbam ipsius solis in terram usque radios descendentes, per maculosam pellem celi ornatam a solis luce derivantem, per baculum seu virgam rerum potentiam atque moderamen, per fistulam celi armoniam a motu solis cognitam etc. prout supra. Credo, rex magnifice, videas quam summo- 10
 tenus exponendo transeam, quod duplici de causa facio. Primo quidem quia confido, quoniam tibi nobile sit ingenium, quo possis quantumcunque parvis datis iudiciis, in quoscunque profundissimos sensus penetrare. Secundo quia sequentibus cedendum est. Nam si omnia que ad expositionem huius fabule possent induci describere vellem, ipsa sola fere totum exco- 15
 gitatum volumen occuparet. Et ut redeam ad omnia, hunc Pana, seu quod in processu eundem cum Demogorgone arbitrantur Arcades, ut Theodontio visum est, seu quod illo 20
 neglecto in istum totos verterent animos, sacris etiam | hor- 30
 rendis, ut puta humano, imo natorum illi litantes sanguine, precipue coluere, eumque dixere Pana a pan, quod totum latine sonat, volentes ob hoc quod omnia quecunque sint in nature gremio concludantur, et sic ipsa totum sit. Iuniores 35
 inde, eo quod innovata placent, Pana Liceum vocaverunt.

Alii adempto Panis nomine Liceum tantum dixere. Et non
 nulli Iovem Liceum existimantes nature seu Iovis opere lupos
 a gregibus amoveri quibus ipsi fere vacabant omnes, et sic
 a lupis fugatis cognomen meruisse videtur; grece enim lupus
 5 dicitur lycos. Augustinus vero, ubi De civitate dei scribit,
 dicit non ob hoc contigisse Pana Liceum vocari, quin imo
 propter crebram mutationem hominum in lupos, que in Ar-
 cadia contingebat, quod nisi divina operante virtute fieri non
 posse arbitrabantur. Hinc propterea videtur Macrobius sum-
 10 pisse Pana non Iovem, sed solem esse, eo quod sol omnis
 mortalis vite sit pater, eoque surgente consueverint lupi dimissis
 insidiis adversus greges in silvas abire, et sic ob istud bene-
 ficium eum dixere Liceum.

CAP. V

15 De Cloto, Lachesi et Atropu filiabus Demogorgonis.

Cloto, Lachesis et Atropos, ut supra, ubi de Litigio, filie
 fuere Demogorgonis. Cicero autem has Parcas vocat, ubi De
 naturis deorum scribit, et filias Herebi Noctisque fuisse dicit.
 Verum ego ideo Theodontio potius adhareo, qui illas cum
 20 rerum natura creatas dicit, quod longe magis veritati videtur
 conforme, eas scilicet nature rerum esse coevas. Has easdem
 ubi supra vocat Tullius in singulari Fatum illudque Herebi
 Noctisque filium dicit, quod ego longe magis quam Parcas
 habito respectu ad id quod de Fato scribitur, ut post seque-
 25 tur Demogorgonis filium dicam. Seneca vero, has in epistulis
 ad Lucilium Fata vocat, dato Cleantis dictum dicat, dicens:
 Ducunt volentem Fata, nolentem trahunt. Circa quod non
 solum eorum describit officium, eas scilicet sorores omnia
 ducere, sed etiam trahere, non aliter quam si de necessitate
 30 contingat omnia. Quod longe apertius sentire videtur in tra-
 gediis Seneca poeta tragicus, et in ea potissime cui titulus
 est Edipus, ubi dicit: Fatis agimur, credite Fatis. Non solliciti
 possunt cure Mutare rati stamina fusi. Quicquid patimur mor-

tale genus Quicquid facimus venit ex alto, Servatque sua
 decreta colus Lachesis dura revoluta manu, omnia septo tra-
 mite vadunt Primusque dies dedit extremum. Non illa deo
 vertisse licet, Que nexa suis currunt causis. It cuique ratus
 prece non nulla Mobilis ordo, multis ipsum Timuisse nocet, 5
 multi ad fatum Ve|nere suum dum Fata timent etc. Hec ille
 Quod etiam Ovidius sensisse videtur dum in maiori suo vo-
 lumine dicit in persona Iovis Veneri: Tu sola insuperabile
 fatum, Nata, movere putas? Intres licet ipsa sororum Tecta
 trium, cernes illic molimine vasto, Ex ere et solido rerum 10
 tabularia ferro, Que neque concursus celi neque fulminis
 iram, Nec metuunt ullas tuta atque eterna ruinas. Invenies
 illic incisa adamante perenni Fata tui generis etc. In quibus
 preter iam damnatam opinionem summi potest has tres sorores
 esse Fatum et Fata quantumcunque Tullius in Parcas et Fata 15
 distinxerit, volens potius, ut reor, diversitate nominum diver-
 sitatem officiorum quam personarum ostendere. Nos autem de
 his tribus redigendis postremo in unum, quid non nulli sen-
 serint videamus. Has supra diximus servitio Panis dedicatas
 a patre, et causas demonstravimus. Fulgentius vero ubi de 20
 Mithologiis, dicit eas attributas obsequio Plutonis inferorum
 dei, credo ut sentiamus actiones istarum circa terrena tantum
 versari, et Pluto terra interpretatur. Et ait idem Fulgentius,
 Cloto interpretari evocationem, eo quod suum sit, iacto cuius-
 cunque rei semine, illud adeo in incrementum trahere, ut 25
 aptum sit in lucem emergere. Lachesis autem, ut idem dicit
 interpretatur protractio seu sors, eo quod id quod a Cloto
 compositum est in lucem evocatum a Lachesi suscipiatur et
 protrahitur in vitam. Atropos autem, ab a, quod est sine, et 30
 tropos, quod est conversio, absque conversione interpretatur,
 eo quod omne natum evestigio, quod in terminum sibi pre-
 signatum venisse cognoverit, demergat in mortem, a qua nulla
 retro naturali opere conversio est. Apuleius vero Medaurensis
 non mediocris autoritate phylosophus, de his in libro quem 35
 Cosmographiam cognominat, scribit sic: Sed tria Fata sunt
 numero cum ratione temporis facientia, si potestatem earum

ad eiusdem similitudinem temporis referas. Nam quod in fuso perfectum est, preteriti temporis habet speciem, et quod torquetur in digitis, momenti presentis indicat spatia, et quod nondum ex colo tractum est subactumque cure digitorum, id futuri et consequentis seculi posteriora videtur ostendere. Hec illis conditio et nominum eiusdem proprietatem contingit, ut sit Atropos preteriti temporis fatum, quod non deus quidem faciet infectum, et futuri temporis. Lachesis autem a fine cognominata, quod etiam illis que futura sunt finem suum deus dederit; Cloto presentis temporis habet curam, ut ipsis actionibus suadeat ne causa solers rebus omnibus desit. Hec Apuleius. Sunt insuper qui volunt Lachesim eam | esse, quam fortunam nuncupamus, et ab ea omnia mortalibus contingentia agitari. Nunc autem quid de Fato sentiant veteres, dato non multum a precedentibus differant, videntum est. Dicit ergo de Fato sic Tullius in libro quem De divinatione scripsit: Fatum id appello quod Greci imarmenidem, id est ordinem seriemque causarum, cum causa causam gignat, ea est ex omni eternitate fluens veritas sempiterna. Quod cum ita sit, nichil est futurum, cuius non causas id ipsum efficientes natura contineat. Ex quo intelligitur ut Fatum sit non id quod superstitiose, sed id quod phylosophice dicitur, causa eterna rerum cur et ea que preterierint facta sunt, et que instant fiant et que sequuntur futura sint. Hec Cicero. Boetius autem Torquatus, vir disertissimus atque catholicus, ubi De phylosophica consolatione scripsit, cum diffuse de hac materia cum phylosophia magistra rerum altercetur, dicit inter alia de Fato sic: omnium generatio rerum cunctusque mutabilium naturarum progressus et quicquid aliquo movetur modo, causas, ordinem, formas ex divine mentis stabilitate sortitur; hec in sue simplicitatis arce composita, multiplicem rebus gerendis modum statuit. Qui modus cum in ipsa divine intelligentie puritate conspicitur, providentia nominatur. Cum vero ad ea que movet atque disponit refertur, Fatum a veteribus appellatum est. Hec ille. Poteram et apponere quid Apuleius de Fato in Cosmographia determinet, et aliorum sententias, sed

quoniam satis dictum reor, cur Demogorgonis aut Herebi
 Noctisque Parce seu Fatum vel Fata dicantur filie, breviter
 describam. Cum sepe eventurum sit in sequentibus et iam
 in precedentibus contigerit, quod causatus causantis dicatur
 filius, possumus ad presens dicere has tres sorores variis nun- 5
 cupatas nominibus dei filias tanquam ab eo causatas, qui
 prima causarum est, ut satis per verba supra proxime Cice-
 ronis atque Torquati videri potest. Hunc deum, ut dictum
 est, veteres Demogorgonem dixere. Quod autem ex Herebo 10
 et Nocte, ut dicit Tullius, nate sint, talis oratio reddi potest.
 Est Herebus, ut apperebit latius in sequentibus, terre profun-
 dissimus et absconditus locus, quem allegorice possumus acci-
 pere pro profunditate divine mentis, in quam mortalis oculus
 penetrare non potest, et cum divina mens videns tanquam 15
 se ipsam, intelligens quid actura esset, et inde has actu cum
 natura rerum produceret satis ex Herebo, id est ex arcano
 et profundissimo divine mentis penetrali, natas dicere possu-
 mus. Noctis autem filie dici possunt quantum ad nos, quia
 omnia in que acies oculorum nostrorum penetrare non potest,
 14 d obscura dicimus et noctis luce carentis similia, | et sic cum ad 20
 intrinseca divine mentis intellectu transire nequeamus, mortali
 offuscati caligine, cum in se ipsa splendidissima sit, et vive
 atque indeficientis lucis corusca, vicium illi nostre hebetudinis
 nominando attribuimus noctem perennem diem nuncupantes,
 et sic Noctis erunt filie; seu volumus dicere, quia nobis inco- 25
 gnite sunt dispositiones earum, eas obscuras et Noctis filias
 vocitamus. De nominibus propriis predictum est, de appella-
 tivis dicendum. Vocat igitur has Tullius Parcas, ut reor per
 antiphrasin, quia nemini parcant; nulla enim apud eas est
 acceptio personarum, solus deus potest pervertere earum vires 30
 et ordinem. Fatum autem aut Fata a for faris tractum nomen
 est, quasi velint, qui id imposuere nomen, quod ab eis agitur
 a deo quasi irrevocabile dictum sit seu previsum, ut per verba
 Boetii satis assumitur, et etiam sentire videtur Augustinus, 35
 ubi De civitate dei. Sed abhorret ipse vocabulum admonens,
 ut si quisquam voluntatem dei seu potestatem nomine Fati
 appellet, sententiam teneat, linguam coerceat.

CAP. VI

De Polo sexto Demogorgonis filio.

Aiunt insuper Polum Demogorgonis fuisse filium, et hoc in Prothocosmo asserere Pronapidem, talem ex hoc fabulam recitantem: quod dum secus undas in sede sua consisteret Demogorgon, et ex exili limo sperulam composuisset, eam nuncupavit Polum. Qui, spretis patris cavernis et inertia, evolavit in altum, et eo quod adhuc mollis esset, in tam grande corpus evolans conflatus est, ut omnia que a patre fuerant ante composita circumdaret. Verum nondum sibi aliquis erat ornatus, cum fabricanti patri lucis globum assistens, videretque ignitas plurimum ad ictum mallei fabrili hinc inde favillulas evolare, omnes sinu facto collegit, et in domum suam detulit, eamque ex illis ornavit omnem. Habere, rex inclite, quid riderem, videns compositi orbis tam ineptum ordinem, sed ante testatus sum nil velle mordere; huius tamen fictionis tenue satis velum est. Sequitur enim ut in ceteris Pronapides opinionem volentium ex terra a mente divina terris inclusa cuncta fuisse producta, dum Polum, quem ego celum intelligo, ex terra extensibile factum ait, et in maximum ac circumplectens omnia corpus eductum. Quod autem ex favillulis ex luce prodeuntibus domum ornaverit suam, hoc ideo dictum reor, quia solis micantibus radiis stelle in celo composite natura sua luce carentes lucide facte sint. Polus autem dicitur, ut arbitror, a quibusdam potioribus suis partibus. Constat enim, ut venerabilis Andalo preceptor meus et veteres astrologie autores asserunt, celum omne super duos polos circumflecti, quorum alterum | nobis propinquiorem articum vocant, oppositum autem antarticum; hunc tamen aliqui Pollucem vocant, causam ego non video.

CAP. VII

De Phytone septimo Demogorgonis filio.

Phyton Pronapidis testimonio Demogorgonis filius fuit et terre, ex nativitate cuius talem ipse recitat fabulam. Dicit enim Demogorgonem continue caliginis affectum tedio Acroce- 5
raunos conscendisse montes, et ex eis ingentem nimium et ignitam evulsisse molem, eamque primo rotundasse forcipibus, deinde in Caucaso monte malleo solidasse; post hec ultra Taprobanem detulisse, et globum illum lucidum sexies undis 10
mersisse, totidemque circum rotasse per auras, et hoc ideo ne ulla unquam posset circumitione diminui, aut evi labefactari rubigine, et ut agilis ferretur undique. Qui confestim se tollens in altum, domum intravit Poli, patrisque sedem omnem complevit fulgore. Ex immersionibus autem eius, aque 15
ante dulces amaritudinem sumpsere salsedinis, et aer ad percipiendos lucis radios ex rotationibus aptus affectus est. Orpheus vero, qui fere poetarum omnium vetustissimus fuit, ut Lactantius in libro Divinarum institutionum scribit, opinatus est Phytone hunc primum maximum et verum deum esse, et ab ipso cuncta fuisse producta atque creata. Quod forsitan hoc 20
in opere locum illi primum quesisset, tanto asserente teste, nisi ipsemet Orpheus, minus advertens reor, seu quia nequiret animo concipere quenquam fuisse ingenitum, scripsisset: Prothogonos Phyton perimetheos neros iyos. Quod in latinum versum sonat: Principio genitus Phyton longo aere natus. Et 25
sic non primus ut dixerat, si aere genitus est. Hunc preterea Lactantius ubi supra Phaneta vocat. Sed iam sumptus expetit ordo ut videamus quid contegat fictio, quod explicato sensu nominum fere apparebit liquido. Ugucio in libro vocabulorum dicit, Phytone solem esse, et hoc illi quesitum nomen a 30
Phytone serpente ab eodem superato. Sic et Paulus, in libro quem Collectionum intitulat, dicit: Phanos seu Phanet idem esse quod apparitio. Sic enim Phytone hunc Lactantius vocat. Quod quidem nomen Soli optime competit, ipse enim est qui

surgens apparet, eo autem cessante, nulla erit ceterarum creaturarum apparitio mortalium, seu etiam syderum. Ergo solis creationem vult ostendere Pronapides. Circa quam ut eorum sequatur opinionem qui ex terra omnia volunt condita, inducit
5 deum seu terre divinam mentem ex Acroceraunis montibus sumpsisse materiam, ratus ignitam terram ad componendum lucidum corpus aptiorem. Quod autem hanc molem forcipibus rotundasset intelligo divinam artem, qua a deo solis globus adeo spericus factus est, ut nulla superfluitate eius superficies
10 gibbosa sit. Equo modo et malleus dici potest summi artificis intentum, quo in Caucaso monte, id est in celi summitate adeo corpus illud solidum formavit ut nulla ex parte dissolvi aut minui videatur. Inde dicit eum delatum ultra Taprobanem, ut ostendat ubi creatum opinetur; est enim Taprobanes orientalis
15 insula hostio Gangis fluminis opposita, qua ex parte nobis in equinoctiis sol oritur; et sic in Oriente compositum videtur velle. Mersum tamen ibi sexies undis dicit, imitatus fabrilis actus qui ad durandum ferrum illud fervidum aquis immergunt. Et in hoc arbitror Pronapidem voluisse perfectionem et eternitatem corporis huius designasse, est quidem sex perfectus
20 numerus se ex suis partibus omnibus conficiens, ex quo vult intelligamus et artificis et artificiati perfectionem. Quod autem sexies rotatum sit, puto per numerum perfectum rotationis, voluerit eius circularem et indeficientem motum describere, a
25 quo nunquam exorbitasse aut destitisse compertum est. Quod ob ingentis et igniti corporis demersionem, aque primo dulces amare facte sint, non ob aliud dictum puto, nisi ut ostendatur quod ob continuam radiorum solis ferventium percussione aquarum maris aque superficietenus salse facte sint, ut appro-
30 bant physici.

CAP. VIII

De Terra ex filiis Demogorgonis octava, que ex incognitis parentibus quinque genuit filios; quorum primus Nox, secundus Tartarus, tertius Fama, quartus Taigetes, quintus Antheus.

Terra, ut supra patet, Demogorgonis fuit sedes et filia, de qua Statius in Thebaide scribit sic: o hominum divumque eterna creatrix, Que fluvios silvasque animarum semina mundi Cuncta Prometheasque manus Pyrreaque saxa Gignis, et impastis que prima elementa dedisti Mutastique viros, que pontum ambisque vehisque: Te penes et pecudum gens mitis et ira ferarum Et volucrum requies; firmum atque immobile mundi Robur inoccidui, te velox machina celi Aere pendente vacuo, te currus uterque Circumit, o rerum media indivisaque magnis Fratribus! ergo simul tot gentibus alma, tot altis Urbibus ac populis subterque et desuper una Sufficis, astriferumque domos Athlanta supernos Ferre laborantem nullo vehis ipsa labore etc. In quibus profecto carminibus | satis terre opus et laudes ostenduntur, de cuius generatione quoniam supra ubi de Litigio dictum est reiterandum non censeo. Eam tamen veteres Titanis dixere coniugem, eamque ex patris concubitu, ut premonstratum est quosdam suscepisse filios; et ex Oceano nepote atque ex Acheronte infernali fluvio, nec non ex aliis incognitis, ut decenti demonstrabitur loco. Vocavere eam preterea multis nominibus, ut puta Terram, Tellurem, Tellumonem, Humum, Arridam, Bonam deam, Matrem magnam, Faunam et Fatuam. Habet et preterea hec cum quibusdam deabus communia nomina. Dicitur enim Cibeles, Berecinthia, Rhea, Opis, Iuno, Ceres, Proserpina, Vesta, Ysis, Maia et Medea. Sed quid circa predicta theologi voluerint veteres, videndum est. Dicunt eam Titanis, qui sol est, coniugem, eo quod in eam sol agat tanquam in dispositam materiam ad producendum animantia quecunque atque metalla et preciosos lapides et huiusmodi. Non nulli volunt Titanum hominem ingentis potentie fuisse et terre virum dictum eo quod multum

terre possideret, et filios suscepisset tanta prestantes fortitudine
 et corporis mole ut non ex muliere sed ex ingentiori corpore,
 ut puta terra, suscepti viderentur. Et ut ad nomina veniamus,
 dicit Rabanus in libro de Originibus rerum, eam terram nun-
 cupari eo quod teratur, quod ad superficiem solam spectat.
 5 Tellus autem, ut idem testatur Rabanus, dicta est quia fructus
 ex ea tollamus. Servius autem dicit eam terram esse que teri-
 tur, tellurem vero deam. Et alibi dicit: Tellurem deam esse,
 terram autem elementum; sed quandoque tellurem pro terra
 10 poni, sicut pro igni Vulcanum et Cererem pro frumento.
 Tellumonem vero, ut ego coniectura possum percipere, eam
 terre partem dixere que nec teritur nec radicibus graminum
 aut arborum usui est, eo quod longe sit tellure inferior. Humus
 vero, ut asserit Rabanus ea pars terre dicitur que plurimum
 15 habet humiditatis, ut puta palustris et propinqua fluminibus.
 Aridam autem terram vocavere non quia sic illam a creatione
 creator nuncupaverit, ut eius veram complexionem ostenderet,
 sed eo quod aretur. Bona autem dea, teste Macrobio Satur-
 20 naliorum ideo dicta est quod nobis omnium bonorum ad vi-
 ctum causa sit cum ipsa germinantia nutriat, fructus alat,
 escas avibus et pabula brutis exhibeat, ex quibus et ipsi nu-
 trimur. Matrem autem magnam, ut ait Paulus, vocari voluere
 qui arbitrati sunt eam rerum omnium cre|atricem. Ego equi- 15 d
 dem arbitror quia tanquam pia mater et maxima sua ubertate
 25 nutriat cuncta mortalia et suo gremio morientia cuncta susci-
 piat. Cur autem Faunam dixerint Macrobius Saturnaliorum
 libro describit, dicens: quod omni usui faveat animantium,
 quod adeo manifestum est ut licteris explicari non egeat. Fa-
 tuam vero a fando dictam dicit idem Macrobius veteres vo-
 30 luisse, eo quod infantes partu editi non prius vocem habeant
 vel emittant quam ipsam contigerint. Que vero ex nominibus
 cum aliis communia sunt, ubi de illis mentio in sequentibus
 fiet intelligenda dicentur, et ad explicandum de filiis quos ex
 incerto patre genuisse dixerunt veteres veniemus.

CAP. IX

De Nocte prima Terre filia.

Ex incerto patre dicit Paulus Noctem Terre fuisse filiam, de qua talem Pronapides in Prothocosmo fabulam scribit. Eam scilicet a Phanete pastore dilectam cui petenti cum mater vellet copulare connubio, dixit se ignotum habere hominem, nec unquam vidisse, audisse tamen illum suis adversum moribus et ideo mori malle quam illi nubere. Quam ob rem indignans Phanetes ex amatore hostis factus dum illam occisurus sequeretur, illa se copulavit Herebo, non ausa ubi Phanetes esset apparere. Dicit insuper Theodontius huic a Iove concessam quadrigam eo quod illi faulrix fuisset, dum ante lucem accederet ad Alcmenam. Hanc insuper quantumcunque fusca sit picta ornaverunt clamide. Et in eius laudem, et ut eius pro parte demonstraret effectus Staius hos in Thebaide cecinit versus: Nox que terrarum celique amplexa labores Ignea multivago transmittis sydera lapsu, Indulgens reparare animum, dum proximus egris Infundat Titan agiles animantibus ortus etc. Sed nunc quid sibi fabule veri tegant videamus. Dicunt igitur ante alia eam absque cognito patre terre filiam; quod ob id arbitror dictum, quia terra densitate sui corporis operatur ut radii solares nequeant in partem oppositam penetrare. Et sic causam dante terra umbra tam grandis efficitur quantum spatii a dimidio corporis terre occupatur. Que quidem umbra nox dicitur et sic tanquam a terra et non ab alia re causata absque cognito patre Noctis tantum filia arbitratur. Quod autem a Phanete pastore dilecta sit, hoc modo intelligendum reor. Phanetem ego solem puto ideo pastorem dictum quia suo opere viventia cuncta pascantur. Eum autem adamasse Noctem fictum existimo quia tanquam dilectam sibi videre cupiens rapido cursu sequitur, et illi videtur appetere copulari. Illa vero renuit, nec minus volucris passu fugit quam sequatur; eo quod sibi mores adversos habeat cum illum innotet, ipsa autem obscurum faciat, nec frustra se si illi iungatur morituram dicit;

cum sol luce sua omnem dissolvat obscuritatem, et sic eius hostis efficitur. Demum Nox Herebo iungitur, id est inferno in quem cum nunquam solares penetrent radii, Nox viget atque segura consistit. Quod autem Iovi faverit fabula manifestat, ut patet per Plautum in *Amphytrione*; nam cum accessisset in diluculo Iuppiter ad Alcmenam, Nox ut illi prestaret obsequium tanquam a crepusculo nocturno inchoasset, perseveravit in longum ex quo quadrigam meruit, per quam circumitionem terre continuam quam facit intelligo. Per quattuor autem rotas ex quibus quadriga constat, quattuor arbitror significari noctis tempora solum nocturne quieti servientia. Dividitur autem nox a Macrobio in libro *Saturnaliorum* in septem tempora, quorum primum sole intrante incipit, et dicitur crepusculum a crepero, quod est dubium, eo quod dubitari videatur diei preterite, an venienti nocti attribuendum sit, et hoc non deservit quieti. Secundum autem, cum iam obscurum sit, fax prima dicitur, eo quod tunc faces accendantur, nec hoc quieti accommodum. Tertium vero, cum iam nox densior sit, nocte concubia nuncupatur, eo quod quieturi vadamus concubitum. Quartum nox dicitur intempesta, eo quod nulli operi tempus aptum sit. Quintum autem gallicinium vocitatur, eo quod a medio sui nocte in diem tendente, galli cantent. Sextum vero dicitur conticinium iam aurore proximum, et ideo sic dictum, eo quod tunc videatur ut plurimum grata quies et ob id omnia conticescunt et hec quattuor quieti presentantur. Septimum appellatur diluculum a die iam lucescente, in quo solertes assurgunt operi, quod minime somno aptum est. Et sic totidem rote sunt currui Noctis quot in ea sunt tempora quieti tantummodo servientia. Seu volumus more nautarum et castrensiu[m] vigilum noctem in partes quattuor dividere, in primam scilicet et secundam et terciam atque quartam vigiliam, et sic quadrigae rotas quattuor ex totidem vigiliis componemus. Quod autem picta palla amicta sit, facile videri potest illam celi ornatum significare quo tegitur. Nox autem, ut ait Papias, ideo dicitur quia noceat oculis; aufert enim illis videndi officium, cum nil nocte cernamus. Nocet

insuper quia male agentibus apta est, cum legamus: Qui male
 16 b malo operi aptiores. Et dicit | etiam Iuvenalis: Ut iugulent
 homines surgunt de nocte latrones. Omerus preterea in Yliade
 eam domitricem deorum vocitat, ut sentiamus quoniam nocte 5
 magnanimes ingentia pectoribus versant, tamen nox minime
 talibus apta ebullientes opprimit spiritus, eosque tanquam
 domitos in lucem usque coeracet. Fuerunt insuper huic tam
 ex viro quam ex aliis filii plures ut in sequentibus describetur.

CAP. X

De Fama secunda ex filiis Terre.

Virgilio celestis ingenii poete placet Famam Terre fuisse
 filiam, dum dicit in Eneide: Illam Terra parens, ira irritata
 deorum Extremam, ut perhibent, Ceo Encheladoque sororem
 Progenuit etc. De hac ut appareat originis sui causa talis a 15
 Paulo recitatur fabula. Quod cum ob regni cupidinem bellum
 inter Titanos gigantes, Terre filios, et Iovem esset exortum,
 eo itum est ut omnes Terre filii qui Iovi adversabantur occi-
 derentur a Iove, et diis aliis. Quo dolore Terra irritata et
 vindicte avida, cum sibi adversus tam potentes hostes arma 20
 deessent, ut illis quibus poterat viribus aliquid mali ageret,
 coacto utero, Famam emisit scelerum superum relatricem.
 Huius autem incrementum et formam describens, Virgilius
 ait sic: Fama malum quo non aliud velocius ullum Mobilitate
 viget viresque acquirit eundo. Parva metu primo mox sese 25
 attollit in auras Ingrediturque solo et caput inter nubila condit.
 Et paulo post hec ait: Pedibus celerem et pernibus alis.
 Monstrum horrendum ingens cui quot sunt corpore plume,
 Tot vigiles oculi subter mirabile dictu Tot lingue totidem ora
 sonant tot surrigit aures. Nocte volat medio celi terreque per 30
 umbram Stridens nec dulci declinant lumina somno. Luce
 sedet custos aut summi culmine tecti Turribus aut altis et
 magnas territat urbes, Tam ficti pravique tenax quam nuntia

veri. Sentis, optime rex, quanto verborum ornatu, quanto le-
 pore, quam succipleno, quanque industriosa fictione Virgilius
 quid sit Fama, quid eius augmentum, quid eius opus conetur
 ostendere et ostendat? Sentis equidem, sed ut qui te preter
 5 lecturi sunt ampliuscule videant, libet explicare paululum, pre-
 misso tamen quid velit fabula Pauli. Dicit ergo primo irrita-
 tam terram ira deorum. Circa quod pro iratis diis, syderum
 opus circa quedam intelligo. Sydera enim seu supercelestia
 corpora procul dubio in nos agunt potentia eis a crea|tore
 10 concessa secundum dispositiones suscipientium eorum influen-
 tias; et hinc fit ut puer vel adolescens augetur eorum opere,
 cum diminuatur senescens et cum nunquam a ratione guber-
 natoris optimi separentur, non nunquam aliqua faciunt que
 mortalium repentino falsoque iudicio tanquam irata fecisse
 15 videntur, ut puta dum iustum regem, dum felicem imperato-
 rem, dum strenuum militem in finem suum deducunt. Et ideo
 iratos dixit deos Paulus, quia occiderint illustres viros, quos
 perpetuandos rebantur homines. Sed quid ex hoc sequitur,
 irritatur ab hoc opere, quod deorum iram vocant, Terra, id
 20 est animosus homo, nam terrei sumus omnes; et ad quid
 irritatur? Ut pareat Famam ultricem future mortis, id est ut
 id agat propter quod Fama sui nominis oriatur, ut dum deo-
 rum ira ceciderit illius nomen agente meritorum Fama superstes
 sit, etiam nolentibus his, qui homines occidendo eum omnino
 25 auferre conati sunt. Ad quod nos idem hortatur Virgilius dum
 dicit: Stat sua cuique dies breve et irreparabile tempus Omni-
 bus est vite sed Famam ostendere factis Hoc virtutis opus etc.
 Hanc autem Famam ideo malum dixit Virgilius quia non
 equo passu ad eam perquirendam tendimus omnes. Nam per
 30 fraudes ut plurimum summa occupari sacerdotia cernimus,
 dolo victorias obtineri, principatus possideri violentia, et ea
 quecunque per fas et nefas que nomina solent in lumen extol-
 lere. Nam si per virtutem agatur tunc non malum iure dicitur
 Fama. Verum in hoc inproprie locutus est autor usus pro
 35 infamia vocabulo Fame, cum si fictionem inspiciamus, seu
 potius fictionis causam satis advertemus ex ea infamiam non

Famam secutam. Hanc insuper dicit metu primo parvam et
 sic est; nam quantumcunque grandia sint facinora ex quibus
 oritur a quodam tamen audientium metu videtur incipere; mo-
 vemur quidem auditu primo rei alicuius, et si placet eam
 falsam esse timemus, si vero displicet equo modo ne vera sit 5
 extimescimus. Mox sese tollit in auras, id est in ampliacionem
 locutionis gentium evolat, seu mediocribus miscetur viris; et
 inde se solo infert hoc est in vulgus et plebeios, et tunc caput
 inter nubila condit cum se ad reges atque maiores effert. Pernix
 etiam est, id est velox, nil enim ut ipsemet dicit velocius est. 10
 Monstrum autem ingens asserit et horrendum ratione corporis
 quod illi describit, volens in hoc quod omnes eius plume, cum
 avem dicat propter eius celerem motum, habeant hominis effi-
 giem; ad hoc ut per hoc intelligatur unumquenque de aliqua
 re loquentem pennam unam addere Fame, et sic ex multis 15
 cum multe sint avium penne non ex paucis Fama conficitur.
 Seu potius monstrum horrendum hanc vocant quia fere nun-
 quam superari potest. Nam quanto magis quis illam conatur
 16 d opprimere tan|to magis exinde sit maior quod monstruosum
 est. Dicit insuper omnes eius oculos vigiles esse, eo quod non 20
 nisi a vigilantibus personet fama; nam si in somnium tendet
 locutio evestigio fama vertitur in nichilum. Nocte eam medio
 celi volitantem, ob id dicit quod sepiissime contigisse com-
 pertum est sero scilicet factum aliquid, et mane etiam in remo-
 tissimis partibus cognitum non aliter quam si nocte volaverit. 25
 Seu id dicit ut ostendat vigilantiam gerulonum. In die autem
 eam sedere dicit custodem, ut ostendat quod ob eius relata
 custodes portis territarum urbium apponantur, et in turribus
 ad excitandum vigiles vel ad speculandum a longe. Et cum
 inter veritatem et mendacium non distinguat, contenta est 30
 pro veris quecunque audita referre. Huius preterea domum in
 maiori suo volumine sic describit Ovidius: Orbe locus medio
 est inter terrasque fretumque Celestesque plagas, triplicis con-
 finia mundi, Unde quod est usquam, quamvis regionibus absit,
 Inspicitur, penetratque cavas vox omnis ad auras. Fama tenet 35
 summaque locum sibi legit in arce Innumerosque aditus ac

mille foramina tectis Addidit, et nullis iuclusit limina portis:
 Nocte dieque patet, tota est ex ere sonanti, Tota fremit vo-
 cesque refert iteratque quod audit. Nulla quies intus nullaque
 silentia parte; Non tantum est clamor sed parve murmura
 5 vocis, Qualia de pelagi, si quis procul audiat, undis Esse
 solent, qualemve sonum, cum Iuppiter atras Increpuit nubes,
 extrema tonitrua reddunt. Atria turba tenet: veniunt, leve
 vulgus, euntque Mixtaque cum veris pariter coniuncta va-
 gantur. Milia rumorum confusaque verba volutant. Ex quibus
 10 hi vacuas replent sermonibus aures. Hi narrata ferunt aliis
 mensuraque ficti Crescit, et auditis aliquid novus adicit autor.
 Illic credulitas, illic temerarius error, Vanaque letitia est, con-
 sternatique timores, Seditioque recens, dubioque autore sus-
 surri. Ipsa quid in celo rerum pelagoque geratur Et tellure
 15 videt, totumque inquirat in orbem etc. Satis hec etiam minus
 erudito patentia sunt et ideo quid sibi velit Paulus dum addidit,
 fabule famam genitam ut turpia deorum facta narraret vidisse
 super est quod nil aliud autumo propter quod, cum minores in
 maiores nil viribus possint illata verbis maioribus infamia
 20 conantur ulcisci. Terre autem ideo filiam voluere, quia non
 aliunde quam ex gestis in terris fama sit. Quod autem patre
 careat non absurde dictum est, cum ut sepiissime rerum a fama
 gestarum que ut plurimum falsissime sunt ignoretur autor,
 qui compertus patris loco describi posset.

25

CAP. XI

De Tartaro III^o Terre filio.

Tartarum asserit Theodontius absque patre Terre fuisse
 filium. Hunc Barlaam dicit inertem atque torpentem matris
 adhuc | in utero iacere, eo quod invocata Lucina favere partui
 30 noluisset ob id quod Famam in deorum ignominiam pepe-
 risset. Figmentum hoc ab effectu causam sumpsit; non erat
 enim Lucina non nascituro seu partui non futuro prestatura
 favorem; arbitrati sunt quidam veteres circa terre centrum

17 a

locum esse concavum et in eodem sontium anime penis affligi, ut satis in descensu Enee ad inferos ostendit Virgilius. Hunc Tartarum dici volunt, et hoc secundum Ysidorum ubi De ethimologiis a tremore frigoris dictum; nam ibi nec solis umquam potuit penetrare radius nec aeris motus est aliquis, confricatione cuius caleferi possit. Quod autem in utero matris torpeat satis apparet, non enim ad superiora potest ascendere, et si ascendat non erit amplius Tartarus. Terre autem filius improprie dicitur; nam quantumcunque conceperit mulier, nisi in lucem conceptus venerit, iure filius dici non poterit. Dicitur autem absque patre conceptus, eo quod credamus terre corpus concavitates habere, non tamen satis certi sumus an a creatione an a secuto post creationem eventu habuerit. In testimonium autem predictorum dicit Virgilius: Tartarus ipse Bis patet in preceps tantum tenditque sub umbras, Quantus ad ethereum celi suspectus Olimpum etc. Nec multo post ait: Hic genus antiquum Terre Titania pubes Fulmine deiecti fundo volvuntur in imo etc.

CAP. XII

De Tagete IIII^o Terre filio.

Tages, ut asseruere gentiles et potissime Tusci, absque cognito genitore, Terre filius habitus est. De quo refert Paulus Perusinus: quod cum apud Etruscos in agro Tarquiniensi aliquantulum tellus intumisset, is villicus cuius erat agellus novitate rei permotus avidusque videre quid esset ostenti monstratura turgiditas aliquandiu expectavit, tandem impatiens more, ligone sumpto, locum cepit sensim effodere, nec multum effodit, et ecce ex glebis prosilivit infantulus. Quo monstro perterritus rudis homo vocavit affines, nec diu et is qui modo infans erat, etate provectus visus est, et inde senex, et cum incolas aruspicinam docuisset repente nusquam comparuit. Auditores autem arbitrati numen et terre credidere filium et nominavere Tagetem, quod idem olim lingua sonabat

etrusca, quod latina deus; eumque postea loco summi numinis
 coluere. Ysidorus vero ab aratore gleba vomere summota in-
 fantem compertum dicit, nec amplius una die ab Etruscis
 visum, et in illa eos aruspicinam docuisse et ex ea libros
 5 etiam reliquisse, quos postea Romani in linguam propriam tran-
 stulere. Huius figmenti talem fuisse sensum existimo. Quendam
 scilicet esse potuisse qui diu | studens circa aruspicinam, et 17 b
 ob contemplationis commodum consortio hominum aspernato
 doctus repente unde minime credebatur comparuit, et quia
 10 forsitan ex antro aliquo exire visus est, Terre puerperium fictum
 est, vel in oculos agrum colentes inopinatus affuit, quasi pro-
 disset ex glebis a rudi vulgo Terre filius dictus est, et ideo
 absque patre quia incognita eius fuerit origo. Consuevere pre-
 terea veteres externos ignotos terrestri itinere ad se venientes
 15 Terre filios vocitare, uti Neptuni qui adveherentur navigio.
 Infans autem dictus quia novus et confestim proventus et senex,
 eo quod eruditus et prudens, quod senum est, compertus sit.
 Quod in agro Tarquiniensi contigerit, seu quia aut sic fuit
 ibidem scilicet Tagetem primo cognitum, seu quia Etrusci
 20 aruspicina clarissimi fuere. In brevi autem termino more de-
 signatur affectio grandis incolarum ad eum. Nam dilecte rei
 mora etiam si longissima sit, diligenti videtur brevissima. Eum
 autem deum habitum ob id contigisse puto, ut doctrinam quam
 summe colebant deo autore nobilitarent.

25

CAP. XIII

De Antheo V° Terre filio.

Anthem omnes terre dicunt filium, et quia nemo illi pa-
 trem designat, inter genitos incerto patre eum apponere ne-
 cesse fuit; de quo sic scribit Lucanus: Nondum post genitos
 30 tellus effeta gigantes Terribilem Libicis partum concepit in
 antris. Nec tam iusta fuit terrarum gloria Thyphon, Aut Titios
 Briareusque ferox celoque pepercit, Quod non Flegreis An-
 theum sustulit arvis. Hoc quoque tam vastas cumulavit mu-

nere vires Terra sui fetus que cum tetigere parentem, iam
 defeta vigent renovato robore membra. Hec illi spelunca
 domus; latuisse sub alta Rupe ferunt, epulas raptos habuisse
 leones. Ad somnos non terga fere prebere cubile Asserunt
 non silva torum viresque resumpsit, In nuda tellure iacens, 5
 periere coloni, Arvorum Libie pereunt quos appulit equor,
 Auxilioque diu virtus non ausa cadendi Terre spernit opes.
 invictus robore cunctis Quamvis staret erat etc. Apparet ergo
 per Lucani carmen quam grandis quamque fortis et ferus 10
 fuerit Antheus, ad quem ut idem testatur Lucanus, ut cum
 eo luctam iniret accessit Hercules laborum victor, et cum in
 agone essent eumque sepius prostratum robustiorem resur-
 gentem cerneret, advertens quod a terra vires recuperaret,
 iam fessum ulnis in altum extulit, tanque diu tenuit donec
 spiraret. Fabule huius sensus duplex est, hystoricus et moralis. 15
 Videtur enim Pomponio Mele in libro Cosmographie placere,
 hunc regem in extremis Mau|ritanie fuisse, asserens apud Am- 20
 pelusiam promontorium in oceanum Athlanticum tendens esse
 specum Herculi sacram et ultra eam Tingem oppidum per-
 vetustum ab Antheo, ut ferunt, conditum et in testimonium 25
 ostenditur ab incolis parma ingens ex elephante et ob magni-
 tudinem nulli nunc habilis quam ab eo gestatam asserunt et
 summe colunt. Nec non monstratur ab eisdem collis modicus
 resupini hominis iacentis habens ymaginem, quem eius tumu- 30
 lum fuisse confirmant. Adversus hunc dicit Theodontius Dio-
 nisium Thebeum qui ob insignem eius virtutem Hercules
 appellatus fuit, bellum habuisse, et qui cum advertisset eum
 sepius in Mauritania prostratum et evestigio exercitus restau-
 rantem, ficta fuga eum ad se persequendum in Libiam usque 35
 traxit, ubi vero eum superavit et occidit. Leontius vero dicebat
 hunc Herculem fuisse Nyli filium, quem ego unum et idem
 cum superiori puto. Eusebius autem in libro Temporum dicit
 hunc Antheum palestrice artis fuisse doctissimum et quorum-
 cunque certaminum que exercentur in terris, et ob id ostendit
 se arbitrari fictum quod Terre fuerit filius, et quod viribus 35
 restauraretur ab ea. Fulgentius quidem moralem sensum fi-

ctioni subesse demonstrat, dicens Antheum de terra natum libidinem esse que sola ex carne nascitur, qua tacta et si fessa sit in vires resurgit, verum ab homine virtuoso carnis denegato tactu superatur. Hunc fuisse dicit Augustinus regnante Argis
 5 Danao; Eusebius autem regnante Athenis Egeo; Leontius regnante apud Argivos Argo.

CAP. XIV

De Herebo VIII^o Demogorgonis filio, cui fuerunt filii XXI. Quorum
 10 primus Amor, II^a Gratia, III^{us} Labor, IV^a Invidentia, V^{us} Metus,
 VI^{us} Dolus, VII^a Fraus, VIII^a Pertinacia, VIII^a Egestas, X^a Miseria,
 XI^a Fames, XII^a Querela, XIII^{us} Morbus, XIII^a Senectus, XV^{us} Pal-
 lor, XVI^a Tenebra, XVII^{us} Somnus, XVIII^a Mors, XVIII^{us} Caron,
 XX^a Dies, XXI^{us} Ether.

Expeditis Terre filiis ad Herebum stilus revocandus est,
 15 qui, ut Paulus ait a Crisippo traditum, filius fuit Demogor-
 gonis et Terre. Hunc ego arbitror unum et idem cum Tartaro,
 cum eum veteres omnes existimare videantur in remotissimis
 terre visceribus esse, et in eodem, uti de Tartaro diximus,
 suppliciis sontes puniri. De hoc tamen multa scribuntur ab
 20 antiquis et potissime a Virgilio in VI^o Eneide libro, que sub
 compendio pertransibo, eo quod fere de omnibus fiet in se-
 quentibus prolixior mentio. Dicit ergo Virgilius quod in fau-
 cibus huius sunt terribiles visu he forme scilicet Luctus et
 ultrices Cure, Morbi pallentes, et tristis Senectus atque Me-
 25 tus | et Fames Egestasque terribilis et horribiles visu Letum
 Laborque, Sopor et mala mentis gaudia, Bellumque letiferum
 ac Eumenis et Discordia et ulmus somniorum sedes, Centauri,
 Scille, Briareus, Lerneusque serpens et flammis armata Chi-
 mera una cum Gorgonibus, Arpiis et tricorporeo Gerione et
 30 trifauce Cerbero limina servante Ditis. Preterea hunc Herebum
 quattuor rigari fluminibus, Acheronte scilicet, Flegetonte Sti-
 geque atque Cocito; et Acherontis nautam dicit esse Caronem,
 morientium animas ad profundiora Herebi transferentem. Insu-
 17 d

per Minoem, Radamantum Eacumque versantes urnis merita intransium inesse describit, et prostratos fulminibus Tytanas, Gigantes et Salmeonem ac Tityon discerptum a vulture; Ysiona perpetua circumvolutum rota, nec non et Sysiphum in altum ingentia pectore impingentem saxa, ac Tantalum inter undas et poma siti fameque pereuntem, et Theseum perpetuo damnatum ocio, aliosque; et hos omnes intra Ditis ferrea menia sub ultrice Thesiphone cruciari. Similiter et hunc idem preter Herebum multis vocavere nominibus ut puta Tartarum, Orcum, Ditem, Avernum, Baratrum et Infernum. Sic et eundem multorum filiorum patrem faciunt. Ceterum his premissis ad detectionem ascondite veritatis veniendum est. Volunt igitur eum Demogorgonis et Terre filium, eo quod Demogorgonem rerum Omnium creatorem arbitrati sunt; Terre autem quia ut patet eius in utero conditus est. Verum eum locum esse penarum non solum gentiles sed non nulli illustres christiani existimavere hac forte ducti ratione. Nam cum summa bonitas deus sit, et qui peccatum committit, quod malum est, et sic malus effectus sit, ut a deo tanquam a suo contrario remotissimus sit, necesse est; nos autem deum in celis habitare credimus, et a celo nulla remotior pars est centro terre, et ob id tanquam in loco a deo remotissimo, ibidem penas luant impii, forsitan non inepte creditum est. De hoc tamen Tullius ubi de questionibus Tusculanis aperte truffatur, ex quo satis existimari potest aliud eruditos veteres sensisse; et ideo cum voluerint duplicem esse mundum, maiorem scilicet et minorem; maiorem eum quem generaliter mundum dicimus, minorem autem hominem, asserentes omnia in minore esse que in maiori describuntur ab eis, credo eos hunc Herebum et hos cruciatus intra minorem mundum, id est hominem esse existimasse, ac voluisse illas horribiles formas quas in vestibulo Herebi describit Virgilius esse causas exteriores, per quas introrsum illa supplicia causantur; seu ea que ab intrinsecis | causata apparent extrorsum quem longe meliorem sensum existimo. Deinceps quidem ut predictorum seriem exponendo prevertam necesse est. Fictum igitur puto in pro-

fundum huius Herebi Ditem esse ferream civitatem, ut per
eam intelligamus profundam obstinati cordis partem, in qua
vere pertinaces non nunquam sumus et ferrei. Tytanes, id
est homines terrenis dediti, et Gygantes, id est superbi pro-
5 strati, ideo vexari dicuntur, ut cognoscamus circa hoc anxiami
terreos et superbos homines animo, qui dum semper extolli
cupiunt, ceco suo iudicio deprimi et vilipendi arbitrantur et
ex excelso deiciuntur aliquando, quod illis est acre tormentum.
Per Tytion autem descriptum a vulture mens cuiuscunque
10 laborantis ut ea que ad eum non spectant agnoscat, accipienda
est, seu illius qui in cumulandis thesauris continua cogitatione
agitatur. Ysion autem perpetua circumvolutus rota circumagi-
tationes optantis regnum ostendit. Sic et Sisyphus saxa re-
volvens in efficacibus ac laboriosis conatibus vitam ducentis
15 declarat. Per Tantalum autem inter undas et poma fame
pereuntem, avarorum hominum curas et angores circa infa-
mem parsimoniam intelligere debemus. Theseus autem ociosus
temerariorum frivolos conatus ostendit, quibus misere crucian-
tur. Dicunt autem hos sub infestatione vexari Thesiphonis,
20 quod sic reor accipiendum. Interpretatur enim Thesiphon
irarum nox, et sic patet qui a talibus cruciantur in se ipsos
irasci, et irarum voces nonnumquam emittere. Per illos autem
tres iudices, hoc intelligo, tres enim personas male agendo
ledere possumus, deum, proximum et nos ipsos, et sic a triplici
25 conscientie iudicio redarguimur et damnamur. Per ianitorem
autem Tricerberum canem, cuius officium est volentes intro-
mittere, et exitum intransibilibus prohibere, tres intelligendas causas
puto rodentes acri morsu deceptorum mentes, letales scilicet
assentatorum blandicie, falsa felicitatis opinio et inanis glorie
30 fulgor, que quidem continue novis decipulis detrahentes igna-
ros, miseris curas augment, et minuere auctas non permittunt.
Circuitur seu inundatur Herebus a quattuor fluminibus, ut per
hoc sentiamus, quia hi qui se ratione deiecta ab inceptis con-
cupiscentiis trahi permittunt, primo recti iudicii perturbata
35 letitia Acherontem transeunt, qui carens gaudio interpretatur,
et sic pulsa letitia ut eius occupet mestitia locum necesse est,

ex qua ob bonum letitie perditum persepe vehemens nascitur
 18 b ira, | a qua in furorem impellimur, qui Flegeton est, id est
 ardens, ex furore etiam in tristitiam labimur, que Stix est, et
 ex tristitia in luctum et lacrimas, per quas Cocitus accipiendus
 est quartus Inferni fluvius. Et sic miseri mortales angimur ceca 5
 concupiscibilis appetitus opinione seducti, intraque gerimus
 quod in visceribus terre a poetis stolidi arbitrantur inclusum.
 Nunc autem quid sibi velint nomina videamus. Herebus enim
 dicitur, ut ait Ugucio, quia nimis hereat illi quem capit. Dis
 autem dicitur a Dite rege suo, qui apud poetas divitiarum 10
 dicitur deus, et hoc ideo quia dives sit, id est abundans locus
 iste, eo quod, in eum descendant ut plurimum hodie morientes,
 olim omnes. Tartarus autem dicitur a tortura, quia torqueat
 quos absorbet. Verum Tartarus est profundissimus infernorum
 locus ex quo, ut opinari videtur Ugucio, Christus neminem 15
 eduxit. Orcus enim dicitur quia obscurus. Baratrum vero a
 forma dictus creditur; est autem Baratrum vas ex viminibus
 confectum a parte superiori propatulum, ab inferiori autem
 acutum, quo utuntur agrestes Campani, dum ex vitibus arbo-
 ribus annexis vindemiantes uvas colligunt, et hoc ideo dictum 20
 ut intelligamus infernum amplissimas fauces ad suscipiendum
 damnatos habere, ad eos vero servandos artissimum locum
 atque profundum. Infernus autem dicitur quia omnium terre
 partium inferior sit. Avernus autem ab a, quod est sine, et
 vernos quod est gaudium, dicitur, eo quod gaudeo careat et 25
 tristitia lugeat sempiterna.

CAP. XV

De Amore primo Herebi filio.

Ex filiis Herebi primus occurrit Amor, quem ab eo exnocte
 susceptum ubi de Naturis deorum Tullius asserit. Quod for- 30
 san, regum serenissime, videretur tibi monstruosum, ni verum
 monstraretur ratione possibili. Antiquorum sententia fuit amo-
 rem esse animi passionem, et ideo quicquid optamus id amor

est. Verum quoniam in diversum nostre affectiones feruntur finem ut amor non idem circa omnia sit, necesse est, et ob id in parvum numerum redactis mortalium desideriis, triplicem illum maiores dixere. Et ante alios Apuleio teste, eo in libro quem De dogmate Platonis scripsit, asserit Plato tres non amplius amores fore. Quorum primum dixit esse divinum, cum incorrupta mente et virtutis ratione convenientem. Alterum degeneris animi corrupteque voluntatis passionem. Tertium ex utroque permixtum. Post quem auditor eius Aristotiles mutatis potius fere verbis quam sententia eque triplicem voluit; primum dicens propter honestum, secundum propter dilectabile, tertium propter utile moventem captos a se. Sane quoniam nec is de quo sermo divinus aut propter honestum est, nec ex duobus aliis permixtus, aut propter delectabile, verum degeneris animi, et propter utile, merito eum iuxta sententiam Ciceronis, filium Herebi noctisque dicemus, id est cece mentis et obstinati pectoris. Ab hoc enim in execrabilem auri famem impellimur. Ab hoc in cupidinem imperii inexplebilem. Ab hoc in stolidum periture glorie desiderium. Ab hoc in funestam amicorum cedem. Ab hoc in periclitationes urbium, furta, fraudes, violentias et dolosa consilia | miseri trahimur. Hac peste afficiuntur gnatonici, histriones, assentatores et huiusmodi perniciosa manus hominum ridentem insipientium sequentes fortunam, et eo utuntur ad enudandos blanditiis et falsis laudibus milites gloriosos. Eum igitur rite pensatis omnibus non amorem, quin imo odium rectius vocaremus.

CAP. XVI

De Gratia Herebi et Noctis secunda filia.

Herebi et Noctis Gratiam esse filiam scribit Tullius, ubi de Naturis deorum. Ego tamen alibi legisse memini Gratias seu Iovis et Auctonoi, seu Liberi patris ac Veneris fuisse filias. Verum ut habeamus quid in hoc senserint qui finxerunt, est sciendum, gratiam esse quandam liberalem mentis affectionem

maiorum potissime in minores, qua nullo precedente merito indulgentie beneficia et obsequia aliquando etiam non poscentibus impenduntur. Harum tamen multiplices esse species reor. Alie quidem dei sunt immortales, quibus amotis nulli sumus. Alie vero hominum inter se, et he in bonum possunt tendere et in malum, quanquam semper in bonum sonare videatur gratia. Has omnes Herebi et Noctis filias variatis tamen parentum sensibus possemus ostendere, sed ut ad hanc omissis in suum tempus reliquis veniamus; reor ego hanc eam gratiam esse que ob aliquod infandum facinus, vel turpes alicuius hominis mores in perverso aliquo ac detestabili viro causatur, et sic Herebi, id est obstinati pectoris, et Noctis, id est cece mentis, erit filia Gratia talis.

CAP. XVII

De Labore tertio Herebi filio.

Labor a Cicerone Noctis et Herebi scribitur filius, cuius quiditas ab eodem huiusmodi designatur. Labor est functio quedam vel animi vel corporis gravioris operis vel muneris. Qua inspecta, merito Noctis et Herebi filius dici potest, is scilicet qui damnosus est et merito reprobandus. Nam uti in Herebo et Nocte perpetua sontium est inquietudo, sic et in secretis cordium penetrabilibus eorum qui ceca tracti cupidine circa superflua et minime oportuna cogitatione agitantur continua, et quoniam cogitationes tales in obscuro causantur pectore, merito Labor talis filius dicitur Noctis et Herebi.

CAP. XVIII

De Invidentia seu Invidia IIII^a Herebi filia.

Invidentiam dicit Tullius Herebi et Noctis fuisse filiam. Qui ubi de questionibus Tusculanis hanc ab Invidia differentem facit, dicens: Invidentiam ad invidum tantummodo pertinere,

cum Invidia ad eum etiam cui fertur pertinere videatur, et de
 ea concludens dicit: Invidentiam esse | egritudinem susceptam 18 d
 propter alterius res secundas que nil noceant invidenti. Huius
 enim habitationes et mores sic describit Ovidius: Protinus
 5 Invidie nigro squalentia tabo Tecta petit: domus est imis in
 vallibus huius Abdita, sole <carens>, non ulli pervia vento,
 Tristis et ignavi plenissima frigoris, et que Igne vacet semper,
 caligine semper abundet. Et paulo post: concusse patuere
 fores, videt intus edentem Vipereas carnes, viciorum alimenta
 10 suorum, Invidiam, visamque oculis avertit. At illa Surgit humo
 pigre, semesarumque relinquit Corpora serpentum, passuque
 incedit inertis; Utque deam vidit formaque armisque decoram,
 Ingemuit, vultumque dee ad suspiria duxit Pallor in ore sedens,
 macies in corpore toto, Nusquam recta acies, livent rubigine
 15 dentes, Pectora felle virent, lingua est suffusa veneno; Risus
 abest, nisi quem visi fecere dolores, Nec fruitur somno, vigi-
 lantibus excita curis, Sed videt ingratos, intabescitque videndo,
 Successus hominum, carpitque et carpitur una, Suppliciumque
 suum est etc. Hos versus si quis plene considerabit, et eam
 20 esse Invidentiam quam nos ampliori licentia Invidiam dicimus,
 et Herebi Noctisque filiam absque difficultate cognoscet.

CAP. XIX

De Metu V° Herebi filio.

Metus, ut sepe dictus asserit Tullius, filius Herebi fuit et
 25 Noctis. Est enim metus, ut idem ait Tullius, rationi adversa
 cautio. Hunc ego horum parentum filium dictum arbitror, quia
 ex remotis a cognitione nostra nostris in pectoribus oriatur.
 Eum tamen duplicem reor, et qui indiscretum virum iure ca-
 dere possit, ut metuisse tonitrua, et qui nulla rationabili causa
 30 impellente, non aliter quam mulierculas non nullas exanimat.
 Hic sub vocabulo pavoris unus ex ministris Martis est, ut
 demonstratur a Statio dicente: Inde unum dira comitum de
 plebe pavorem Quadrupedes ante ire iubet non aliter hanelos

Insinuare metus animumque avertere veris Aptior, innumere
 monstro vocesque manusque, Et < facies > quecumque libet bo-
 nus omnia credi Autor et horrificis linphare incursibus urbes.
 Si geminos soles ruituraque suadeat astra Aut nutare solum 5
 aut veteres descendere silvas. Ah miseri vidisse putant etc.
 Possem, rex optime, multa verba facere huius carminis expli-
 cando partes, ut mores metus aperirem, sed adeo tenuia sunt
 figmenta, ut plura dicere superflua ratus sim. Huic preterea
 ascribit Tullius in Tusculanis questionibus non inadvertenter
 plures subesse ministros, ut puta: pigritiam, pudorem, terro- 10
 rem, timorem, pavorem, exanimationes, conturbationem et for-
 midinem. De quibus omnibus ibidem seriose legitur |
 19 a

CAP. XX

De Dolo Herebi filio VI°.

Est et Dolus, ut Tullio placet, filius Noctis et Herebi. 15
 De quo referre consueverat Barlaam, quoniam ad troyanum
 bellum cum Grecis ivisset, et cum minus armis iretur in votum,
 consultantibus quibusdam ex primatibus de agendis, ab Ulixé,
 cui familiarissimus erat, eum in consilium fuisse deductum.
 Qui cum elatos animos et iactationes atque consilia quorundam 20
 audisset atque aliquandiu secum risisset, rogatus sententiam
 dixit, que etsi non honesta eo quod oportuna videbatur, as-
 sumpta est, et eidem cum Epoo fabricandi equi, negocium
 evestigio commissum est, quo postmodum eo perventum, ut
 optato, iam fessi potirentur Greci. Satis tenue fictionis est 25
 velum, et ideo cur Herebi et Noctis dicatur filius videamus.
 Quod meo iudicio sacris ostenditur licteris. Quibus docemur
 ab Herebo forma serpentis assumpta humani generis hostem
 in terris venisse, et parentum nostrorum mentes dolosis sug-
 gestionibus offuscasse nocte tartarea, et inde tanquam incul- 30
 tum agrum semen iniecisse letiferum, cuius fructus cum in
 legem egissent, extemplo venit in lucem; et sic dolus nondum
 in terris cognitus ab initio manavit ex Herebo, et in utero

cece mentis conceptus, nostra morte et exilio regni celestis
 palam facto, ostendit liquido se filium Noctis et Herebi. Sane
 quia quod gentiles non noverant finxisse non poterant, arbitror
 eos pro Herebo intimum cordis humani recessum intellexisse,
 5 ibi enim cogitationum omnium sedes est, et ideo si eger sit
 animus, virtute neglecta, ut ad optatum deveniat, si desint
 vires, illico dirigit ad artes ingenium; et quoniam facilius
 dolo capiuntur amentes, eo cogitationibus pessimis fabricato,
 et quos capit, et se ipsum letifero alligat laqueo, et sic ex
 10 nocte, id est mentis cecitate, per quam ea via, qua minime
 decet, in desiderium suum tendit, et egri pectoris ignominiosa
 concupiscentia ferventis, dolus creatur et nascitur, et ut plu-
 rimum non ante visus in lucem, quam is in precipitium ve-
 nerit in quem struitur.

15

CAP. XXI

De Fraude VII^a Herebi filia.

Fraus et merito Herebi et Noctis a Cicerone ubi de Na-
 turis deorum dicitur filia, letalis quidem et infanda pestis, et
 inique mentis execrabile vicium. Inter hanc et dolum vix
 20 noscitur esse discrimen, quod si quid interest hoc esse vide-
 tur, dolum scilicet quandoque in bonum operari posse, fraudem
 nunquam preter in malum. Seu potius adversus hostes dolo
 agimus, amicos fraude decipimus. Huius autem formam noster
 Dantes Aligerii Florentinus eo in poemate quod florentino
 25 scripsit ydiomate, non parvi quidem inter alia poemata mo-
 menti sic describit: Eam | scilicet iusti hominis habere faciem,
 corpus reliquum serpentinum variis distinctum maculis atque
 coloribus, et eius caudam terminari in scorpionis aculeum,
 eamque Cociti innare undis adeo ut illis excepta facie totum
 30 contegat horridum corpus, eamque Gerionem cognominat. In
 placida igitur et simili iusti hominis huius facie sentit autor
 extrinsecum fraudolentium habitum; sunt enim vultu et eloquio
 mites, habitu modesti, incessu graves, moribus insignes et spe-

19 b

ctabiles pietate; operibus vero miserabili sub gelu iniquitatis tectis, versipelles sunt, et astutia callidi, et maculis respersi scelerum, adeo ut omnis eorum operum conclusio pernicioso sit plena veneno; et inde Gerion dicta, quia regnans apud Baleares insulas Gerion miti vultu, blandisque verbis et omni comitate consueverit hospites suscipere, et demum sub hac benignitate sopitos occidere. Cur autem Herebi noctisque filia dicta sit, eadem que de Dolo ratio est.

CAP. XXII

De Pertinacia Herebi VIII^a filia.

Pertinacia, insipientum exitiale crimen, secundum Tullium Herebi Noctisque filia est, nec causam videre difficile est. Nam quotiens indigestus mortalium ignavie rigor, rationibus validis, et calori divini fervoris interposita offuscata intellectus caligine molliri non potest, obstinationem seu pertinaciam oriri necesse est, imo iam exorta est, ignorantie certissimum argumentum. Ergo bene Pertinacia Herebi, quem sepe gelidum diximus, et Noctis quam sepe caliginem mentis esse monstravimus, filia est.

CAP. XXIII

De Egestate Herebi filia VIII^a.

Egestas Herebi Noctisque filia non ea est quam plurimi arbitrantur, oportunis scilicet carere. Hanc enim viri fortes tolerantia superavere ut in arenis Libicis Cato. Sed ea est potius cui abundantes falso tracti iudicio succumbunt, ut auri custos Mida Frigum rex, qui dum omnia que tangebatur iuxta votum verterentur in aurum, fame peribat. Hec est ergo vere Herebi filia, id est gelidi cordis et ignavi, ac etiam Noctis, id est ceci consilii, extimantis optimum divitias augere, ut usu careamus earum.

CAP. XXIV

De Miseria Herebi X^a filia.

Placet insuper Tullio Miseriam Herebi Noctisque fuisse
 filiam. Hec enim adeo extremum infortunium est, ut possit
 5 prospectantes in misericordiam commovere. Quod quidem nos
 ipsi nobis facimus dum neglecto veritatis lumine perituras res
 abeuntes quocunque modo non aliter ingemiscimus quam si
 perpetuas perderemus, et sic ab offuscato mentis iudicio con-
 cussum pectus suspiriis lacrimisque miseriam emittit in publi-
 10 cum, ut inde filia Noctis et Herebi dici possit. |

19 e

CAP. XXV

De Fame XI^a Herebi filia.

Famem dicit Paulus iuxta Crisippum Herebi Noctisque
 fuisse filiam. Hec autem aut publica est, ut olim premonstrata
 15 Pharaoni, aut privata ut Erisithonis. Publica ex universali
 frugum penuria consuevit contingere. Cuius rei aut divina ira
 causa est, vel diuturnum bellum, seu adversa supercelestium
 corporum dispositio, seu vermes subterranei rodentes semina,
 seu locuste iam sata nascentia devorantes. Ex quibus causa
 20 prime a nemine mortalium nosci potest, et sic dici poterit
 Herebi Noctisque filia, sed non Herebi in visceribus terre
 latentis, aut in egris hominum pectoribus residentis; quin imo
 in profundo divine mentis arcano sanctissime vigilantis, quem
 intellectus hominum mortalitatis caligine offuscatus intueri non
 25 potest, nec etiam noctis divine mentis in qua nil unquam fuit
 obscurum, verum suo semper lumine cuncta clarificat, sed
 nostre imbecillitatis erroris. Ceteras cause huius species asse-
 runt mathematici suis artibus etiam previderi posse. Quod
 utrum verum sit, tu serenissime princeps, cum in talibus ap-
 30 prime te instructum audiverim, optime nosti. Si autem sic
 est, talis fames nec Herebi nec Noctis filia esse posset. Si

autem non sic, tunc ut de deo diximus cum in arcano nature antro repositum videri non possit, linquetur ut talis famēs filia sit Noctis et Herebi ratione iam dicta. Privata autem famēs, aut ex penuria ciborum continget ut plurimum, aut aliquando ex fastidio stomacantium. Si ex penuria, aut inertia, 5
 atque desidia patientis aut egestatis crimine contingit. Si ex inertia vel desidia, ut quandoque videmus quosdam lasciviis potius et ineptiis atque ocio vacare quam rei familiaris curam genere. Hec profecto Herebi Noctisque filia est, eo pacto quo superiores sunt ceteri. Si egestatis crimine dum modo non 10
 ob intemperantiam sit egenus qui patitur, nec hanc Herebi Noctisque filiam puto, nisi ob id dixerim quia ab intrinseco stomachi esurientis procedit. Si vero ob ciborum fastidium famēs sit, ut non nunquam quibusdam discolis atque prava consuetudine nauseantibus contigisse novimus, quibus nisi ex- 15
 quisita edulia, et pulmenta accurate composita, seu regum tucceta et preciosa vina atque forensia apponantur, adeo vulgaria spernunt et respuunt, ut prius se inedia torqueri permictantur quam comedant; nulli dubium quin et hec nata sit Herebi atque Noctis. Huius autem mansionem et formam sic 20
 describit Ovidius: Quesitamque Famem lapidoso invenit in
 19 d agro Un|guibus et raris vellentem dentibus herbas. Hirtus erat crinis, cava lumina, pallor in ore, Labra incana situ, scabre rubigine fauces, Dura cutis per quam spectari viscera possent, Ossa sub incurvis extabant arida lumbis, Ventris erat 25
 pro ventre locus, pendere putares Pectus et a spine tantummodo crate teneri. Auxerat articulos macies genuumque rigebat Orbis, et immodico prodibant tubere tali. Hanc procul ut vidit etc.

CAP. XXVI

De querela Herebi filia XII^a.

Querelam dicit Tullius fuisse filiam Noctis et Herebi. Quod facile concedetur si quid sit sane mentis oculo prospicetur. Est enim morbus male secum convenientis animi, ob

hoc insanum veniens pectus, quia aut subtrahi quod sibi debetur autumat inconsultus homo, aut egre fert sibi non dari quod optat, vel non posse quod cupiat. Et sic quod suum crimen est alienum lumine mentis privatus existimat. Hinc
 5 queritur lascivus amans, hinc auri cupidus, hinc honorum avidus, hinc sanguinis sitibundus et alii plures malum quod introduxerunt ipsi, et prudentes eiecisse poterant flentes.

CAP. XXVII

De Morbo XIII^o Herebi filio.

10 Est et Morbus Herebi Noctisque filius, ut placet Tullio et Crisippo. Hic autem mentis et corporis potest esse defectus, et uti in corpore ab humorum discordantia, sic in mente a morum inconvenientia causatur, et tunc merito huiusmodi parentum, id est cecitatis intrinsece filius nuncupatur, et quoniam
 15 in mortem salutis tendere videatur, morbus, ut placet pluribus, appellatur.

CAP. XXVIII

De Senectute Herebi XIII^o filia.

Senectus etatum ultima et morti contermina solo contingit
 20 corpori, cum rationalis anima tendat viriditate perpetua in eternum. Hec, ut ait Tullius, Herebi fuit Noctisque filia. Quod quidam facile concedi potest, cum illi sit in complexione conformis, frigida scilicet et sicca, et filii similes consueverunt esse parentibus. Est insuper Herebus iners et tremulus a quibus
 25 non degener est senectus, cum, ut cernimus, tremula sit et tarda. Porro quia hebetes offuscatosque sensus habet corporeos, non incongrue illi Noctem dixere matrem. Attamen hoc habet insigne, quia quantum illi subtrahitur virium tantum
 30 menti augetur consilii; ex quo fit ut veneranda sit, et eius cani iuvenum preponantur lacertis.

CAP. XXIX

De Pallore Herebi filio XV°.

Pallor faciei atque totius corporis exsanguis est color, exhausti sanguinis seu egri seu repentini timoris certissimus testis. Hic Noctis et Herebi filius est teste Crisippo. Et hoc 5
ideo quia quicquid a luce solis non cernitur aut a minus bona
vegetatione nutritur pallore facile occupatur; et supra dictum
20 a est quia neque | solem videat neque calorem sentiat Herebus,
et ob id ubi, ista contingunt frigescere sanguinem, et adversa
digestione corrumpi et per consequens oriri pallorem necesse 10
est, ut satis videmus in eis qui diu ceco carcere clausi in
lucem veniunt, aut qui ab egritudine corporea fatigati resur-
gunt, vel subito correpti pavore pallescunt.

CAP. XXX

De Tenebra XVI^a Herebi filia. 15

Herebi Noctisque filiam esse Tenebram nullo interveniente
teste credetur. Sane ne idem mater et filia videantur, in hoc
differunt. Nocte aliqualis luminosa res cernitur, ut luna et
sydera seu ignis aliquando. In tenebra autem nil unquam ap-
paret luminis, et si appareat usquam, desistet esse tenebra. 20

CAP. XXXI

De Somno Herebi filio XVII°.

Somnus |secundum quosdam est intimi ignis coertio et
per membra mollita et labore relaxata diffusa quies. Secundum
vero alios est quies animalium virtutum cum intensione natu- 25
ralium. De hoc sic scribit Ovidius: Somne, quies rerum pla-
cidissima, Somne, deorum, Pax animi, quem cura fugit, qui
corpora duris Fessa ministeriis mulces reparasque labori etc.

Sane longe plenius somni commoda describit Seneca poeta in
 tragedia Herculis furentis dum dicit: Tuque o domitor Somne
 Malorum, requies animi, Pars humane melior vite, Volucer
 matris genus Astree, Frater dure languide mortis Veris mi-
 5 scens falsa, futuri Certus et idem pessimus autor, Pater o
 rerum, portus vite, Lucis requies, noctisque comes, Qui par
 regi famuloque venis. Placidus fessum lenisque fove Pavidum
 leti genus humanum Cogis longam discere mortem Preme de-
 victum etc. Huic preterea Ovidius describit talamum satis
 10 aptum dormiendi cupido, dicens: Est prope Cimmericos longo
 spelunca recessu, Mons cavus, ignavi domus et penetralia
 Somni, Quo nunquam radiis oriens mediusve cadensve, Phe-
 bus adire potest, nebule caligine mixte Exalantur humo du-
 bieque crepuscula lucis. Non vigil ales ibi cristati cantibus
 15 oris Evocat Auroram nec voce silentia rumpunt Solliciteve
 canes canibusve sagacior anser Garrula nec Progne stertentia
 pectora mulcet, Non fera, non pecudes, non moti flamine rami,
 Humaneve sonum reddunt convicia lingue. Muta quies habitat,
 saxo tamen exit ab imo, Rivus aque Lethes, per quem cum
 20 murmure labens Invitat somnos crepitantibus unda lapillis.
 Ante fores atrii fecunda papavera florent, Innumereque herbe,
 quarum de lacte soporem Nox legit, et spargit per opacas
 humida terras. Ianua ne | verso stridorem cardine reddat, Nulla
 25 domo tota est, custos in limine nullus. In medio thorus est
 ebano sublimis in antro, Plumeus unicolor pullo velamine
 tectus, Quo cubat ipse deus membris languore solutis. Hunc
 circa passim varias imitantia formas Somnia vana iacent to-
 tidem, quot messis aristas, Silva gerit frondes, eiectas litus
 harenas etc. Hunc tam spectabili thalamo atque cubiculariis
 30 decoratum deum dicit Tullius Herebi et Noctis fuisse filium;
 cuius rei causa videnda est, et inde videre poterimus de mi-
 nistris, cum satis sensus appareat descripti thalami. Filius
 ergo Herebi Noctisque dicitur Somnus, quia a vaporibus hu-
 midis e stomacho surgentibus et opilantibus arterias, et quieta
 35 obscuritate causetur. Si autem de mentali somno velimus in-
 telligere, non difficilium parentum talium dabitur causa. Nam

calore caritatis perduto et omisa rationis via ut necessarium
 sit in letiferum ire somnum satis apertum est. Nunc autem de
 assistentibus videamus, que somnia sunt multiplicium specie-
 rum, ex quibus quinque tantum super Somnio Scipionis ostendit
 Macrobius. Harum prima vocatur phantasma, que numquam se
 mortalibus miscet nisi lente, dum se incipit somnus immittere,
 existimantibus nobis adhuc vigilare, affertque hec horribiles
 visu formas, et ut plurimum a natura specie et magnitudine
 discrepantes, certamen noxium, aut mirabile gaudium, tem-
 pestates validas, ventosque sonoros et huiusmodi. Huius in
 genere dicit Macrobius esse etiam emactes seu ephyactes vel
 ephyaltes, quem communis persuasio existimat quiescentes
 invadere et suo pondere pressos sentientesque gravare. Et
 huius causam opinantur multi stomachum nimio cibo vel potu
 gravatum, seu longo ieiunio vacuum, et nonnunquam aliquem
 ex humoribus ceteris predominantem. Sunt qui superaddant
 hesitationes, dicantque Virgilium intellexisse Didonem vidisse
 phantasmata dum sorori conquesta est dicens: Que me su-
 spensam insomnia terrent. Et illud insomnia pro phantasmate
 licentia poetica improprie positum. Secunda insomnia nun-
 cupatur a premeditatione causatum, ut Tullius affirmare vi-
 detur in libro Reipublice dicens: Fit enim sepe ut cogitationes
 sermonesque nostri pariant aliquid in somno, quale de Omero
 scribit Emnius, de quo videlicet sepissime vigilans solebat
 cogitare et loqui etc. In hac igitur specie somnii amans dile-
 ctam sibi puellam in amplexus eius occurrentem aspiciet, aut
 fugientem miserrimus | exorabit. Nauta tranquillum mare na-
 vemque pansis velis sulcantem, aut tempestate periclitantem
 aspiciet. Sic et agricola frustra letabitur letas arvis intuens
 segetes, depastasque plorabit. Ingurgitator pocula exhauriet;
 ieiunus cibos aut optabit, aut faucibus vacuis devorabit ap-
 positos. De premeditatis autem a Didone saucia, visa quidam
 volunt, eo quod videatur a Virgilio ostensam premeditationem
 dum dicit: Multa viri virtus animo multusque recursat Gentis
 honos, herent infixi pectore vultus Verbaque etc. Et sic tam-
 quam ex premeditatione perveniens videtur esse insomnia.

Verum quoniam ex affectione procedunt una cum somno in
 auras evanescent, ut ipse idem Virgilius dicit: Sed falsa ad
 celum mittunt insomnia manes. Somnium species tercia ap-
 pellatur, per quod placet Macrobio certa somniari, sed sub
 5 velamine, ut teste Moyse in Pentateuco, vidit Ioseph manipulos
 fratrum suum adorantes, et, ut ait Valerius, Astiages vitem et
 urinam ex genitalibus filie prodeuntem. Hoc autem fieri volunt
 homine existente sobrio, ut plurimum sumus propinquante
 die. Quarta vero species visio nominatur, nullas pre se ferens
 10 ambages, quin imo quod futurum est liquida patefactione de-
 monstrat, ut vidit Arterius Rufus romanus eques dormiens
 Syragusis se scilicet, dum gladiatorum munus inspiceret, re-
 tiiarii manu transfodi, quod die sequenti cum multis nuntiasset
 secutum est. Quinta et ultima somniorum species oraculum
 15 veteres vocavere, quod Macrobius esse vult, dum sopiti paren-
 tes maioresque nostros, gravem hominem aut pontificem, seu
 ipsum deum, aliqua dicentem seu premonentem nos cernimus,
 ut in somnis Ioseph ab Angelo premonitus est, ut acciperet
 puerum et matrem eius et cum eis secederet in Egyptum. Sane
 20 non nulli ex priscis, ut ex verbis Porphyrii phylosophi satis
 percipi potest, omnia per quietem visa vera esse arbitrati sunt,
 sed ut plurimum minime intellecta, et ob hoc videtur Porphy-
 rium, longe aliter quam multi alii faciant, sentire, quod per
 Omerum primo, deinde per Virgilium dictum est, et quoniam
 25 familiare magis Virgilii quam Omeri carmen est, illud dedu-
 camus in medium. Dicit enim Virgilius: Sunt gemine somni
 porte, quarum altera fertur Cornea, qua veris facilis datur exitus
 umbris, Altera candenti perfecta nitens elephanto, Sed falsa ad
 celum mittunt insomnia manes etc. Per hos versus vult Por-
 30 phyrius somnia omnia vera esse, sentiens quod anima, sopito
 corpore, tanquam paululum solutior in suam divinitatem ni-
 tatur, et in latens humanitatem, verum aciem omnem dirigit
 intellectus, et non nulla videat et discernat, et plura videat
 quam discernat, seu longius abdita sint, seu densiori tegmine
 35 oc|cultata, et hinc fit ut quod discernit, esto non plene, ne-
 bula caligantis mortalitatis obsistente, dictum sit per corneam

emitti ianuam, cum cornu huius nature sit, ut extenuatum pervium sit intuitu et tanquam dyaphanum corpus in se recondita videre permittat. Quod autem obsistente carnis caligine videre non potest, id elephanto contectum dicimus, cuius quidem os a natura adeo condensatum est, ut in quantum- 5
cunque tenuitatem redigatur, videre supposita non permittat, que ideo falsa dicit Virgilius, quia minime intellecta sunt, ut ait Porphyrius. Nunc autem superest de ministris videre, qui etsi forte multi sint nomina trium tantum esse cognoscimus. Quorum primum Morphea dictum volunt, quod interpretatur 10
formatio, seu simulacrum, cuius domini iussu officium est quoscunque hominum vultus fingere, verba, mores, voces et ydiomata, ut scribit Ovidius, dicens: At pater e populo natorum mille suorum Excitat artificem simulatoremque figure Morphea, non illo iussos solertior alter Exprimit incessus vultumque sonumque loquendi, Adicit et vestes et consuetissima 15
cuique Verba, sed hic solus homines imitatur etc. Secundum autem Ytathona seu Phabetora quorum ego nominum significatum ignoro; huius tamen officium hoc in carmine dicit Ovidius: Alter Fit fera, fit volucris, fit longo corpore serpens. 20
Hunc Ytathon superi, mortale Phabetora vulgus Nominat etc. Tertium vero dixere Panthum, quasi totum, cuius officium est insensibilia fingere, Ovidio teste, dum ait: Est etiam diverse tratus artis Panth[as]os: ille in humum saxumque undamque trabemque Queque vacant animo fallaciter omnia transit etc. 25
Quasi ex his velint que cernimus dormientes ab exteriori potentia nobis allata sint. Verum utrum sic sit videant alii.

CAP. XXXII

De Morte XVIII^a filia Herebi.

Mors, ut voluere Tullius et Crisippus filia fuit Noctis et 30
Herebi, quam ultimum esse terribilium testatur Aristotiles. Ab hac enim omnes ab ea ipsa die, qua miseri mundum intramus, sensim adeo, ut non advertamus continue carpimur; et cum

cotidie moriamur, tunc vulgato sermone mori dicimur, cum
 mori desinimus. Hanc, et si mille modis miseri rapiamur, aut
 violentam aut naturalem voluere priores. Violenta est que
 5 ferro vel igne, vel casu alio fugienti vel etiam postulanti in-
 fertur. Naturalis autem secundum Macrobius super Somnium
 Scipionis ea est, qua non corpus ab anima, sed a corpore
 anima derelicta est. Vocavere insuper veteres senum mortem
 maturam seu meritam, iuvenum immaturam, puerorum autem
 acerbam dixere. Nec non et aliis multis nominibus appellata
 10 est, ut Atropos, Parca, Letum, Nex et Fatum. Huius etiam di-
 rum opus sic breviter describit Statius: Stigiis emissâ te|nebris, 21 a
 Mors fruitur celo bellatoremque volando Campum operit nigro-
 que viros invitat hyatu. Nil vulgare legens, sed que dignis-
 sima vita, Funera precipuos annis animisque cruento Angue
 15 notat etc. Sed iam que pauca ficta sunt detegamus. Herebi
 illam dicunt filiam quia ab Herebo emissa sit, ut in prescripto
 carmine Statius, Stigiis emissa tenebris, seu quia calore ca-
 reat, ut caret Herebus; Noctis autem ideo filia dicta est quia
 horribilis et obscura videatur. Mors autem dicta est, ut dicit
 20 Ugucio, quia mordeat vel a morsu parentis primi, per quem
 morimur, vel a Marte qui interfector est hominum, vel mors
 quasi amaror, quia amara sit; nil enim hominibus creditur
 amarius morte, eis exceptis de <quibus> dicit Iohannes in
 Apocalipsi: Beati qui in Domino moriuntur. Hec ut placere
 25 videtur Servio, ab Atropu de qua supra differt, quia per hanc
 violentam debemus intelligere mortem, ut satis etiam colligitur
 proximo supra ex carmine Statii. Per Atropon autem vult in-
 tellegi naturalem rerum dissolutionem. Atropos autem dicta
 quia non convertitur. Parcam vero eam per antiphrasim dixere,
 30 eo quod nemini parcat. Sic et letum, cum sit mestissima rerum.
 Necem autem illam proprie arbitror qua aqua, vel laqueo seu
 modo alio spiritus intercluditur. Fatum autem dicta est, eo
 quod divina providentia premonstratum sit, qui nascuntur
 omnes mori debere.

CAP. XXXIII

De Carone Herebi filio XVIII^o.

Charon, Acherontis nauta, Herebi et Noctis filius dicitur a Crisippo. De quo sic ait Virgilius: Portitor has horrendus aquas et flumina servat Terribili squalore Charon cui plurima mento Canicies inculta iacet, stant lumina flamma. Sordidus ex humeris nodo dependit amictus. Ipse ratem conto subigit velisque ministrat Et ferruginea subvectat corpora cimba, Iam senior sed cruda deo viridisque senectus etc. (Charon), quem Servius devolvit in cronon, tempus est. Herebus autem hic pro intrinseco divine mentis consilio intelligendus est, a quo tempus et cetera omnia creata sunt, et sic Herebus Caronis pater. Nox autem illi ob id mater data est, quia ante creatum tempus nulla fuit sensibilis lux, et ideo in tenebris factum est, et ex tenebris productum videtur. Apud inferos vero ideo positus est Caron, quia superi tempore non indigent, ut nos mortales, qui ab illis sumus inferi, indigemus. Quod autem Charon corpora deferat ex una in alteram Acherontis ripam, ideo fictum est ut intelligamus, quoniam tempus confestim ut nascimur suo nos sumit in gremio, et in ripam defert oppositam, id est in mortem, que quidem est nativitati contraria, cum illa deducat in esse, et hec corporibus auferat esse. Vehimur preterea a Charone per Acherontem fluvium, qui absque gaudio interpretatur, ut advertamus, quoniam a tempore trahimur | per vitam labilem et miseriis plenam. Eum preterea dicit Virgilius senem, sed robusta viridique fultum senecta, ut cognoscamus tempus annositate vires non perdere, hoc idem hodie potest quod potuit dum creatum est. Sordidus autem illi amictus est, ut appareat quia circa terrena, que sordida sunt, versetur.

21 b

5

10

15

20

25

30

CAP. XXXIV

De Die Herebi XX^a filia.

Dies Herebi Noctisque fuit filia, sic, ubi de Naturis deorum, scribente Tullio. Hanc dicit Theodontius Etheri fratri suo coniugio copulatam. Quod Herebi filia sit et Noctis talis ratio redditur a quibusdam. Herebum enim a parte totum summentes pro universo terre corpore sumi voluere, ex extremo cuius quod orizonta vocant Greci, non est dubium adventu solis cedente nocte diem consurgere, et (eam) Herebum ex Nocte produxisse. Eam autem Etheri coniunctam connubio ideo dicunt, quia Etherem intelligunt ignem, qui claritate carere non potest, et ob id cum dies clara sit, nil aliud volunt quam claritatem igni coniunctam ostendere. Hec autem ab antiquis, postquam adeo dictum est, vespere et mane facta est dies una, huius magnitudinis designata est, ut id tempus, quod labitur a surgente sole et mundum omnem circumeunte atque in eodem loco, unde surrexerat, redeunte, ea cum nocte que includitur, dies dicatur una, et hec naturalis, quam in XXIII^{or} equas partes divisere, et has oras nuncupavere. Deinde, prout eisdem visum est, artificialis est superinducta dies, que in diem et noctem divisa unicuique partium, diei scilicet et nocti XII horas, esto inequales, esse concessere, et artificialem ab artificio excogitantis eam dixere, qua in suis iudiciis ut plurimum utuntur astrologi. Inde medici creticam invenere diem, eaque circa egritudinum observationes utuntur. Dierum vero naturalium initium non eque a naturalibus omnibus summitur. Romani autem, ut ait Marcus Varro, a nocte media incepisse et in sequentis noctis medium terminasse voverunt, quam dimensionem adhuc servant Ytali, et potissime in iudicialibus causis. Athenienses autem olim a solis occasu incipientes diem in occasum diei sequentis finiebant. Babilonii vero ab ortu faciebant, quod ab occasu Attici. Umbri qui et Etrusci sunt, a meridie illi fecere principium, et in sequentis diei meridiem terminabant. Que consuetudo adhuc ab astrologis

observatur. Est preterea dies naturalis secundum varias eius qualitates variis distincta nominibus. Nam, ut Macrobius Saturnaliorum asserit, ab initio diei Romanorum incipiens, primum tempus diei dicitur medie noctis inclinatio, eo quod nox in diem incipiat declinare. | Deinde a galli cantu gallicinium nuncupatum. Tertium conticinium, eo quod sopita omnia conticescere videantur. Quartum diluculum dicitur, eo quod diei lux apparere videatur. Subsequenter quintum tempus sole iam surgente, mane vocari voluere, seu quia a manibus exordium lucis emergi visum sit, seu ab omine boni nominis, nam Lanubini mane pro bono dicunt. Sextum autem dixere meridium, hoc est diei medium, quod nos meridiem dicimus. Ab hac autem hora tempus in noctem tendens, quod septimum est, vocatur occiduum quia cadere videatur. Octavum vero suprema tempestas nuncupatum est, eo quod diei sit novissimum tempus, ut in XII tabulis est espressum: solis occasus suprema tempestas esto. Deinde nonum tempus dicitur vespera, quod a Grecis tractum est. Illi enim speran a stella hespero, que in occasu solis apparet, dicunt. Decimum autem tempus, quod est noctis initium, dicitur prima fax, eo quod tunc stelle incipiant apparere, seu ut aliis placet, quia tunc, luce cessante diei, incipimus faces accendere, ut tenebras noctis vincamus lumine. Tempus vero undecimum nox concubia dictum est, eo quod ea hora post aliqualem vigiliam cubitum consueverint ire mortales. Duodecimum quidem diei tempus, quod noctis est tertium, intempestum dicitur, eo quod nullis gerendis rebus videatur accommodum. Cuius finis est circa principium eius, quod diximus, medie noctis inclinatio. Insuper cum humana solertia respectu habito ad septenarium numerum, quem quibusdam ex causis veteres voluere perfectum, disposuerit omne tempus per septimanas dierum efflui, et dies illas septimane nominibus variis nuncupare, consuevere nonnulli nominum talium exquirere causas; quas ego has puto, cum a planetis apud nos quinque denominentur, sexta sabbatum ab Hebreis dicta, a christianis postea immutata non est, eo quod requiem dicant significare latine, ut appareat cum creavisset omnia

Deus in sex diebus, eum septima ab omnibus operibus suis
 quievisse. Dominica autem dies, que nobis christianis est sep-
 tima, sic eo dicta est, quia ea die Christus Dei filius, non
 solum ab omnibus laboribus suis quievit, verum victor surrexit
 5 a mortuis et sic illam a domino nostro patres incliti vocavere
 dominicam. Alii volunt a sole denominatam, eo quod ipse sit
 planetarum princeps et inde dicatur dominus, et quia eiusdem
 diei hore prime principatum habeat ob id illam denominari
 dominicam. Sed cum longe alius sit ordo planetarum quam
 10 in nominibus dierum habeatur, est sciendum | secundum plane- 21 d
 tarum ordinem successive unicuique diei hore dari dominium,
 et ab eo cui contingit prime hore diei dominium habere, ab eo
 dies illa denominata est, ut puta si diei dominice Veneri secun-
 dam horam tribues, que Soli immediate subiacet, et Mercurio
 15 terciam, qui subiacet Veneri, et Lune quartam, que subiacet
 Mercurio, quintam autem Saturno, ad quem convertendus est
 ordo cum in Luna defecerit, sextam Iovi, et sic de singulis
 XXIII^{or} horis diei (dominice), sub nomine vel dominio Mer-
 curii invenietur hora XXIII^a, et XXV^a que prima est diei
 20 sequentis sub nomine vel dominio Lune, et ideo ab ea secun-
 dus denominatus ebdomade dies, seu potius primus, ut dies
 dominica septima sit ebdomade et quietis dies. A qua prima
 diei Lune hora, si eodem modo computaveris vigesimam quar-
 tam eius horam invenies sub Iovis imperio constitutam, et
 25 vigesimam quintam sub Martis dominio, a quo et ipsa secunda
 dies Martis denominata est, quia prime eius hore Mars impe-
 ret. Et sic successive de singulis donec ad ultimam deveneris
 sabbati, que Marti subest, et subsequitur prima diei (domi-
 nice) ascripta Soli, a quo dies ut ante diximus dicta est. Dies
 30 autem naturalis cum ex die constet et nocte, a die tota tan-
 quam a digniori parte denominata est, et dies a diis vocitata,
 nam dyos grece, latine dicitur deus; nam uti dii mortalibus
 opinione veterum adiutores sunt, sic et adiutrices sunt dies,
 et a diis ipsis etiam eam ob causam denominate sunt. Post-
 35 quam e subterraneis latebris in diei lucem prestante Deo de-
 venimus, supererat nobis, ut eque de omnibus Herebi filiiis

dixissemus, etiam de Ethere, quem eiusdem filium volunt, quid senserint veteres, descripsisse. Sane quoniam omne eius masculinum genus hoc excepto filio sterile est, et huius non est parva posteritas, et in longum satis volumen protractum est, eum in secundum servandum honestius ratus sum, et primo finem imponere. 5

Genealogie deorum gentilium liber primus explicit.

GENEALOGIE DEORUM GENTILIUM SECUNDUM JOHANNEM BOC-
CACCIIUM DE CERTALDO LIBER SECUNDUS INCIPIT FELICITER.

In arbore autem signata desuper, in celum versa radice, ponitur in cul-
mine Ether filius Herebi et Noctis; eiusque in ramis et frondibus,
5 cum Etheri duo tantum fuerint filii Juppiter scilicet primus et Celius
seu Celum, Jovis primi solum prosapia designatur omnis; Celiu seu
Celi prole in sequenti reservata volumine.

Prohemium.

E cavernis Herebi fere omnem prolem eduximus, gratia
10 Dei nostri omnipotentis et veri opitulante, et, quo concessum
est ingenio, amotis figmentis nudam in precedenti volumine
coram apposuimus lectoribus, equidem non absque ingenti
labore inter Stigis fumos et nebulas vacillantibus hinc inde na-
vicule. Sane postquam in patientiorem orbem ventum est, for-
15 san, minus ambigue flexus varios, reciprocosque superabimus
Euripos, quorum superbientes in celum undas, ni fallor, aspicio.
Nam inter alios arduus Ether e visceribus Herebi in sublime
delatus, primus impetu occurrit suo, non magna tamen prole
fecundus, sed spectabili quidem. Ex qua, si satis recte con-
20 spicio, primus Juppiter unus est, tam conspicui nominis gloria
quam longa successione refulgens. Quam si describere velim
omnem in Egyptum usque litus et Syrium, regnumque tuum
Cyprum ut evehar impellente fluctu necesse est. Que cum
tanto sit celsitudine tue, o rex inclite, notior quanto mihi
25 longinquior navigatio, queso per tui nominis insigne decus

errores meos equo animo feras, et pii more principis emendari potius iubeas quam dentibus invidorum lacerari permittas. Ipse enim, tenso velo, ex Orci faucibus iter arripio, orans, ut ille illud dirigat qui, naufragantibus in mare Genezaret discipulis, ventis imperavit et undis.

5

CAP. I

De Ethere Herebi et Noctis XXI^o filio, qui genuit Jovem primum et Celium seu Celum.

Ether, ut placet Tullio in libro De naturis deorum, filius fuit Noctis et Herebi. Qui quidem et si quandoque pro Celo summatur proprie, tamen ignis elementum videtur existimari a multis. Sic enim testatur Ugucio. Sic velle videtur Ovidius ubi in principio maioris sui voluminis dicit: Hec super imposuit liquidum gravitate carentem Ethera nec quicquam terrene fecis habentem etc. Hunc rerum omnium causam credidere quidam, ut supra dictum est, et eum similiter Demogorgonis filium fictione sua Pronapides ostendit, dum dixit Chaos ignita exalasse suspiria, sed visum est Ciceroni cedendum. Quem
 22 c quantumcunque | sterilem multi faciant, ipse tamen eum scribit fuisse secundum, et Jovem genuisse primum et Celium, e quibus emanavit omnis numerosa deorum prosapia.

10

15

20

CAP. II

De Jove primo Etheris filio qui XIII inter filios et filias genuit. Quorum prima Minerva, secundus Apis, III^{us} Sol, IIII^{us} < Diana >, V^{us} Mercurius, VI^{us} Tritopatreus, VII Ebuleus, VIII Dyonisius, VIII Hercules, X Proserpina, XI Liber pater, XII^{us} Epaphus, XIII Scithas.

25

Jovem primum dicit Theodontius fuisse filium Etheris et Diei. De quo quidem Jove quantumcunque preclaro sit insignitus nomine, legisse nichil, audisse tamen perpauca esto laudabilia memini. Referebat enim Leontius, grecus homo, et

30

talium abundantissimus, hunc ante quesitum maius nomen
 Lysaniam nuncupatum, hominem Arcadem, et profecto nobi-
 lem, et ex Arcadia Athenas ivisse, et cum esset ingentis inge-
 nii, vidissetque rudi in seculo rudi et fere bestiali ritu viventes
 5 Atticos, ante omnia compositis legibus illos publico instituto
 vivere docuit, et qui feminas fere communes habebant, primus
 matrimonia celebrare monstravit, et cum iam ad humanos
 redegisset mores, monuit eos deos colere, et eis aras et templa
 atque sacerdotes instituit et multa insuper illis ostendit utilia.
 10 Que dum mirarentur silvestres Attici atque commendarent, eum
 rati deum, Jovem vocavere, regemque suum fecere. Quem et
 Cicero antiquissimum dicit Atheniensium fuisse regem. Hec
 michi de isto sunt. Nunc vero viso cur Etheris et Diei illum
 finxerint filium, et quoniam celeberrimum fuit apud gentiles
 15 Jovis nomen, eius significatum videbimus et que potuerit esse
 impositionis causa et deificationis perscrutabimur. Dicunt ergo
 eum Etheris filium, seu ut eum nobilitatem patre generoso,
 putabant enim primam rerum causam ignem, et sic illi nobi-
 liorem patrem dare non poterant, seu quod eum celestem pu-
 20 tarent hominem, seu deum, et a celo venisse ratione profun-
 ditatis ingenii, seu quia illi igneam naturam viderent, more
 ignis semper ad alta tendentem, ut de eo dici possit virgilia-
 num illud: Igneus est illis vigor et celestis origo. Diei vero
 filium ideo illum dictum puto, quia esto nascatur quis aptus
 25 ad maxima, non tamen evestigio quod natus est, ea potest
 ad que natus est agere, oportet ut in dies augeantur vires, et
 animus in fervorem agere deorum excrescat, et demum ipse
 operetur, cuius opera, quoniam in die visa et cognita sunt,
 a die novo videtur editus partu, ut de talibus dici possit,
 30 quod Valerius dicit de Demostene: Itaque alterum Demostenem
 mater, alterum industria enixa est. Sic et alterum peperit Ly-
 saniam mater, et alterum | dies operum testis. Vocatus est
 insuper Lysanias iste ab Atheniensibus Juppiter, nomen eo
 usque nemini concessum mortalium, nec ipsi etiam deo adhuc
 35 fuerat a gentilitate impositum, nec unde sumptum sit ab im-
 ponentibus satis scitur. Arbitror ego tamen id nominis huius

causam dedisse, quod et de aliis etiam planetis multis conti-
 gisse comperimus, a similitudine scilicet operationum confor-
 mium huius hominis ipsi Jovi. Dicit enim Albumasar in suo
 maiori introductorio, Jovem planetam natura calidum esse et
 humidum, aereum, temperatum, modestum atque honestum, 5
 laudabilem plurimum et patientie observatorem, ac in periculis
 post patientiam audacem, liberalem misericordem, cautum, ama-
 torem verum, magistratum avidum, fidelem, multiloquum,
 bonorum amicum, malorum vero hostem, amatorem principum
 et maiorum, et alia plura de eo scribit, quibus annectit eum 10
 significare naturalem animam, vitam, pulchritudinem, sapientes
 viros, legum doctores, iustos iudices, divinum cultum, reli-
 gionem, victoriam, regnum, divitias, nobilitatem, gaudium et
 huiusmodi. Quibus consideratis, et demum huius hominis 15
 ponderatis moribus, adeo eum cum Jove convenire discerne-
 mus, ut non incongrue Jovem nuncupatum dicamus, et hanc
 convenientiam tanti nominis illi causam fuisse credamus. Sane
 nomen hoc, postquam ab antiquis planete et Lysanie conces-
 sum est, non nullis aliis a recentioribus etiam attributum legi-
 mus, ut puta Jovi secundo Celi filio, qui et Archas homo 20
 fuit, et Atheniensium rex. Nec non et Jovi tercio, homini Cre-
 tensi et Saturni filio. Sic eque et Pericli Atheniensi principi,
 quem multi Jovem Olympium vocavere. Preterea poete ignem
 elementum, et non nunquam ignem et aerem sub Jovis no-
 mine suis fictionibus inseruere. Adeoque in sublime conscen- 25
 dit, ut a prudentioribus etiam summo et vero Deo ascriberetur,
 nec immerito, ipsi quippe soli tam egregium competit nomen,
 quod nec abhorreret christianus considerato nominis significato
 nisi gentilium, fuisset inventum. Volunt enim aliqui et graves 30
 viri quod idem Juppiter sonet quod iuvans pater, quod soli vero
 Deo convenit. Ipse enim vere pater est et ab eterno fuit et erit
 in sempiternum, quod de alio nemine dici potest, similiter et
 iuvans est omnibus et nulli nocens, et in tantum iuvans est,
 ut si suum retrahatur iuvamen periclitentur confestim omnia
 necesse sit. Insuper hoc nomen Juppiter grece dicitur zephs, 35
 quod latine vita sonat. Et quis alter rebus et creaturis omnibus

vita est nisi Deus? Ipse enim de se ipso dicens testatur: Ego sum via, | veritas et vita; et profecto sic est. Illi enim et per eum et in eo vivunt omnia, extra eum preter mortem et tenebras nichil. Hunc, et si non rite coluerint, veteres Romani Jovem optimum maximum vocavere, conati per hec pauca verba ostendere, quoniam magnitudine et potentia ceteros excedat deos, et quod ipse solus summum sit bonum et quod ab eo vita sit et adiutorium universis. Multa preterea poteram hic apponere Jovi a poetis attributa, ut puta armigeram avem, quercum, bella, Junonem coniugem et alia, sed quoniam ista videntur recte spectare ad ea que de Jove Cretico ficta sunt, illi censui reservanda. Porro, rex inclite, non satis certum est, utrum Athenienses Jovem hunc in deum habuerint, aut fecerint, si autem fecerunt sciendum est antiquis consuetum fuisse ad augendam originis nobilitatem, conditores civitatum suarum certis suis infaustis cerimoniais numero deorum inserere, et sacris templisque colere. Sic et parentes suorum principum sic et ipsos principes ob aliquid ab eis susceptum beneficium, ut se gratos ostenderent, et alios ad bene agendum ob cupiditatem tam splendide glorie animarent. Scribunt insuper veteres multos fuisse Jovi filios, ex quibus arbitror vere non nullos Jovis fuisse filios, sed cuius Jovis primi, secundi vel tertii de aliquibus non satis constat, sic et alios plures ob insignem virtutis preminentiam et ad gloriam generis extollendam a theologis gentilium Jovi similiter attributos, quos ego illi attribuam Jovi, cui magis videbuntur contemporanei.

CAP. III

De Minerva prima, primi Jovis prima filia.

Minerva, vulgato fere poetarum omnium carmine, Jovis fuit filia, de ortu cuius talis fertur fabula. Quod cum videret Juppiter Junonem coniugem suam non ferentem filios, ne omnino absque filiis esset, percusso cerebro suo armatam emisit Minervam. Quod Lucanus firmare videtur dicens: Hanc

et Pallas amat patrioque vertice nata est. Et in nativitate huius dicit Claudianus: Auratos radiis imbres nascente Minerva Indulsisse Jovem perhibent etc. Insuper hanc natam dicit Servius luna quinta sicuti reliqui qui steriles fuere. Huius preterea compertum volunt lanificium ante eam incognitum, sic et texturam, et ob id placet Ovidio. Huic cum Aragne Colophonia de textura fuisse certamen et victoriam. Sic et cum Neptuno de impositione nominis civitatis Athenarum. Eam preterea non nulli armatam fingunt et arcis Athenarum presidem. Illi insuper Titus Livius attribuit numerorum inventionem et eorundem figuras, cum ante loco numeri signis uterentur antiqui. Recitatur de hac et alia fabula, quod cum esset huic perpetue virginitatis servande propositum et Vulcanus in desiderium sui venisset, Jovi patri suo petiit loco muneris factorum a se fulminum in gigomantia Minerve matrimonium. Cui Juppiter voti nate conscius, si obtinere possit concessit, et Minerve si illum aspernaretur versa vice concessum est, ut se viribus tue|retur, et sic dum totis conatibus in eam ivisset Vulcanus et ipsa in contrarium niteretur, actum est ut emisso a Vulcano semine in terram nasceretur puer, et ipsa linqueretur in pace. Triplici etiam illam indutam veste dixerunt, eique peplum pictum consecraverunt et eius in tutelam cornice pulsa noctuam posuere, ac pluribus eam nuncupavere nominibus, ut Minervam, Palladem, Athenam et Tritoniam. His explicitis, exquirebat ordo sumptus ut detegeretur quid sensisse sub figmentis potuissent antiqui. Verum hic advertendum est, quoniam non omnia hic apposita figmenta ad hanc spectant Minervam, illa quippe nominis identitas non curantibus ex hoc poetis implicuit; nam nec arma, ut Leontius asserit, ad hanc spectant, nec Neptuni certamen, quin imo eius sunt Minerve que Jovis secundi fuit filia, et ideo illis omissis detegemus cetera, et quedam historialia apponemus. Voluerunt igitur Minervam, id est sapientiam, ex cerebro Jovis, id est dei natam; volunt enim physici omnem intellectivam virtutem in cerebro tanquam in arce corporis consistere. Hinc Minervam, id est sapientiam, ex cerebro natam fingunt,

23 c

5

10

15

20

25

30

35

id est ex cerebro dei, ut intelligamus, quoniam ex profundo
 divine sapientie arcano omnem intellectum, omnem sapientiam
 infusam esse, quam Juno, id est terra, quantum ad hoc ster-
 5 omnis sapientia a domino Deo est. Et ipsamet in eadem dicit:
 Ego enim ex ore altissimi prodivi. Et sic eam profecto indu-
 striose, non ut nos gignimur, sed ex Jovis cerebro natam finxere,
 ut ostenderent eius singularem nobilitatem ab omni terrena
 spurcitie feceque semotam. Virginitas inde illi attribuitur per-
 10 petua et inde sterilitas, ut per hoc noscatur quia sapientia
 nunquam labefactatur aliqua contagione mortalium, quin imo
 semper pura, semper lucida, semper integra et perfecta est. Et
 quantum ad temporalia sterilis est, cum sapientie eterni sint
 fructus. Quid per certamen illius senserint et Vulcani infra
 15 ubi de Ericthonio, ex certamine hoc nato, scribetur. Triplici
 autem veste ideo tegitur, ut intelligatur verba sapientum et
 potissime fingentium multiplicem habere sensum. Illique ideo
 peplum pictum sacrum est, ut intelligamus sermones sapientie
 ornatos, floridos, lepidos et summa venustate decoros. Noctua
 20 autem ideo illi attributa est pulsa cornice, ut ostendatur sa-
 pientem premeditatione in obscuris seposita noscere uti et
 noctua videt in tenebris, et loquacitate atque garrulitate repulsa
 ut opere agat, loca tempusque respicere. Minerva enim | dici- 23 d
 tur ut ait Albericus, a min quod est non, et erva quod est
 25 mortalis, ut resultet esse sapientiam immortalem. Pallas et
 Athene, ad alias spectant Minervas, et ideo ubi de illis mentio
 fiet exponentur. Tritona autem dicta est a loco seu a lacu
 quem penes primo comparuit, qui triton in Affrica compu-
 30 tatus est. Fictionibus igitur sic expositis ad hystoriam venien-
 dum est et sciendum Minervam fuisse virginem quandam, cuius
 incognita fuit origo, ipsa vero cum ingentis esset ingenii, ut
 Eusebius ait, regnante Argivis Phoroneo, primo apud Trito-
 nam paludem seu lacum Affrice comparuit, ignorantibus cunctis
 quibus venisset ab oris. Dicit tamen Pomponius Mela in Co-
 35 smografia, quod incole arbitrabantur eam ibidem genitam et
 fabule fidem faciunt, quia quam natalem illi putant diem ludi-

cris virginum inter se decertantium celebrant. Hec autem cum lanificium et texturam et alia multa artificiosa comperisset, celebris dea habita est, et quoniam omnia eius inventa ex vi ingenii atque sapientie procedere videbantur, locus fabule adinventus est, ut ex cerebro Jovis genita videretur. De hac enim dicit Augustinus in libro De civitate dei, quod, Ogigio in Actica regnante, eam in virginali etate apparuisse apud lacum Tritonis, ut dictum est, et cum multorum operum esset inventrix tanto proclivius dea credita est, quanto minus origo eius cognita; nec ab Eusebio differt Augustinus in tempore, nam contemporaneos fuisse Phoroneum et Ogigium idem ostendit Eusebius, et ob hoc ego hanc Jovi primo filiam ascripsi, eo quod illi magis quam cum reliquis videatur convenire tempore.

CAP. IV

De Api Argivorum rege, primi Jovis secundo filio.

Eusebius in libro Temporum dicit Apim, qui postea rex Argivorum, filium fuisse Jovis et Niobis, filie Phoronei, cui idem Eusebius scribit Jovem primo quam alteri mortalium immixtum; et sic primus fuit Juppiter cum tempore longe inferiores sint alii. Leontius autem dicit hunc Phoronei et Niobis sororis et coniugis sue fuisse filium, eique in regnum Sicioniorum heredem successisse; verum postea ab Egyptiis et deum et Jovis filium factum. De hoc Api multa narrantur, nam ut referunt aliqui cum aliquandiu Argis post Phoronei mortem imperasset, cupiditate glorie et amplioris regni ad Egyptios transfretavit, et obtento regno, cum rudes homines multa docuisset et potissime vini usum, loco dei haberi ceptus est, iam Yside sibi copulata coniugio. Eusebius vero eum Sycionorum scribit fuisse regem, et ut ab eodem traditum est, de tempore eius varie sensere scriptores annalium. Nam quidam dicunt tempore Abrahe ab | eo Greciam Apiam appellatam. Alii autem dicunt nato iam Jacob eum apud Egyptios deum habitum. Beda vero, eo in libro quem De temporibus

scripsit, dicit, tempore Jacob ab Api in Egypto Menphim conditam. Eusebius preterea dicit secundum alios eum regem fuisse Argivorum, et regnasse post centesimum annum Jacob, et ibidem dicit, Apim, cum Egyaleum fratrem regem prefecisset
5 Achaye, in Egyptum transfretasse et Menphim condidisse civitatem. Eum autem in Egyptum abisse et Ysidem habuisse coniugem satis ab omnibus creditur, verum uti de tempore eius ambigitur, sic et de morte eius varia etiam recitantur. Nam alii volunt eum apud Egyptios mortuum et sepultum; de quo in
10 libro De civitate dei sic ait Augustinus: Rex argivorum Apis navibus transvectus in Egyptum, cum ibi mortuus fuisset, factus est Serapis omnium maximus Egyptiorum deus. Nominis autem eius, cur non Apis etiam post mortem, sed Serapis appellatus sit, facillimam rationem Varro reddit. Quia enim arca
15 in qua mortuus ponitur, quam omnes iam sarcophagum vocant, soron dicitur grece, et ibi venerari sepultum ceperant prius quam templum eius esset extractum, unde Soron et Apis Sorapis primo, deinde, una lictera commutata, ut fieri assolet, Serapis dictus est. Alii autem dixere eum a Typheo fratre
20 occisum atque membratim discerptum diuque ab Yside coniuge quesitum et postremo compertum et in vanno eius membra collecta, quod postmodum in religionem versum est, in sacris scilicet februis intervenire vannum. Ysis autem ultra paludem Stigiam, que in Affrica est, in semotam insulam collecta detulit,
25 et ibidem recondidit. Voluntque qui hoc verum arbitrantur a onga Ysidis exquisitione exortum, quam Egyptii fecere diu, non ante desistentes quam album taurum comperissent, compertoque applaudentes eum vocabant Osirim, et quoniam singulis annis id fiebat, dixit Juvenalis. Et nunquam satis quesitus Osyris. Ceterum quandocunque in Egyptum iverit, seu
30 qualitercunque occubuerit, aut quocunque sepultus sit Apis, in tanta fuit apud Egyptios veneratione, ut eo iretur ab eis ad hoc ut nulla humanitatis infectione posset illius labefactari divinitas, ut caverent instituto publico ut, si quis illum fuisse
35 hominem diceret, capite puniretur, et ob id in quibuscunque templis erat eius simulacrum digito labiis impresso admonebat

silentium. Huius insuper tauri, quem Serapim arbitrabantur
 Egyptii, caput dicit Rabanus delirantes Judeos in heremo, loco
 Dei coluisse. Hunc preterea Apim dicit Macrobius in libro
 24 b Saturnaliorum apud Alexandriam | Egypti civitatem una cum
 Yside mirabili cultu venerari, seque Soli venerationem illam 5
 impendere affirmare, et sic Apim Solem esse videtur arbitrari.

CAP. V

De Sole primo, primi Jovis filio III^o.

Solem primum, primi Jovis fuisse filium scribit Tullius
 ubi De naturis deorum, nec tamen dicit ex qua matre susceptum. 10
 Sunt qui velint hunc Apim fuisse, eo quod loco Solis
 ab Egyptiis, ut paulo supra dictum est, cultus sit. Ego autem
 quis aliter fuerit comperisse non memini, hominem tamen fuisse
 certus sum, et si alius fuit ab Api, credendum est eum insignem
 atque splendidum fuisse hominem et ingentis atque regii animi 15
 peditum, et eo modo quo supra de Jove dictum est tam claro
 nomine decoratum.

CAP. VI

De < Diana > prima, primi Jovis III^a filia.

Diana prima filia fuit Jovis primi et Proserpine, ut in 20
 libro quo supra Tullius idem asserit. Hanc ego reor veram
 huius Jovis fuisse filiam et non ascriptitiam, et cum satis sit
 nomen illud mulieribus usitatum, possibile etiam est fuisse
 proprium non appositum. Verum qualiscunque fuerit, non
 ea est quam poete insignem virginitate perpetua voluere, cum 25
 legatur hanc ex Mercurio, Liberi et Proserpine filio, pinnatum
 concepisse Cupidinem.

CAP. VII

De Mercurio primo, primi Jovis V^o filio.

Primi Jovis et Cylenis nynphe Arcadis asserit Leontius filium fuisse Mercurium. Hunc deorum nuntium seu interpretem fore poete describunt, eumque variis ornamentis insigniunt, ut per illa intelligatur eiusdem officiorum varietas. Scribit enim de eo sic Virgilius: Primum pedibus talaria nectit Aurea que sublimen alis sive equora supra Seu terram rapido pariter cum flamine portant. Tum virgam capit hac animas ille evocat Orco Pallentes alias sub tristia Tartara mittit. Dat somnos admitque et lumina morte resignat. Illa fretus agit ventos et turbida tranat Nubila etc. Insuper et Oratius de eo sic scribit in Odis: Mercuri facunde nepos Atlantis, Qui feros cultus hominum recentum Voce formasti cantus ed decore Mere palestres etc. Illi insuper Stadius galerum addidit dicens: Obnubitque comas et temperat astra galero etc. Sane quanquam legamus plures et homines fuisse Mercurios, his inspectis que supra proximo de eo poete describunt, dato possint et ad hominem referri, de Mercurio planeta scripta potius | presu-
memus, et potissime si inspexerimus qualiter cum his que ab astrologis scripta sunt poetarum dicta convenient. Albumasar autem maxime inter antiquos autoritatis homo, asserit Mercurium adeo flexibilis esse nature, ut evestio ad naturam eius cui adheret et ipse suam naturam convertat, et hoc propter temperamentum eius siccitatis et frigoris. Venerabilis autem Andalo, preceptor meus, eum complexione dicit calidum et siccum eumque significare concubinarum delectationes, claritatem, et oracula vatium, eloquentiam, et hystoriarum memoriam, credulitatem, pulchritudinem, bonitatem discipline, et acumen ingenii, prescientiam futurorum, arismetricam et geometriam atque astrologiam, et hinc descriptionem tam celestium quam terrestrium rerum omnium; preterea auguria, dulcedinem prolationis, velocitatem, et principatus desiderium, et ob illum laudem atque famam, et insuper come tonsuram,

scriptores et libros, mendacium et testimonium falsum, speculationem semotarum rerum, paucitatem gaudii, et substantie desolationem, negociationes et emporia, furta, contentiones, calliditates et consilii profunditatem, modulationes carminum et fistularum, colorationes multimodas, obedientiam, concordiam, pietatem, paupertatem, amicitie retentionem, artificia manuum, et alia multa, et ut ipse idem asserit Andalo, cum masculis masculus et cum feminis femineus est. Ex quibus facile comprehendere possumus cum tam convertibilis sit nature, de eo in prescriptis carminibus intellexisse poetas, esto illud idem de hominibus mercurialibus dici possit et dicatur, ut in sequentibus apparebit. Sane libet intentum poetarum explicare latius ut, quantum cum astrologis convenient, manifestetur apertius. Dicunt igitur, ut a capite summamus exordium, eum tectum galero, ut per hoc sentiamus, quia sicut qui galero tegitur imbres fugit et radios, sic et Mercurius solaribus tectus radiis, quibus fere semper vinctus est, fugit aspici a mortalibus; rarissime quidem videtur, et paucis notus est, et mercurialis homo calliditate suum tegit consilium. Alata enim habere talaria, velocitatem eius non solum in motu, qui illi circa epiciclum velocissimus est, sed ob celerem aliorum corporum supercelestium proprietatum assumptionem atque traditionem, ex qua mercurialium etiam hominum velox versipellisque circumflexio denotatur. Virga autem illi ascripta est propter dimensiones corporum se sibi iungentium, secundum quas et ipse illico suos disponit effectus, et mercurialis homo circa quodcunque opus suum metitur obsequium. Quod ab Orco animas | revocet virga, id est potentia sua, est hic acutius attendendum. Fuere quidam qui arbitrati sunt omnes hominum animas a principio simul fuisse creatas et demum conceptis hominibus immissas, eas morientibus nobis ad Inferos descendere, ibique cruciari donec in vita commissa purgarentur, et inde transitum facere ad Elisios campos, ac inde post mille annos a Mercurio deduci ad Lethem fluvium, ut eo potato obliviscerentur presentis vite labores; et sic desiderarent iterum redire ad corpora, ad que Mercurius revocabat. Quam

5

10

15

20

25

24 d

30

35

ridiculam opinionem optime tangit Virgilius dum dicit: Qui-
 sive suos patimur manes, exinde per amplum Mittimur Elisium
 et pauci leta arva tenemus. Donec longa dies perfecto temporis
 orbe Concretam exemit labem purumque relinquit Etherium
 5 sensum atque aure simplicis ignem. Has omnes, ubi mille rotam
 voluere per annos, Letheum ad fluvium deus evocat agmine
 magno, Scilicet immemores supera ut convexa revisant Rursus
 et incipiant in corpora velle reverti. Hoc autem officium re-
 vocandi animas ad corpora ideo Mercurio attributum volunt,
 10 quia dicunt eum preesse fetui in utero matris existenti in
 mensi sexto, in quo opinantur multi rationalem animam infundi
 concepto, et hoc Mercurii predominantis opere, et sic ab Orco,
 id est ab inferiore loco, revocatur anima in corpus nascituri
 a Mercurio. Quod autem ad Tartara mittat physicum est, quia
 15 deficiente per frigidum et siccum, que est Mercurii complexio
 vera, calido et humido radicali, anima separatur a corpore et
 iuxta veterum opinionem tendit ad Inferos. Somnos adimere
 et dare idem est cum eo quod dictum est in vitam educere
 nascentes, quod est somnum adimere, et in mortem solvere,
 20 quod est somnum dare. Ventos agere Mercurii est, ipse enim
 non nunquam frigore suo suscitatur illos, quibus suscitatis eis
 impellentibus feruntur huc illuc nubes. Volunt eum preterea
 deum eloquentie, deum mercatorum, deum furum, et alia que-
 dam esse, de quibus omnibus, infra protensius, ubi de mercuriis
 25 hominibus dicetur. Eum autem Jovis fuisse filium, ideo fictum
 est, quia dei creatura est, Cylenis autem ad colorandam fictio-
 nem dictum est, seu eo quod apud Cylenem montem Archadie
 primo cultus est.

CAP. VIII

30 De Tritopatreo VI^o et Ebuleo VII^o et Dyonisio VIII^o, Jovis primi filii.

Tritopatreum, Ebuleum et Dyonisium dicit Cicero ubi
 De naturis deorum antiquissimi Jovis, id est primi, Athenien-
 sium regis et Proserpine fuisse filios, et Athenis Ariarches

appellatos esse. Quos, et si nil de illis comperiam, arbitror
 insignes fuisse viros, cum Ariarches sonet armorum principes;
 25 a nam | Aris grece, Mars latine sonat, et archos princeps, ergo
 bellorum seu armorum principes fuere. Quod ea tempestate
 et etiam hodierna permaximum est. Leontius vero dicit quod, 5
 cum Ebuleus ad famam tractus Anthei Terre filii ad ineun-
 dam cum eo luctam accessisset, eo superato Herculis meruit
 cognomen, quod ante eum nemo meruerat. Ego autem credo
 longe antiquiorem Ebuleum Antheo. Similiter et Dyonisium
 dicit ad Yndos coactis in militiam mulieribus intulisse bel- 10
 lum, et obtenta victoria Nysam urbem ibidem condidisse,
 et cum victoriosus reverteretur primum pompam excogitasse
 triumphi ac etiam vini usum Athenienses docuisse, eumque ab
 eisdem Liberum appellatum, et patrem, eo quod sese liberos
 eo vivente arbitrarentur, quasi sub optimi patris tutela servatos. 15
 Que quidem sic esse potuisse non nego, sed tamen longe po-
 test fuisse existimo.

CAP. IX

De Hercule primo, VIII^o primi Jovis filio.

Placet insuper Tullio primi Jovis ex Lysico primum et 20
 antiquissimum Herculem fuisse filium. Et huic asserit cum
 Apolline de tripode fuisse certamen, in quo quoniam obti-
 nuerit dicit Paulus, cum Dyonisius vocaretur, Hercules meruit
 appellari. Quod quidem et Leontius affirmat, sed causam non
 ostendit, et ideo quid credam non habeo. Certamen autem 25
 tripodis credo de divinatione fuerit. Nam Phebi tripodas dicit
 Paulus speciem esse lauri, cui tres tantum sunt radices, et
 has ob id in Libris pontificum tripodas dictas, et Apollini ob
 id sacras, quia cum ipse divinationis deus sit huiusmodi lauri
 eandem videantur habere virtutem, cum legatur si frondes 30
 huius specie lauri dormientis capiti supponantur vel alligentur,
 eum procul dubio vera visurum somnia.

CAP. X

De Proserpina prima, X^a primi Jovis filia.

Ex Proserpina Jovem non nullos suscepisse filios ostendit Tullius, et inde illius etiam fuisse filiam; quod quidem possibile est honestate servata, et Proserpinam habuisse coniugem, et ex hac eadem vel ex alia muliere Proserpinam habuisse filiam, quam Liberi fratris sui fuisse coniugem idem videtur testari Tullius, cum de ea nil aliud legisse meminerim.

CAP. XI

De Libero primo, XI^o primi Jovis filio, qui genuit Mercurium secundum.

Liberum primum primi Jovis fuisse filium Cicero ubi De naturis deorum testatur liquido. Hunc unum et idem cum Dyonisio superiori Leontius arbitratur, eumque preceteris fratribus insignem fuisse virum conatur ostendere, tamen Eusebius seu de hoc seu de alio, quod ego magis arbitror, longe post hec tempora fuisse describit. Huius autem | Proserpinam et sororem et coniugem non nulli volunt, eumque ex ea Mercurium secundum suscepisse filium.

CAP. XII

De Mercurio secundo Liberi et Proserpine filio, qui genuit Cupidinem et Auctolium.

Mercurius alter a superiore Liberi et Proserpine fuit filius, ut Theodontius dicit et Corvilius. De quo talis a Theodontio recitatur fabula. Quod cum, vidente nemine preter Bathum quendam, Apollinis vaccas furatus fuisset, Batho ut hoc nemini revelaret unam concessit ex vaccis, demum in faciem alteram transformatus experturus Bathi fidem ad eum rediit promisitque ei taurum si sublatas sibi vaccas ostenderet; Bathus autem

omnia que viderat revelavit, quam ob rem turbatus Mercurius eum mutavit in saxum quod indicem vocavere priores. Nos autem paragonem vulgo dicimus. Tandem cum divinitate sua fretus hoc cognovisset Apollo, sumpto arcu voluit Mercurium sagittis occidere, sed Mercurius prestigio invisibilis factus ledi non potuit. Postremo inter eos inita concordia citharam a se compertam Mercurius concessit Apollini. Apollo autem virgam concessit eidem. Dicebat insuper Paulus, se alibi legisse quod Mercurius iram precogitans Apollinis, ne ledi posset ab eo, clam illi pharetram evacuaverat, quod cum advertisset iratus Apollo, miratus eius astutiam risit, et in concordiam secum venit ut supra. Leontius circa hanc fabulam dicebat hunc Mercurium filium fuisse Dyonisii qui proxime supra Liber vocatur, et eum a nativitate vocatum Nysum, eo quod apud Nysam Yndie paulo ante a patre conditam natus sit, et cum adolevisset tanta pedum velocitate valuit, ut coevos suos ceteros cursu superaret, quam ob rem omisso nomine primo Stilbon appellatus est, quod velox latine sonat; demum cum illusiones magicas didicisset et latrociniis delectaretur summe, armenta rapuit Phoronidis sacerdotis Apollinis Delphici, qui ea tempestate mirande autoritatis habebatur, et ea post lapideum tumulum quendam cui Bathos nomen erat seduxerat. Verum cum taurus unus, ex improviso segregatus a reliquis, socios vagus repeteret, forte conscendit tumulum illum mugiens, mugitu cuius respondentibus aliis ab exquirentibus armenta comperta sunt, et tumulus ex Batho dictus est index. Stilbon autem cum suis artibus Phoronidis irati impetum effugisset, amicus eius tandem effectus est. Verum cum in talibus perseveraret non ob avaritiam sed nature, ut aiebat, impulsu, cum
 25 c
 25
 30
 35
 quibus furto aliquid erat subtractum, asserentes numine suo

et servata multa ac etiam recuperata, eumque aiebat sicuti et ceteros insignitum. De quibus insignibus, quoniam infra ubi de III^o Mercurio late dicturus sum, hic aliquid scribere non curavi.

CAP. XIII

De Cupidine primo, secundi Mercurii filio.

Cupido primus, ut ait cum Tullio Theodontius, secundi Mercurii et <Diane> prime fuit filius, quem aiunt fuisse pinnatum. Circa quod duo potuere sensisse fingentes; primum circa nomen, eo quod speciosissimus fuerit puer ad instar Cupidinis filii Veneris, quem puerum et pulcherrimum semper pinxere pictores, quasi alter Cupido dictus est. Pinnatum autem ob id cognominatum reor, quia velocissimus cursu fuerit adolescens.

CAP. XIV

De Auctolio secundi Mercurii filio, qui genuit Synonem primum.

Auctolius, ut Ovidio placet, Mercurii et Lychionis fuit filius. Qui Ovidius de origine eiusdem talem recitat fabulam. Dicit enim Lychionem Dedalionis speciosissimam fuisse filiam, adeo ut Apollini et Mercurio placeret; quibus poscentibus, una et eadem die uno tamen de altero ignorante eius, in sequenti nocte concubitum cum promisisset, a Mercurio non expectata nocte virga tacta est et in somnum soluta, et sic cum ea concubuit. Apollo autem nocte accessit ad eam. Ex quibus cum geminos concepisset, peperit Mercurio Auctolium, Apollini vero Phylemonem. Verum Auctolius inter fures evasit clarissimus, adeo ut non videretur degenerare a patre. Phylemon autem cytharista factus se Apollinis filium demonstravit. Huic ego fictioni causam dedisse varium geminorum fratrum exitum, et sic uterque eorum illi deo attributus est filius, cuius imi-

tatus est mores, et forsan Auctolii nascentis fuit significator Mercurius, et sic eius dictus est filius, et Apollo eandem ob causam Phylemonem lucratus est.

CAP. XV

De Synone primo Auctolii filio, qui genuit Syssimum et Auctoliam. 5

25 d

Synon Auctolii fuit filius, ut placet Paulo | , et hunc idem dicit Servius insignem fuisse furem; seque ad exercenda latrocinia in diversas species adeo trasformantem, ut facile quos vellet falleret. Genuit autem Syssimum et Auctoliam matrem Ulixis, et habuit dominium penes Parnasum, ut per Omerum patet in Odyssea, ubi recitat qualiter Ulixes apud Parnasum ab apro in tybia vulneratus sit. 10

CAP. XVI

De Syssimo filio primi < Synonis et patre > secundi.

Syssimus, ut dicit Servius, filius fuit primi Synonis, nec de eo aliud legisse memini, nisi quia pater fuit secundi Synonis, qui fraude sua Troianos in extremam deduxit perniciem. 15

CAP. XVII

De Auctolia Synonis primi filia et Ulixis matre.

Auctolia, ut Servio placet, Synonis primi fuit filia. Hec cum nupsisset Laerti Ytachie regi, ut quibusdam placet, a Sysipho latrone ad virum vadens intercepta est atque oppressa, et ex eo concubitu sunt qui dicant eam concepisse Ulixem, et sic pregnantem ivisse in nuptias Laertis, et quem ex Sysipho conceperat Laertis filium esse dixit. Quod Ajax Thelamonius apud Ovidium in questione de armis Achillis illi obicit dicens: Quid sanguine cretus Sysiphio furtisque et fraude 20 25

simillimus illi etc. Hec autem, ut fertur, cum audisset falso nuntio apud Troiam Ulixem occisum, doloris impatiens laqueo vitam abiecit. Quam postea et apud Inferos, ut in Odissea scribit Omerus, Ulixes comperit et agnovit et de multis perquisivit ab ea et predoctus est.

CAP. XVIII

De secundo Synone filio Syssimi.

Secundus Synon, testimonio Servii, filius fuit Syssimi et a Synone primo avo suo denominatus. Hic cum Grecis, ut per Virgilium patet, ad excidium Troianum accessit, et iam minus succedentibus rebus, a Grecis fingentibus reditum subornatus, volens a Troianis captus et ad Priamum regem deductus est, apud quem mira sagacitate primo se extulit, et demum fallacibus verbis in perniciosam credulitatem de recessu Grecorum regem Troianosque reliquos ad suscipiendum equum intra menia civitatis impulit. Quid ex illo deinde secutum sit nescio. Scribit tamen Plinius in libro De hystoria naturali huius inventam fuisse significationem speculariam, ex quo satis patet eum non minimi momenti fuisse hominem.

CAP. XIX

De Epapho primi Jovis XII^o filio, qui genuit Lybiam et Belum.

Postquam primi Liberi patris Jovis primi filii prolem omnem expedivimus, retro trahendus est sermo ad Epaphum Egyptium eiusque amplissimam progeniem. Qui quidem Epaphus, ut testatur Ovidius, ex | Yone filia Ynachi, Jovis fuit filius. Theodontius vero et Leontius eque eum Jovis fuisse filium dicunt, sed ex Yside Promethei filia, ut ubi infra, dum de Yside latius patebit. Eusebius autem in libro Temporum dicit eum filium fuisse Thelegoni, cui post mortem Apis nupsit Ysis. Gervasius quidem Telliberiensis, in libro Ociorum im-

perialium, scribit Epaphum Heleni et Ysidis fuisse filium, et Babiloniam Egyptiam condidisse, quod opus fuisse Cambisis Persarum regis certiores autores affirmant. Et sic de patre et matre huius inter se discrepant autores; ego autem vulgatiorem secutus famam Jovis et Yonis filium dicam, ex cuius conceptione fabula infra ubi de Yone scribitur integre referetur. Huius dicit Lactantius Cassiopiam fuisse coniugem, non eam que socrus fuit Persei, sed longe antiquiorem, et ex ea quosdam suscepisse filios, ut postea apparebit. De tempore eius non minus quam de patre et matre discordes sunt veteres, nam, Eusebio ubi De temporibus referente, aliqui dicunt Jovem Yoni Ynachi filie mixtum, regnante Athenis Cecrope, qui regnavit circa annos mundi m̄d̄c̄xl̄vii , cum constet Ynacum regnasse usque ad annum mundi m̄ccc̄xc̄vii , et secundum hos oportuit aliam esse Yonem quam Ynachi filiam. Idem autem Eusebius paulo post predictam dicit Yonem in Egyptum profectam anno xliii regni Cicropis, qui mundi fuit annus m̄d̄cc̄x , et ibidem Ysidem nuncupatam, et Thelegono cuidam nupsisse, et ex eo Epaphum concepisse. Ego autem, discordantiis omissis, Jovis primi Epaphum filium dixi, eo quod eius tempus videatur convenire magis cum Yone Ynaci filie, et Yside Promethei, ex quibus quis potest quam malit illi matrem ascribere.

CAP. XX

De Lybia filia Epaphi.

Lybia Epaphi et Cassiopie coniugis sue, ut Lactantio placet, fuit filia. Que cum in Neptuni venisset concubitus, id est alieni hominis ab Egypto, ex eo concepit et peperit Busiridem, immanem postea tyrannum. Hec ut dicit Ysidorus. ubi de Ethimologiis, eius partis Affrice regina fuit que ex suo nomine Lybia dicta est.

CAP. XXI

De Belo prisco Epaphi filio, qui genuit Danaum, Egistum et Agenorem.

Belus, quem priscum cognominant veteres, Epaphi, secundum Paulum, fuit filius, et post eum in superiori Egypto regnavit, ubi, ut aiunt, celestis discipline inventor doctorque factus, meruit ab Egyptiis, ut idem Paulus asserit, templum quod illi in Babilonia fuit constructum, et Jovi Belo consecratum. Theodontius vero dicit templum hoc longe post Belum factum Crétensis Jovis astutia, qui captatis cum principibus amicitiiis, quasi ad eas conservandas, templa in regnis eorum edificari et suo et amici titulo insigniri plura fecit, qua astutia summe nomen eius et deitas ampliata est. Alii sunt qui dicant templum hoc non Belo prisco edificatum, nec in Babilonia Egyptia, sed Belo patri Nini regis Assyriorum in Babilonia Caldeorum, eumque ibi diu sub nomine Saturni sacris et cultu vario honoratum. Fuere preterea Belo prisco filii quidam, sed ex quibus mulieribus non constat.

CAP. XXII

De Danao Beli prisci filio, qui quinquaginta genuit filias, ex quibus Ypermestra et Amimon atque Bona tantum nomine cognoscuntur.

Danaus Beli prisci fuit filius, ut asserit Paulus, et illud idem confirmat Lactantius, qui etiam ante Paulum Orosium dicit Danaum Beli filium ex pluribus coniugibus quinquaginta filias habuisse. Quas cum Egystus frater eius, cui totidem erant melioris sexus filii, postulasset in nurus, Danaus, oraculi responso comperto, se manibus generi periturum, volens evitare periculum, conscensis navibus in Argos venit. Asseritque Plinius in libro Naturalis historie eum primum navibus seu navi trasfretasse, cum ante ratibus inventis ab Eritra rege in mari Rubro navigaretur. Esto sint, ut idem scribit Plinius, qui credant Misos et Troianos in Hellesponto priores excogitasse

dum adversus Tracas transirent. Egistus autem quod spretus esset indignans, ut illum sequerentur filiis imperavit, lege data ne unquam domum repeterent, ni prius Danaum occidissent. Qui cum apud Argos oppugnarent patrum, ab eo diffidente fraude capti sunt. Spondit enim se illis iuxta Egysti votum filias daturum in coniuges, nec defuit promisso fides; subornate enim a patre virorum intravere thalamos singulis cultris clam omnes armate, et cum vino letitiaque calentes iuvenes facile in soporem ivissent, obedientes patri virgines, captato tempore, iugulaverunt viros, unaqueque suum; Ypermestra excepta Lyno seu Lynceo viro suo miserto pepercit. Hunc Danaum dicit Eusebius, cui et Armais nomen fuit, anno mundi MDCCLXVI apud Egyptios regnare cepisse. Ast inde Egypto pulsus, Argos veniens prius Stelenum Argivorum regem, cum annis regnasset xi, regno ex pulit, et inde Gelanorem successorem eius Argivi ab imperio expulere et Danaum susceperunt. Qui aquis eos abundare fecit. Nam, ut ait Plinius in libro De historia naturali, puteos primus ex Egypto in Greciam fodiendos ostendit; et eisdem fere temporibus asserit eius opere a filiabus quinquaginta Danai filios quinquaginta Egysti fratris sui preter Lynum seu Lynceum occisos. Tandem ipse cum quinquaginta annis regnasset a Lynceo occisus est |

CAP. XXIII

De quinquaginta filiabus Danaï in generali.

Filie Danaï fraticide propriis fere nominibus incognite sunt, cum nomina trium tantum ad nos usque pervenerint; et sicuti nomina perdidimus, sic et fortunas post scelestum facinus perpetratum. Finxere tamen poete has apud Inferos esse damnatas, et hoc assidue agitari supplicio ut aurientes aquas urnas absque fundis conentur implere, ut dicit Ovidius: Molirique suis letum patruelibus ause Assidue repetunt, quas perdant Belides undas etc. Et Seneca tragicus in Hercule furente: Urnasque frustra Danaides plenas ferunt. Hoc ego illis iniun-

ctum supplicium reor ut mulierum singularis cura describatur, que dum suam formositatem lautitia nimia augere conantur, laborem perdunt et minuitur quod intendunt inani solertia augere. Vel potius monstratur qualis sit fluxorum atque effeminatorum hominum labor, qui, dum sepe repetito coitu credunt adimplere quod cupiunt, non obtento voto se ipsos evacuasse comperiunt.

CAP. XXIV

De Ypermestra una ex quinquaginta filiabus < Danai >.

10 Ypermestra, ut in Epistolis ostendit Ovidius, filia fuit Danai, et sola ex quinquaginta sororibus, neglecto patris imperio, Linceo viro suo pepercit, et ob id, ut idem dicit Ovidius, carceri tradita est. Hanc, ut dicit Eusebius in libro Temporum, non nulli putarunt Ysidem esse, attamen, Danao patre
15 Argis regnante, sacerdotio functa est.

CAP. XXV

De Amimone una ex quinquaginta filiabus < Danai >.

Amimon, ut ait Lactantius, filia fuit Danai ex quinquaginta sororibus una. Hec, cum studiose in silvis iaculo venaretur, inadvertenter satyrum percussit, qui cum illi vim vellet inferre, Amimon Neptuni auxilium imploravit. Neptunus autem, fugato satyro, quod ab illo virgo pati noluerat, a maiori deo
20 passa concepit et peperit ex Neptuno Nauplium. Quid autem de fictione sentiendum sit, infra ubi de ortu Nauplii apponetur.

CAP. XXVI

De Bona una ex quinquaginta filiabus (Danai).

Bona, dicit Ditis Cretensis, ubi de expeditione Grecorum contra Troianos scribit, filia fuit Danai, que ut ipsemet asserit Atlanti nupsit et ex eo Eletram peperit, que postea ex Jove Dardanum edidit. 5

CAP. XXVII

De Egysto Beli prisci filio, qui genuit quinquaginta filios ex quibus Linceus.

Egystus Beli prisci fuit filius et Danai frater, ut supra satis monstratum est. Huic quinquaginta fuere filii, quibus cum quessisset Danai fratris sui filias in coniuges, ab eisdem, Danai iussu, occisi sunt omnes nuptiarum nocte preter Linceum, ut predictum est. 10

CAP. XXVIII

26 d De Linceo ex quinquaginta filiis Egysti uno, qui genuit Abantem et Jasium et Acrisium. 15

Linceus, quem Lynum appellat Ovidius, filius fuit Egysti, et solus ex quinquaginta fratribus misericordia Ypermestre coniugis evasit a morte. Hic, ut placet aliquibus, Danao patruo pulso, pro eo regnavit apud Argos. Alii vero dicunt, eo occiso. Sed qualitercunque fuerit, ut Eusebius ostendit in libro Temporum, postquam Danus annis quinquaginta regnasset, Linceus eidem successit in regno, cumque regnasset annis xli, Abante et Jasio et Acrisio filiis derelictis, diem clausit. 20 25

CAP. XXIX

De Abante filio Lyncei, qui genuit Pritum.

Abas, ut asserit Barlaam, filius fuit Lyncei ex Ypermestra coniuge, esto Paulus dicat eum Beli prisci fuisse filium. Hic
 5 autem bellicosus homo et acerrimi ingenii fuit, Lynceoque patri successit in regno, annisque xxiii, ut dicit Eusebius, imperavit Argivis et mortuus est.

CAP. XXX

De Prito filio Abantis, qui genuit Meran et sorores

10 Pritus seu Pretus, ut Lactantio placet et Servio, filius fuit Abantis Argivorum regis. Huic, ut fere omnes asserunt, coniux fuit Stenoboe, Omerus autem dicit Anthiope, ex qua tres sustulit filias, que iam adulte, eo quod formosissime essent, elate tem-
 15 plum Junonis intrantes, se pretulere Junoni; quam ob rem turbata Juno, illis furorem immisit talem, ut se vaccas arbitrentur, et aratra timentes silvas optarent, ut ait Virgilius: Pretides implerunt falsis mugitibus agros. Ovidius aliam refert insanie causam, dicens has in Cea insula se vaccas creditas,
 20 eo quod furto facto ex armentis Herculis prestitissent consensum. Sed quacunque causa factum sit, egre tulit infortunium Pretus, proposuitque regni partem, et quam ex eis mallet in coniugem, ei qui illas in pristinam mentem revocasset. Cuius premii cupiditate tractus Melampus Amithaonis filius curandas
 25 Clitorim Arcadie civitatem duxisse, ibidem enim spelunca est ex qua profluit aqua, ex qua si quis biberit fit abstemius et ob id apud eam in lapide epygrama grecis carminibus scriptum est, testificans aquam non esse ydoneam ad lavandum, et vitibus inimicam. Ibi autem, peractis sacris, eas purgavit
 30 et pristine restituit menti, et sic regni partem et coniugium unius consecutus est. Pretus autem, secundum Eusebium, an-

nis xvii regnavit, eique successit Acrisius frater. Huis ego filias, si medelam Melampodis intueor, vino fuisse ultra quam deceat mulieres avidas arbitror et, potate non nunquam, se patri regi 27 a
preferre au|sas; quam ob rem Junonis iram, id est regnantis patris, meruere, et castigate in partem alteram instigante vīno 5
muliebriter in furiam verse, se vaccas, id est servas et iugo subditas clamitabant. Quod cum forsā sepius contigisset vexatus infortunio Pretus eas tradidit Melampodi curandas; qui cum eas aqua predicta potasset, hostes vini fecit et furor abiit 10
consuetus.

CAP. XXXI

De Merane Preti filia.

Mera, dicit Leontius, filia fuit Preti et Anthie filie Amphianaste, que cum venationibus dedita Dianam per nemora sequeretur, a Jove visa atque dilecta est, et ab eo Diane sumpta ymagine viciata. Que tandem cum ob pudorem patrati 15
sceleris, et timens ne iterum deciperetur, vocanti eam Diane obsequi noluit, et ob id Diana commota illam sagittis occidit. Hanc dicit Paulus Stenoboe fuisse filiam sicut et relique, et post susceptam sanitatem obsecuturam Diane venisse. Qua fictione 20
dicit idem Leontius monemur, ypocritas sepe credulos dolis in eam, quam dissuadent, deduxisse perniciem, a qua, dum verax homo aliquando lopsos relevare conatur, decepti semel et omnia timentes, increduli facti, oblatam respuentes salutem, 25
in mortem perpetuam dilabuntur.

CAP. XXXII

De Acrisio Abantis filio, qui genuit Danem matrem Persei.

Acrisius Abantis fuit filius, ut dicit Lactantius et, ut Eusebius in libro Temporum scribit, Preto fratri successit in regno. Hic, ut idem Lactantius asserit, nec ab hoc discrepat Servius, 30

unicam habens filiam Danem, ab oraculo in responsis habuit, se manu eius, qui ex filia nasceretur, moriturum. Qui ad effugiendam prenuntiatam mortem, filiam in turri quadam seposuit servarique iussit, ne quis homo ad eam posset accedere. Contigit igitur ut audita formositatis eius fama, illam concupisceret Juppiter, qui, cum ad eam accessum alium non videret, versus in auri guttam ex tegulis in gremium eius se cadere permisit, et sic pregnans effecta est. Quod egre ferens Acrisius eam capi iussit, et in arcam poni atque in mari proici. Quod cum ministri fecissent, in litus usque Apulum arca delata est, et casu a piscatore capta, in qua cum comperisset Danem et parvulum filium quem enixa fuerat, eam ad Pylum regem detulit. Qui cum genus eius cognovisset et patriam, illam libenter sibi coniugio copulavit. Filius autem eius, cui Perseus nomen fuit, cum excrevisset et Gorgoni caput absque tulisset, in Argos veniens Acrisium transmutavit in saxum. Que quidem permutatio secundum Eusebium | sonat: quod cum regnasset Acrisius apud Argos annis xxxi a Perseo nepote suo non sponte tamen occisus est, et in lapidem, id est in frigiditatem perpetuam, versus. Quod autem fictionis superest infra ubi de Dane declarabitur.

27 b

CAP. XXXIII

De Dane filia Acrisii

Danes Acrisii filia, ut supra proximo dictum est, in mare 25 pregnans a patre demissa, cum in Apuliam impulsa venisset, Pylum regi Apulo nupsit, et inde ad Rutulos abiire, et constructa ibidem Ardea civitate, Daunum Pylum peperit. Sane quod supra omissum est, Jovem auro fluxisse per tegulas intelligendum est auro pudicitiam virginis viciatam, et cum 30 non esset adultero iter permissum per ianuam, clam tectum conscendisse, et exinde se in thalamum virginis dimisisse. Dicit tamen Theodontius quod cum Danes amaretur a Jove, et se ob timorem patris sciret perpetuo damnatam carceri, ut

posset evadere et fugam arripere, occulte cum Jove auro concubitum mercata est, et parata navi et cum his quas potuit deferre divitiis, fugam arripuit pregnans ex Jove.

CAP. XXXIV

De Jasio Abantis filio, qui genuit Athlantam, Amphyonem et Thalaonem. 5

Fuit, ut Theodontio placet, Jasius iste Abantis filius. De quo nisi quod sepiissime inter Argivos reges numeratus est, et quod quosdam habuerit filios, nil legi.

CAP. XXXV

De Athlanta filia Jasii et matre Parthenopei. 10

Athlanta; ut dicit Lactantius et Theodontius, iunior fuit filiorum Jasii. Que cum speciosa virgo ex sociis esset Diane, ad aprum calidonium perimendum una cum cetera Achaye nobilitate iuvenum a Meleagro vocata venit, et in venatione prima aprum sagitta percussit, et ob suam formositatem a Meleagro dilecta; occisa belua ab ea eiusdem honorari capite meruit, ex quo eius in amicitiam venit et amplexus ipsius passa, ei Parthenopeum peperit. 15

CAP. XXXVI

De Amphyone Jasii filio, qui genuit Clorim. 20

Amphion, alter ab illo qui Thebas clausit muro, filius fuit Jasii et regnavit, ut dicit Leontius, in Orcomeno Minio et in Pylo, vocatus alias Argus, cui unica fuit filia nomine Cloris.

CAP. XXXVII

De Clori filia Amphyonis et Neley coniuge.

Cloris, ut supra dictum est, filia fuit Amphyonis et, ut
in Odissea testatur Omerus, Neleo nupsit, eique peperit Ne-
5 storem et alios plures filios.

CAP. XXXVIII

De Thalaone Jasii filio, qui genuit Euridicem, Flegeum et Adrastum.

Thalaon, dicit Paulus, filius fuit Jasii, et apud Argos
regnavit. Quod quidem, iudicio meo, sane intelligendum | est, 27 c
10 dum huiusmodi homines reges appellant veteres. Nam, cum
in catalogo regum non reperiantur, existimandum est eos de
stirpe regia fuisse, et aliquam regni portiunculam tenuisse, et
appellatos reges magis ob decus stirpis, quam ob possessum
a talibus regnum. Ex quibus Thalaonem hunc et Amphyonem
15 et Jasium puto.

CAP. XXXIX

De Euridice Thalaonis et Amphyarai coniuge.

Euridices, ut asserit Theodontius, fuit filia Thalaonis, et
Amphyarao vati iuncta coniugio, cui peperit Amphylocum et
20 Almeonem. Cumque Adrastus, Pollinici generi sui causam
adversus, Ethyoclem et Thebanos sumpsisset, bellumque pa-
raret, vidissetque Amphyaraus oraculi responso se non redi-
turum si iret in bellum, latibulum petiit, uxoriq; sue tantum
suas patefecit latebras. Qui cum ab Adrasto aliisque quereretur,
25 nec comperiretur usquam, contigit ut videret Euridices Argie
coniugi Pollinici monile, quondam a Vulcano donatum Her-
mioni coniugi Cadmi, illudque desideraret diceretque Argie,
si monile illud illi concederet, se ostensuram Amphyaraum, et

sic factum est. Quam ob rem in bellum vadens Amphyraus a terra absorptus est. Euridices autem postea ab Almeone filio, cui vadens Amphyraus vindictam sue mortis iniunxerat, occisa est.

CAP. XL

5

De Flegeo filio Thalaonis.

Flegeus, ut dicit Theodontius, filius fuit Thalaonis, et iuvenis moriens, nil memoratu dignum reliquit.

CAP. XLI

De Adrasto rege filio Thalaonis, qui genit Deyphylem et Argiam

10

Adrastus Argivorum rex, ut ait Lactantius, fuit filius Thalaonis et Eurimones, cui cum due essent filie Deyphyles et Argia, audissetque ab oraculo se nuptui daturum alteram apro, alteram leoni, circa futurum infortunium filiarum affligebatur, et ecce casu factum est, ut Pollinices Thebanus ex composito exul intempesta nocte Argos appelleret, imbresque fugiens regiam subintraret porticum. Nec mora et Tydeus, ob homicidium Calydoniam fugiens, ibidem deveniret, et in certamen post iurgium hospitii causa consurgerent, quam ob rem percitus senex Adrastus ad eos descendit et verbis et auctoritate sua iuvenum iras composuit eosque deduxit in regiam. Et cum vidisset alterum pelle leonis tectum, Pollinicum scilicet, qui regius iuvenis insigne illud in testimonium virtutis Thebani Herculis ferebat, et alterum cute apri, qui ob occisum a Meleagro patruo (aprum) in | decus prolis ea tectus incedebat, responsi ambiguitate intellecta, cognovit hos sibi generos esse transmissos. Quos postquam novit, affinitate contentus, Tydeo Deyphylem et Pollinici Argiam dedit uxores. Et cum iuxta promissum regnum ab Ethyocle Pollinyci non restitueretur, contractis viribus, adversus Thebanos bellum movit, et cum

15

20

27 d

25

30

iam duces omnes sui morte occubuissent cecidissentque mutuis vulneribus Pollinices et Ethyocles, ipse in fugam versus repetiit Argos, nec quis illi fuerit finis inveni.

CAP. XLII

De Deyphyle Adrasti filia et Tydei coniuge.

Deyphyles, ut dicit Statius, filia fuit Adrasti regis et coniunx Tydei Calidonii, cui peperit Dyomedem.

CAP. XLIII

De Argia Adrasti filia et coniuge Pollinice.

Argia, secundum Statium, Adrasti regis fuit filia et Pollinice coniunx, que cum illi peperisset Thessandrum, audissetque eum a fratre occisum, ab Argo Thebas veniens, ut extremas lacrimas et officium funerale cadaveri viri impenderet, eo quod id faceret adversus imperium Creontis, una cum Anthigona Pollinice sorore capta et, iussu Creontis, occisa est.

CAP. XLIV

De Agenore III^o Beli prisci filio, qui genuit VII filios, quorum prima Taygeta, II Polidorus, III Cilix, IIII Phenix, V Europa, VI Cadmus, VII Labdacus.

Post explicatas successiones Danai et Egysti filii Beli prisci, ad ampliorem prolem Agenoris Phenicum regis, eiusdem Beli filii, ut Theodontius dicit et Paulus, stilus revocandus est. Et esto a predictis dicatur quod hic Agenor fuerit Beli filius, sunt tamen qui dicant eum Beli fuisse filium, sed non Egyptiis, quin imo Phenicis, avumque huius Agenoris Agenorem etiam nuncupatum, eumque Agenorem primum, Ninia apud Assyrios regnante, cum ingenti multitudine peste coactus patrias sedes,

quas circa extremam meridionalem Egyptum habuerat, liquisse, et duce peregrinationis Nylo in litus Syriacum devenisse navibus, et illud, pulsus veteribus incolis, occupasse, ibique regnasse sibi que Belum filium successorem liquisse, quem huius Agenoris patrem volunt; alii vero nepotem ex Phenice filio. Ex quibus comprehendi potest a similitudine nominis et forsitan temporis exortum errorem, ut qui Beli Syriaci filius fuerit, creditus Beli Egyptiaci. Sed ex quocumque Belo natus sit, mens michi est hic Theodontii et Pauli opinionem sequi, cum de superiori non satis certus appareat autor. Hunc | igitur dicunt ex Egypto in litus Syrium abiisse et Phenicibus imprasse et amplissima atque generosa prole claruisse.

CAP. XLV

De Taygeta, prima Agenoris filia.

Taygetam dicit Ditis Cretensis Agenoris fuisse filiam, eamque Jovi placuisse et in eius venisse concubitum, et cum concepisset, Lacedemonem peperisse, dato sint qui eum ex Semele natum dicant.

CAP. XLVI

De Polidoro, II^o Agenoris filio.

Polidorus, ut testatur Lactantius, filius fuit Agenoris, de quo preter nudum nomen haberi nil puto, esto Theodontius de isto levem faciat mentionem, sed longe antiquiorem isto Agenore illum dicit.

CAP. XLVII

De Cilice, III^o Agenoris filio qui genuit Lampsacium et Pigmaleonem et Pyrodem.

Cilix, secundum Lactantium, filius fuit Agenoris. Hunc
5 dicit Theodontius hominem acris ingenii et robusti corporis
fuisse, et cum superiores sibi fratres sperneret, et de succes-
sione regni etiam desperaret, vilipenso superiorum iugo, parte
copiarum sumpta, sedes haud longe a suis sibi occupavit, et
regionem a suo nomine Ciliciam nuncupavit, ibique duos sibi
10 filios superstites dereliquit, Lampsacium scilicet et Pigmaleo-
nem. Sunt qui dicant provinciam hanc a Cadmo occupatam
antequam quesiturus Europam mitteretur a patre, eamque
postea a Cilice possessam, Cadmo non redeunte.

CAP. XLVIII

15 De Lampsacio Cilicis filio.

Lampsacius, ut dicit Theodontius et post eum Paulus,
filius fuit Cilicis, eique successit in regno, nec ex eo aliud
ulterius invenitur.

CAP. XLIX

20 De Pigmaliione, primo Cilicis filio et Cypriorum rege, qui genuit Paphum.

Pigmalion, ut dicit Theodontius, filius fuit Cilicis, de
quo refert, quod cum iuvenis esset, et gloria maiorum suorum,
quos ad Occiduum usque penetrasse et Affricum litus etiam
occupasse audierat, infestaretur, collecta Cilicum manu, et con-
25 vocatis ex Phenicibus classeque parata, in Cyprum tuam, sere-
nissime regum, transvexit exercitum, et inde veteres Syros,
qui ibidem, Agenoris vetustissimi viribus ex antiquis pulsi
sedibus, confugerant, expulit et occupavit omnem atque tenuit

insulam et regnavit in ea. Sane quod etiam testatur Ovidius
 in maiori volumine, cum ibi scelestissimas comperisset mulie-
 res, et omnino libidini obsequentes, vicio offensus, vitam ce-
 libem ducere disposuerat. Attamen quia valebat ingenio, et
 artificiosas haberet manus, finxere poete eum sibi ex candi- 5
 dissimo ebore femineam sculpsisse ymaginem, eamque iuxta
 28 b deside|rium suum lineamentis atque decore oris contraxisse
 per omnia. In qua, cum ingeniosus homo et artem miraretur
 suam, et venustatem ymaginis commendaret, in dilectionem 10
 eius incidit, et fervore maximo cupiebat eam esse feminam
 oravitque Venerem ea tempestate celeberrimam insule deam,
 ut animaret eandem et suorum faceret amorum sensibilem,
 nec effectu caruere preces, femina vera facta est. Quod adver-
 tens Pigmalion, gaudio plenus, quoniam voti campos esset,
 eius usus est concubitu, et evestigio gravida facta est, eique 15
 peperit filium quem Paphum ipse postea nominavit, eumque
 sibi morienti reliquit heredem. Nunc quid sibi eburnea velit
 ymago ingenio potius poetico quam viri artificio fabrefacta
 videndum est. Arbitror enim, cum Pigmaleoni suspecta pro-
 vectarum etate virginum pudicitia esset, eum sibi virgunculam 20
 elegisse etate suspicione carentem, candore atque mollitie ebori
 similem, quam cum suis aptam fecisset moribus, excrevit ante
 etatem puellule concupiscentia eius, cepitque desiderare atque
 exposcere precibus ut cito efficeretur matura viro, qua tandem
 facta, in votum devenit suum. 25

CAP. L

De Papho Pigmaleonis filio, qui genuit Cynaram.

Paphus, ut dicit Theodontius, filius fuit Pigmaleonis ex
 eburnea matre. Qui cum Pigmaleoni successisset in regno,
 Cyprum insulam Paphum ex suo nomine nuncupavit. Paulus 30
 autem dicit Paphum oppidum ab eo tantum constructum et
 de suo nomine nominatum. Quod quidem Veneri sacrum esse
 voluit, constructo in eodem illi templo et ara, cui thure solo
 diu sacrificatum est.

CAP. LI

De Cynara filio (Paphi), qui genuit Myrram et ex Myrra Adonem.

Cinara filius fuit Paphi, prout ostendit Ovidius dum dicit:
 Editus hac ille est, qui, si sine prole fuisset, Inter felices Cy-
 5 naras potuisset haberi. Est autem hic alter ab illo Cynara, qui
 Assyriorum rex dicitur in lapidem versus, flendo infortunia
 filiarum. Ex hoc autem Cynara Cyprio preter scelus unum non
 habemus. Nam ut ipse recitat Ovidius, huic ex coniuge filia
 10 fuit nomine Myrra, que cum formosa esset ac etiam matura
 viro, preter debitum patrem amavit et nutricis sue opere, dum
 mater eius sacra Cereris celebraret, in quibus oportebat per
 novem dies a contactu viri abstinere, eius concubitu potita
 est, in quo pregnans effecta, illi Adon filius natus est |

28 c

CAP. LII

15 De Myrra filia Cynare et matre Adonis.

Myrram, ut supra patet, Cynare regis filiam dicit fuisse
 Ovidius, et cum eum nephasto adamasset amore, opere nutri-
 cis sue, eius incognita nocte habuisse concubitum. Fulgentius
 tamen dicit eam cum Cynara, postquam illum ebrium effecisset,
 20 habuisse concubitum. Que ex nephario concubitu pregnans
 facta, cum illam vellet noscere Cynara, novissetque filiam,
 dolore percitus eam secutus occidere voluit. Quidam dicunt
 eam in Sabeos fugisse, ad quos usque secutus Cynara, cum
 illam gladio percussisset, ex vulnere conceptum filium erupisse.
 25 Ovidius tamen dicit eam miseratione deorum apud Sabeos in
 arborem sui nominis versam et, calore solis aperto cortice,
 filium emisisse, quem nynphe liquoribus unxere maternis.
 Figmento huic arbitror causam dedisse nomen arboris, que
 apud Sabeos vocatur Myrra, guttas emictens, solis percussa
 30 radiis. Ex quibus pigmentum conficitur quod Adon vocant,
 quod latine suave sonat, est enim suavissimi odoris, et ut

videtur velle Petronius Arbiter, plurimum libidini conferens, adeo ut asserat se ad libidinis incrementum mirrinum potasse poculum. Verum Fulgentius, ut in pluribus longe altius sentiens, circa hoc dicit, myrram arborem in Yndia esse et solis caloribus cremari, et quia solem patrem omnium rerum dicebant, ideo patrem Myrram amasse dictum, et cum sol ferventius illam calefaceret, eam rages ex rimis corticis emittere et sic, a patre vulnerata, Adonem, id est suavitatem odoris, emisisse.

CAP. LIII

De Adone filio et nepote Cynare.

Adon Cynere regis avi sui et Myrre sororis fuit filius, ut longo carmine, in maiori volumine, testatur Ovidius. De quoniam ipse idem recitat fabulam. Dicit enim quod cum formosissimus evasisset iuvenis, a Venere casu percussa a filio summe dilectus est; que dum illum maxima delectatione sua per silvas sequeretur et nemora eiusque uteretur amplexibus, sepius eum monuit, ut sibi ab armatis beluis caveret et sequeretur inermes. Verum die quadam male verborum Veneris memor, in aprum irruens ab eo occisus est. Quem Venus flevit amare, et in florem convertit purpureum. Hoc figmentum Macrobius in libro Saturnaliorum conatur enodare mirabili ratione. Dicit enim Adonem solem esse, quo nil pulchrius et eam terre partem quam inhabitamus, superius scilicet hemispermium, Venerem esse, cum que in inferiori est hemisperio a physicis Proserpina appellata sit. Et sic apud Assyrios et Phenices, quos penes et Veneris et Adonis ingens fuit religio, tunc Venus cum Adone a se dilecto delectatur, cum circa superius hemispermium sol ampliori circumflectitur ambitu et inde ornatior, quia flores frondes et fructus eo tempore terra producit. Dum vero breviores circumducit circulos de necessitate maiores apud inferius hemispermium agit, et sic autumnus et hyemps imbribus assiduis terram decore suo privatam lutosam faciunt,

quo aper, qui hispidum animal est, delectatur, et sic ab apro, id est ab ea temporis qualitate qua delectatur aper, Adon, id est sol, terre, id est Veneri, sublatus videtur, et inde Venus luctuosa efficitur. Quod autem sit Adon transformatus in florem, ob id fictum puto, ut nostri decoris brevitatem ostendatur, mane quidem purpureus est, sero languens pallensque marcidus efficitur, sic et nostra humanitas mane, id est iuventutis tempore, florens et splendida est, sero autem, id est senectutis evo, pallemus et in tenebras mortis ruimus. Sane quicquid Assyrii sentiant vel Macrobius hystoria tamen videtur sentire, et Tullius testatur ubi De naturis deorum Venerem fuisse Syria Cyproque conceptam, id est ex Syro homine et Cypria muliere, quam Astarcem vocavere Syri, eamque Adoni nupsisse, et ut dicit Lactantius in libro Divinarum institutionum, in sacra hystoria continetur, hanc meretriciam instituisse artem et stuprum mulieribus suasisse, et ut vulgato corpore questum facerent, et hoc ideo dicit imperasse, ne sola preter alias mulieres impudica et virorum appetens videretur. Ex quo consecutum est, et longis perseveratum temporibus, ut Phenices de prostitutione filiarum donarent antequam eas iungerent viris, ut in libro De civitate dei testatur Augustinus, et Justinus in Epythoma Pompeii Trogi, ubi Dydonem septuaginta virgines in litore Cyprio, que in questum venerant, rapuisse demonstrat. Fuit igitur Adon rex Cypri et Veneris maritus, quem ego etiam seu ab apro seu alia nece Veneri subtractum reor, eo quod ad imitationem lacrimarum eius veteres anniversario plangore consueverint Adonis interitum flere. Quos in suis visionibus increpat Ysaïas.

CAP. LIV

De Pyrode Cilicis filio.

Pyrodes, ut Plinius asserit, in libro Naturalis hystorie, filius fuit Cilicis, ex quo et si nil aliud habeamus, eodem Plinio teste, saltem habemus eundem primo ignem ex silice excussisse.

CAP. LV

De Phenice, IIII^o Agenoris filio, qui genuit Phylistenem et Belum.

Phenix, ut dicit Lactantius, filius fuit Agenoris. Hunc dicit Eusebius in libro Temporum, regnante Argivis Danao, una cum Cadmo fratre a Thebis Egyptiis venisse in Syriam, et
 29 a apud Tyrum et Sydonem | imperasse, quod quidem fuisse potuit circa annum mundi III dcc xlvi; post paululum autem dicit eum anno primo Lyncei regis Bithiniam condidisse, que prius Mariandina vocabatur. Quod fuit anno mundi III dcc lxxviii. Huius tamen adventus in Syriam non convenit cum dictis supra, ubi de Agenore a Theodontio et etiam ab Ovidio discrepat, qui videtur velle Agenorem venisse non Phenicem, cum Cadmum missum ad perquirendam Europam ab Agenore non a Phenice describat. Sed has ego varietates ultro concordare volentibus linquam et de Phenice quid compererim prosequar. Hunc autem artificiosum fuisse hominem ostendit Eusebius, eo quod primus quasdam licteras seu licterarum characteres Phenicibus dederit. Deinde ad scribendum eas eis instituisse vermiculum, unde et color ille pheniceus dictus est, credo ab inventore qui postea, mutata lictera, est puniceus appellatus.

CAP. LVI

De Phylistene filio Phenicis, qui genuit Syceum.

Phylistenem dicit Theodontius filium fuisse Phenicis. Qui cum esset Herculis sacerdos, qui persanctissime a Phenicibus colebatur, videretque, Phenice patre mortuo, Belum fratrem natu maiorem regnare, relicto Syceo filio sacerdotio et copiarum parte sumpta, naves conscendit et post multos casus cum Herculis columnas cursu superasset, ibidem in litore oceani sedes assumpsit perpetuas, condita civitate quam Gades vocare sui et, ne sacerdotium abdicasse videretur, omnino templum ibidem constituit Herculi et sacra omnia ritu Tyrio innovavit.

CAP. LVII

De Syceo Phylistenis filio et Dydonis viro.

Syceo, secundum Theodontium, fuit filius Phylistenis, cui, abeunte patre, sacerdotium derelictum est, ut supra dicitur, quod a rege proximus erat honor. Hunc dicit Servius Sycar-
 5 bam vocatum, esto eum Syceum semper Virgilius vocet. Et Justinus insuper illum vocat Acerbam. Hic autem seu relictis seu aliunde quesitis thesauris, ut Theodontio placet, et reliquis copiosus factus plurimum, Belo mortuo, Elyssam filiam eius
 10 accepit uxorem, que postea Dydo vocata est, quam precipue dilexit. Verum cum Pygmalion, Beli filius, patri successisset in regno, auri avidus, eius desideratis divitiis, clam illi tetendit insidias et incautum interemit.

CAP. LVIII

15 De Belo Phenicis filio, qui genuit Pigmalionem et Dydonem et Annam.

Belus qui et Mettes secundum Servium appellatus est, ut ait Theodontius, filius fuit Phe[nicis, vir bello et armis insignis adeo ut Cyprios litus Phenicum pyrratica infestantes
 20 tangit dicens: Genitor tum Belus opimam Vastabat Cyprum et victor dicione tenebat etc.

CAP. LIX

De Pigmaliione filio Beli.

Pigmalion, ut Theodontio placet, filius fuit Beli regis Tyri
 25 et, patre moriente, ut ait Justinus, una cum sororibus Tyriis derelictus est. Cui, adhuc puero, populus paternum tradidit regnum. Hic vero avarissimus, cum animum ad divitias Sycei patruelis sui iniecisset, illum dolo interemit. Hoc solum scelus ex rege isto nobis reliquit antiquitas.

CAP. LX

De Dydone filia Beli et coniuge Sycei.

Dydo precipuum matronalis pudicitie decus, ut Virgilio placet, Beli regis fuit filia. Hanc insignis forme virginem Tyrii, Belo mortuo, Acerbe seu Sycarbe vel Syceo Herculis sacerdoti dedere in coniugem, qui ob avaritiam a Pigmali- 5
 one occisus est. Hec autem post longa fratris mendacia in somnis a viro premonita, sumpto virili animo, pluribus ex his quibus sciebat Pigmalionem exosum clam in suam sententiam tractis, sumptis navibus fugam cepit, thesauris secum delatis, et cum 10
 in litus devenisset Affricum, ut placet etiam Tito Livio, mercato ab incolis suadentibus, ut ibidem sedem summeret, tantum litoris quantum posset bovino corio occupare, illudque in car- tam redactum et in frusta concisum occupavit plurimum, et ostensis sociis thesauris eisque animatis, civitatem composuit, 15
 quam postea vocavere Cartaginem; arcem vero eius a bovino corio, quod sic vocitant, Byrsam nuncupavit. Ad hanc acces- sisse Eneam profugum, vi tempestatis impulsus, et hospitio thoroque susceptum ab ea, Virgilio placet, eamque, discedente a se Enea, ob amoris impatientiam occisam. Verum Justinus 20
 et historiographi veteres aliter sentiunt. Dicit enim Justinus eam a Musitanorum rege sub belli denuntiatione a principibus Cartaginensibus postulatam in coniugem, quod cum ipsa rescisset et sua se ante sententiam ad omnem casum pro salute patrie damnasset, egre tulit, sed terminum impetravit infra 25
 quem se ad virum promisit ituram. Qui cum venisset, constructo ingenti rogo, in eminentiori civitatis parte, quasi Sycei placatura manes, illum conscendit, et astantibus civibus atque expectantibus quidnam factura esset, ipsa, educto quem clam gesserat cultro, dixit: optimi cives ut vultis ad virum vado, 30
 seque hoc dicto interemit, mortem potius | eligens quam pudicitiam maculare. Quod etiam longe aliud est a descriptione Maronis.

CAP. LXI

De Anna Beli regis filia.

Anna filia fuit Beli, ut videtur placere Virgilio, qui illam
sepissime sororem Dydonis appellat. Hec Dydonis fuge comes
5 fuit, quam postquam mortuam vidit et Carthaginem a Jarba
rege occupatam, ut Ovidius dicit, ubi de Fastis, ad Bathum
regem Corise insule aufugit, vetusti hospitii confisa iure. Tan-
dem sentiens quia Pigmalion arma adversus eam moveret, hanc
ob causam a Batho licentiata intravit mare, et tempestatem
10 passa, ubi Cameren petere intendebat, in Laurentum litus de-
lata est, per quod dum Eneas iam superato Turno cum Achate
spatiando deambularet, eo viso, fugam cepit, tandem prestita
ab Enea fide, substitit et ab eo in regiam deducta est. Cuius
ob adventum suspicata Lavinia ei tetendit insidias, verum
15 Anna, a Dydone per quietem monita, nocte regiam exivit, et
si satis potest ex Ovidii verbis concipi, in Numicum flumen
sese precipitem dedit. Sane fictor Ovidius ad ulteriora pro-
cedens dicit: quod cum postea exquireretur et a perquirentibus
perveniretur ad Numicum, visum est illis e fluvio vocem au-
20 disse dicentem: placidi sum nynpha Numici. Amne peremne
labens Anna peremna vocor. Post ipsum autem Ovidium dicit
Macrobius in Saturnaliorum libro, Aprili mense publice et
privatim sacrificatum iri ut annare et perennare comodi liceat.

CAP. LXII

De Europa Agenoris V^a filia.

25 Europa filia fuit Agenoris, ut per Ovidius patet. Ex qua
talis narratur fabula. Quod cum ob formositatem suam summe
diligereetur a Jove, ab eodem Mercurius missus est, eique im-
peratum ut, que cerneret armenta in montanis Phenicum, in
30 litus pelleret, quo cum puellis ludere consueverat Europa.
Quod cum Mercurius fecisset, Juppiter, in candidum taurum

transformatus, se armentis immiscuit. Hunc cum cerneret
 virgo, pulchritudinis et mansuetudinis eius delectata, illum
 primo tractare manibus cepit, at in eius conscendit dorsum,
 qui paulatim se in undas deducens, dum illam territam et
 cornibus atque dorso innitentem sensit, natans in Cretam trans- 5
 tulit, ubi in veram redactus formam eam oppressit et oppressu
 pregnantem fecit. Que illi postea peperit, ut nonnullis placet,
 Minoem, Radamantum et Sarpedonem. Ipse vero in eius sem-
 piternam memoriam terciam orbis partem Europam ex eius
 29 d nomine nuncupavit | Huius fabule figmentum adeo tenui tegitur 10
 cortice, ut facile possit apparere quid velit. Nam Mercurium
 armenta depellentem in litus ego eloquentiam et sagacitatem
 alicuius lenonis, virginem e civitate in litus deducentem, intel-
 ligo, seu mercatorem fictum se iocalia ostensurum, si navem
 conscenderet, pollicentem. Jovem in taurum transformatum vir- 15
 ginis delatorem, iam apud deliras aniculas vulgatum est, navem
 fuisse cui erat insigne albus taurus, qua, quacunq̄ fraude
 conscensa a virgine, illico remigantium opere factum est, ut
 deferretur in Cretam, ubi Jovi coniugio iuncta est; seu, secun- 20
 dum Eusebium in libro Temporum, Asterio regi, ex quo ipse
 supra dictos filios asserit procreatos. Augustino tamen placet
 hunc non Asterium sed Xantum appellatum fuisse. Discrepant
 insuper de tempore huius rapine plurimum autores. Cum sint,
 ut Eusebius refert, qui dicant Jovem, anno Danaï regis Argi-
 vorum XL^o, Europe mixtum; eamque postea Asterium Creten- 25
 sium regem in coniugem assumpsisse, qui annus est mundi
 III dcc lxxviii. Alii vero dicunt eam a Cretensibus raptam,
 regnante Argis Acrisio, circa annum mundi III dccc lxxviii.
 Quidam autem volunt eam raptam, Pandione Athenis regnante,
 anno scilicet mundi III dcccc xvi. Quod quidem tempus magis 30
 convenit eis que de Minoe eiusdem Europe filio leguntur.
 Huius ymaginem egregiam ex ere a Pictagora Tarenti positam
 dicit Varro, ubi De origine lingue latine.

CAP. LXIII

De Cadmo, Agenoris VI^o filio qui genuit Semelem, Agavem, Auctonoem et Ynoem.

Cadmus, antiquorum omnium vulgata fama, fuit filius Agenoris, quem una cum Phenice fratre a Thebis Egyptiorum venisse anno Danai Argivorum regis XVII^o, et apud Tyrum et Sydonem regnasse scribit Eusebius in libro Temporum, cum, ut supra patet, longe ante ibidem venerit Agenor peste pulsus, a quo Agenorem patrem horum nunnulli volunt duxisse originem. Qui Eusebius post hec scribit: anno regni Lyncei XVI^o Cadmum Armeniam occupasse; quod a Cilyce factum supra memoravimus. Hic tamen, ut scribit Ovidius, cum rapuisset Juppiter Europam, ad ipsius perquisitionem ab Agenore patre missus est, hac ei indicta lege, ne absque ea reverteretur in patriam. Qui, sumptis sociis, cum quorsum quereret ignoraret, novas sibi exquirere sedes statuit. Et cum haud longe a Parnaso applicuisset, oraculum consuluit et habito responso ut bovem sequeretur | indomitam et ibidem, ubi consisteret, sedes summeret, qui in destinatum sibi locum ductus acquievit, et regione a bove vocata Boetia, civitatis fundamenta iecit, eamque ab antiquis Thebis Egyptiis, ex quibus predecessores eius advenerant, Thebas appellavit. Sane, ut dicit Ovidius, dum vellet sacrum conficere et ex sociis quosdam misisset ut aquam afferrent, nec reverterentur, eos secutus, comperit a serpente ingenti devoratos. Quem cum spectaret, audivit quia et ipse serpens inspiceretur. Eo tandem occiso, monito sumpto dentes illi evulsit ac seruit, et repente homines in armis exorti sunt, et prelium invicem habuere spectante Cadmo, nec ante cessavit prelium, quam quinque tantum superstites remanerent. Qui, inita pace, sese iunxere Cadmo et cepto operi adiutorium prestitere. Palefatus insuper scribit eum Spingam habuisse coniugem, eandemque propter zelum Hermione ab eo discessisse et adversus Cadmeos bellum inisse. Sunt preterea qui velint eum secum Yppocrenen fontem sedentem, atque medi-

tantem, XVI licterarum characteres adinvenisse, quibus postea
 omnis Grecia usa est; sic et Plinius in libro Naturalis hystorie
 dicit: Eum apud Thebas lapicidinas invenisse et auri metallo-
 rumque conflaturam, dato Theophrastus eum dicat hec apud
 Phenices egisse. Verum longe post designatum tempus. Nam 5
 quod supra de eo scribitur fuit circa annum mundi $\overline{\text{III}}$ dcc xcv,
 hec autem circa annos $\overline{\text{III}}$ dcccc xxx viii. Inde dicit Ovidius
 fuisse sibi coniugem Hermionem Martis et Veneris filiam, ex
 qua constat III^{or} genuisse filias, eidemque Hermioni a Vul-
 cano victrico exitiale monile concessum. Post hec autem, cum 10
 plurima ex nepotibus et filiabus evenissent infortunia, ipse
 iam senex ab Amphyone et Zeto pulsus in Yllirios abiit, et
 ibi miseratione deorum in serpentes ipse et Hermiona versi
 sunt. Huius hystoria, fabulosa aliqua habet immixta, quorum
 videre sensum superest. Serpentem igitur Marti sacrum ego 15
 senem hominem atque prudentem olim armigerum et belli-
 cosum intelligo, verbis suis et percontationibus Cadmi socios
 detinentem, cuius consilio, quod ego per dentes assummo,
 inter incolas seminata discordia est, qui adversus eum Spinge
 impulsu surrexerant. Ex qua repente sumptis adversum se 20
 armis in pugnam devenere, quorum principes, attritis cede po-
 pularibus, cum Cadmo in concordiam devenere et ex incolis
 atque forensibus unum fecere populum. Quod autem ipse exul
 cum coniuge serpens effectus sit, eos designat factos esse lon-
 gevos, prudentes enim serpentum more sunt | senes et rerum 25
 experientia cauti, et etate annosi, et si etiam evum impulerit,
 et subsidia desint, ritu serpentum curvo incedunt pectore. De
 tempore tamen regni huius etiam discordes fuere veteres. Dicit
 enim Eusebius in libro Temporum, anno regni Abantis, regis
 Argivorum, VIII^o, qui fuit mundi annus $\overline{\text{III}}$ dcccc xxvii, Cadmum 30
 ab Amphyone et Zetho regno pulsum. Nec multum post dicit:
 Regnante Argis Acrisio, Cadmum regnasse Thebis, cum Acri-
 sius Abanti successerit, quod tamen esse potuit circa annum
 mundi $\overline{\text{III}}$ dcccc lxxv. Cui tempori congruit quod post modum
 idem scribit Eusebius, scilicet Acrisio Argis regnante ea fuisse 35
 que de Spartis memorantur. Quos dicit Palefatus, quod cum

proximarum essent regionum, adversus Cadmum subito constitisse, et propter repentinos contractus quasi de terra natos, et quia ex omni confluisissent parte, Spartos vocatos. Sed tamen male convenit tempori quo supra raptam diximus Europam. Hi veritatem comperiant quibus magis est cure; ego autem nil amplius reperire potui.

CAP. LXIV

De Semele filia Cadmi.

Semeles Cadmi filia fuit et Hermionis, ut satis per Ovidium patet in maiori volumine. Hanc ex Jove pregnantem cum egre ferret Juno, ei in vetulam Beroem Epidauream transformata suasit ut experiretur nunquid amaretur a Jove, ut ab eo postularet ut secum prout cum Junone concuberet. Que cum Jovem per Stigias undas iurare compulisset ut sibi postulata concederet, petiit ut secum prout cum Junone iaceret. Juppiter autem dolens quia iurasset, sumpto minore fulmine, eam percussit et mortua est, eique ex utero nondum perfectus infans eductus est, qui Bachus postea fuit. Figmenti huius ego veritatem puto hanc feminam pregnantem, ut ipsa sonat fabula, fulmine percussam; non enim ignis, id est Juppiter, aeri, id est Junoni, miscetur, nisi per fulmen ad inferiora descendens.

CAP. LXV

De Agave filia Cadmi.

Agaves, ut satis notum est, Cadmi et Hermionis fuit filia, quam Cadmus Echioni uni scilicet ex sociis, qui illum iuvare Thebas ponere, matrimonio iunxit, ex quo ipsa concepit et peperit filium quem vocavere Pentheum, elati animi iuvenem. Qui cum sacra Bachi spreveret, celebrantibus matre et sororibus et aliis, ab omnibus in furiam versis occisus est.

30 c Dicebat Leontius Pentheum hunc abstemium fuisse, et ob id a temulenta matre et aliis occisum, | quia sepius ebrietatem et temulentiam damnasset earum.

CAP. LXVI

De Auctonoe filia Cadmi. 5

Auctonoe Cadmi et Hermionis fuit filia, ut ait Ovidius. Hec Aristei fuit coniunx et ex eo peperit Atheonem.

CAP. LXVII

De Ynone Cadmi filia.

Yno eque Cadmi et Hermionis, ut ait Ovidius, filia fuit. 10
Que cum nupsisset Athamanti Eoli filio, eique Learcum et Melicertem peperisset, cum ab insano patre Learcum vidisset occisum, sibi timens et reliquo, ex prurupto saxo se precipitem dedit in mare. Ex quo aiunt eam marinam deam Leucotoem factam, et Melicertem Palemonem miseratione Neptunni. Credo 15
ego loca illa fuisse ad que necata cadavera mare detulerit, et delatis ad solatium superviventium imposita deitatis nomina. seu potius ut infra legitur de Learco et Melicerte.

CAP. LXVIII

De Labdacio, VII^o Agenoris filio qui genuit Layum. 20

Labdacius, ut dicit Theodontius, iunior fuit filiorum omnium Agenoris. Qui cum audisset fugatum fratrem et Amphyonem propria manu peremptum, et Lycum occisum ab Hercule, ab amicis sollicitatus precibus, ut, Syria relicta, veniret in Greciam, cum esset ob senium nimis inhabilis ad 25
laborem, Layum ex filiis iuniorem transmisit. Quia confestim, occupato regno, rex dictus est. Paulus autem dicit Labdadium

Phenicis fuisse filium, senemque Thebas venisse vocatum, et ibidem regnasse aliquandiu et Layum filium genuisse.

CAP. LXIX

De Layo rege Thebarum Labdacii filio, qui genuit Edippum.

5 Layus Thebarum rex fuit et, ut satis premonstratum est, Labdacii filius. Qui seu ex Phenice missus venerit Thebas, seu ibidem natus sit, regnans Yocastam Creontis Thebani [filiam] sumpsit uxorem. Quam cum audisset concepisse, consuluit de futura prole oraculum et in responsis habuit se nascituri manu periturum. Qui volens consilio obstare periculo, 10 iussit Yocaste ut quicquid nasceretur exponeret. Que cum mesta infantem fecisset exponi, alitus puer ab extero, dum adolescens patrem exquireret et ab oraculo se audisset illum apud Phocim inventurum, cum venisset ibidem, patrem incognitum se- 15 ditionem civium et exterorum separantem occidit, et sic Layus occubuit.

CAP. LXX

De Edippo filio Lay, qui genuit Antigonam et Ysmenam et Ethyoclem et Pollinicem.

20 Edypus rex Thebarum fuit et Laii filius et Yocaste, ut in Thebayde testatur Staius. Hunc iussu patris, ut supra dictum est, a matris utero in silvas abiciendum feris delatum, dicunt. Quem cum deferrent servi, eius etati innocue compa- 30 d tientes, non abiecerunt iuxta mandatum, | quin imo, perforatis ei pedibus, arbori vimine alligarunt. Ad vagitum cuius tractus pastor quidam Polibi Corinthiorum regis, eum ab arbore ab- 25 stulit et ad Polybum detulit. Qui, cum filiis careret, patria affectione suscepit et filii loco educavit. Is tamen cum ad- levisset audissetque se non Polibi filium, perquire patrem dispo- 30 suit, et cum Apollinem consulisset, accepit, se Phocis patrem reperturum et matrem sumpturum in coniugem. Qui Phocim

veniens, orta inter cives forensesque seditione, dum faveret
 forensibus, Layum conantem sedare tumultum incognitum in-
 teremit. Tandem, tanquam ab oraculo lusus, Thebas petens,
 Spingem invenit, quam, solutis problematibus, cum occidisset,
 Thebas intravit, ubi filius Polibi creditus; illi Yocasta mater 5
 coniugio iuncta est, quam libens sumpsit, Meroes olim Polibi
 coniugis, quam matrem suspicabatur, timens coniugium. Et
 rex Thebarum factus et III^{uor} filiorum ex Yocasta pater, orta
 letali peste Thebis, habitum est ab oraculo non defuturam civi-
 tati pestem, ni regnantis exilio incestuosum Yocaste coniugium 10
 purgaretur. Sane dum hesitaret iam infelix, venit Corinthius
 unus, eum Polibo mortuo in regnum vocans. Qui, dum se
 matris nuptias timere diceret, quonam modo Corinthum deve-
 nisset audivit a sene. Quod cum audisset Yocasta, memor
 que a servis audisset qui illum detulerant, inspectis eius pe- 15
 dibus, eum extemplo recognovit in filium. Quod ille audiens
 et a se Layum patrem occisum cognoscens, dolore percitus
 sibi manus iniecit in oculos, eisque eiectis se perpetuis damna-
 vit tenebris. Filii vero disadentes, eius sprete humilitate ve-
 nientes in bellum et inde in mutuam mortem, Yocasta iam 20
 gladio perempta, mestus dolensque, altera filiarum ducente,
 exul Creontis imperio, in Cytheronem montem abiit. Quo autem
 inde abierit, michi incognitum est. Sibi tamen ab Athenien-
 sibus, nescio quo merito, templum et sacra tanquam deo, Va-
 lerio referente, constituta sunt. 25

CAP. LXXI

De Anthigona Edyppi filia.

Anthigona, Statio teste, Edipi et Yocaste fuit filia, hec patri
 ceco et in exilium a Creonte pulso ducatum miseranda prestitit.
 Inde cum ad exhibendas ultimas lacrimas fratribus et officium 30
 funebre noctu adversus Creontis imperium venisset, ibique Ar-
 giam Pollinici coniugem comperisset cremarentque ambe ca-
 davera fratrum, cum Argia capta est, et iussu Creontis occisa.

CAP. LXXII

De Ysinene filia Edippi.

Ysmen Edipi fuit filia, ut asserit Statius. De qua nil habetur nisi quod cuidam Athy iuveni Cyrreo desponsata fuerit.
 5 Qui ante nuptias a Tydeo occisus est.

CAP. LXXIII

De Ethyocle Edippi filio et Yocaste |

31 a

Ethyocles Edypi filius, spreta patris humilitate, habita cum Pollinice fratre de regimine regni sub hac lege concordia, ut vicissim singulis annis altero interim exule regnarent, repetito a Pollinice exule per Tydeum amicum regno, non solum servare legem noluit, sed insidias Tydeo legato posuit. Quam ob rem septem regum obsidionem passus est, et demum in duellum cum fratre veniens, ab eo iam victus, illum
 10 cultro transegit, et sic mutuis cecidere vulneribus, nec eorundem ignes cremantes cadavera fuere concordēs.

CAP. LXXIV

De Pollinice filio Edippi, qui genuit Thessandrum.

Pollinicum Edipi fuisse filium et Yocaste notissimum est.
 20 Hic cum fratre, ut proximo supra, inita de regimine pactione, primus in exilium tendens, agentibus imbris et vento, nocte Argos intravit; et cum sub regia porticu quiesceret adveniente Thideo, qui exul patriam fugiebat, intrante eo sub porticum, adversus eum surrexit in rixam, et ut supra dictum est ab
 25 Adrasto rege pacati et in regiam deducti sunt, et eius etiam generi facti. Tractu autem temporis, cum Tydeus sub legationis nomine pro Pollinice Ethyocli regnum postulasset frustra, eique contra ius gentium in mortem insidias ab Ethyocle sibi positas

31 b comperisset, eo itum est, nato iam ex Ar|gia Pollinici parvulo filio, ut Adrastus, congregatis Argivis principibus, adversus Ethyoclem et Thebanos iret in bellum, ubi hyatu terre absorpto Anphyrao, et Tydeo saggitta letali vulnere icto reliquisque peremptis variis mortibus pugnando regibus, actum est, ut in 5
singulare certamen devenirent fratres, in quo, cum iam victor videretur Poliniciis, clam a fratre iacente transfixus est, et sic ambo mutuis vulneribus periire. Quorum tam efficax atque inflexibile odium fuit, ut etiam eis mortuis inter cadavera perseveraret. Nam, eis in eodem rogo ab Argia Polliniciis co- 10
niuge et Antigona sorore positis, non primo ignis accensus est quam divide sint flamme, adeo ut liquido appareret cada- vera recusare uno eodem igne comburi.

CAP. LXXV

De Tessandro Polliniciis filio. 15

Tessander Polliniciis fuit filius ex Argia, Statio teste. Qui, cum robustus evasisset iuvenis, inter proceres ceteros ad Tro-
ianum excidium ivit cum Grecis, et, ut ait Virgilius, unus fuit ex illis qui cum Ulixee ligneum equum intravere. Quid tandem ex eo fuerit non comperi. 20

CAP. LXXVI

De Scitha XIII^o filio primi Jovis.

Scitha, ut Plinio placere videtur in libro De hystoria naturali, Jovis fuit filius. De quo nil aliud legimus, preter quod ipse asserit Plinius, eum scilicet arci saggittarumque reperto- 25
rem primum fuisse; quem longe antiquiorem sacre testantur litere, ex quibus summitur Lamech saggittarium extitisse.

Supererat de stirpe Etheris Celius quem, ut in sequenti libro daret initium, reservare satius visum est.

Genealogie deorum gentilium liber secundus explicit. 30

GENEALOGIE DEORUM GENTILIIUM SECUNDUM JOHANNEM BOCCAC- 31 c
CIUM DE CERTALDO LIBER TERTIUS INCIPIT FELICITER.

In arbore autem signata desuper, ponitur in radice Celius Etheris et Diei
filius et in eius ramis et frondibus pars sue posteritatis ostenditur.
5 Fuerunt enim Celio filii < XII. > Quorum prima fuit Opis, II^a Thetis
magna, III^a Ceres prima, IIII Vulcanus primus, V Mercurius tertius,
VI^a Venus magna, VII^a Venus secunda, VIII Toxius, VIII Ty-
tanus, X Juppiter secundus, XI Oceanus, XII Saturnus. Ex istis
10 XII reservantur quattuor, de quibus nulla in presenti libro III^o
mentio fiet, scilicet Tytanus, de quo scribetur in quarto, et Juppiter
secundus de quo et eius prole scribetur in quinto et sexto, et Oc-
ceanus de quo scribetur in septimo, et Saturnus de quo et eius
posteritate fiet mentio in octavo et reliquis huius operis libris.

Prohemium.

15 Sulcanti michi exiguo cortice errorum vetustatis salum et
ecce inter aspreta scopulorum et frequentia freta grandevus
senex, Numenius phylosophus, vir quidem suo seculo autori-
tatis inclite, se obtulit obvium, et placida satis voce sermo-
neque composito inquit: Quid labore tuo numina ledis, ubi
20 quiete illis poteras placuisse? Fuit olim michi, que tibi nunc
cura est, theologizantium scilicet poetarum claustra vulgo etiam
reserare, et dum Eleusiorum sacrorum arcanum totis viribus
in propatulum trahere conarer, ecce sopito michi in quiete pro-
funda vise sunt Eleusine dee, meretricali ornatu vesteque detur-
25 pate, ipsis fornicum in faucibus se quibuscunque adeuntibus
prostrantes ultro. Quod cum videretur divinitati indecens

nimium, mirarerque tam pudicas deas in tam prophanum
 meretricium corruisse, repente quesivi tam inepte ignominie
 causam. Ast ille, torvis oculis et rugosa fronte in me verse,
 irato vultu, verbisque cepere: Quid, leno scelesti, poscis? Tu
 tam obsceni facinoris causa es. Ex secessu equidem nostre
 integritatis atque pudicitie renitentes, vi crinibus captas, ab-
 strahis et in publicum lupanar tu ipse castissimas olim passim
 subicis. Ego autem, et si somno plurimo marcerem, non aliter
 quam vigilans intellexi indignantes illico, et cognovi dormiens,
 quod vigilando non videram, | sacra scilicet misteria paucorum
 esse debere; et extemplo a ceptis destiti, ne indignationem
 acriorem incurrerem. Tu autem, longe plus cupiens quam tibi
 cavens, vertiginosum intrasti gurgitem, et quod omisi, presum-
 mis ipse. Sino, nunquid credam tantum tibi luminis prestetur in-
 genii quantum operi tam sublimes oportunitum sit; et hoc tacuisse
 nolim. Cave, quid feceris, iam premonitus! Erysithones ob
 lesam Cererem fame periclitatus est; Pentheus Bachi sacra
 despiciens capite mulctatus a matre, penas dedit; Niobes ob
 vilipensam Latonam, perditis filiis et viro, in silicem riguit.
 Et ne plures enumerem, tu forsitan credis deorum aulas im-
 pune reserare vulgo? Deciperis, et, ni desistas, eorum iram
 non ante quam experiaris, agnosces. Tum ego, et si estuantis
 maris obsisteret impetus, paululum tamen substiti dixique:
 Quibus te ab oris, queso, Numeni, hos inter scopulos evehis?
 Ab Inferis arbitror, odore enim sulphureo cuncta reple, et
 es inferna caligine fuscus. Et hec veteris et infausti Plutonis
 mandata sint credo, quasi christiano homini, uti iamdudum
 gentilibus consueverat talibus timorem putet incutere. Ille qui-
 dem veteres cecidere cathene, et arma hostis antiqui contrita
 sunt; vicinus precioso redempti sanguine, et in eo renati lo-
 tique, suas decipolas non curamus. Attamen ego dearum tua-
 rum non resero thalamos, nec deorum tuorum secessus aperio,
 quasi velim illecebras eorum magis ex propinquo conspiciere,
 sed ut appareat poetas, si bene de deo sensissent, homines
 fuisse preclaros et ob mirabile artificium venerandos; et ut
 videas quanti pendam hos tuos fabulosos deos, similem Stra-

tonico, sibi iram Alabandi imprecanti et Herculis in molestum exoranti, precem faciam: Ipsi ergo omnes, quorum tu me hortaris iram fugere, michi irati sint, queso, tibi autem illisque et tam inepta credentibus Christus Jhesus. His dictis, evestigio
 5 evanuit ille; ast ego attentus navigio in Egeum evehar mare, Celi prolem perquisiturus amplissimam. Ille autem iter prestet placidum, qui ex Sabeis magos ad se orandum atque muneribus honorandum, stella duce, deduxit in Syriam.

CAP. I

10 De Celo Etheris et Diei filio, qui genuit < XII > filios, dato quod in presenti III^o libello de VIII tantum tractetur, ut puta de Opi, de Thetide magna, de Cererè prima, de Vulcano primo, de Mercurio tertio, de Venere magna et de Venere secunda et de Toxio | .

32 a

Celum, non illud quidem pregrande corpus ornatum sy-
 15 deribus, quod dicebat Orpheus a Phanete compositum in domicilium suum atque aliorum deorum, et quod nos semper nos ambire circumitu cernimus, verum homo quidam sic vocitatus, ut ait Tullius, ubi De naturis deorum, filius fuit Etheris et Diei, id est ignite virtutis et claritatis eximie, a quibus
 20 eius nomen processit in lucem. Et quod homo fuerit satis in libro Divinarum institutionum per Lactantium patet. Dicit enim sic in sacra hystoria reperiri: Uranium potentem virum Vestam habuisse coniugem, et ex ea Saturnum atque Opem et alios suscepisse. Qui Saturnus, cum regno potens efficeretur,
 25 patrem Uranium Celum appellavit, et matrem Terram, ut hac mutatione nominum fulgorem sue originis ampliaret etc. Huic preterea, ut in Sacra hystoria dicit Emnius, Juppiter nepos eius primo in Paneo monte aram statuit, atque sacrificium adolevit, et ab eo celum ipsum verum denominavit. Evemerus vero
 30 dicit hunc Celium seu Celum in Oceania mortuum, et in oppido Aulatia sepultum.

CAP. II

De Opi prima Celi filia et Saturni coniuge.

Ops seu Opis, ut placet Lactantio libro Divinarum institutionum, filia fuit Celi et Veste, et Saturni fratris coniunx, et Jovis aliorumque plurimum deorum mater; quam ob rem apud orbos orbis plurimum venerationis obtinuit. Sane seu antiqui theologizantes ad suos palliandos errores fecerint, seu ad occultandam vulgo fictionibus magnarum rerum veritatem, ut pretactum est, seu potius ut Jovi adularentur maximo regi, hystoria omissa, hanc miris fictionibus ornare, atque illam eis extulere adeo ut loco maximi numinis coleretur a multis, eique templa et sacra sacerdotesque variis constituerentur in locis. De quibus, ut distinctius videamus, apponenda sunt aliqua. Primo eam deorum dixere matrem, eique constituere quadrigam a leonibus tractam, eiusque capiti turritam descripsere coronam, et sceptrum manibus addidere; veste preterea ramorum circumitionibus et herbarum conspicua ornare. Illamque incedentem sacerdotes quos, eo quod eunuchi ex instituto essent, Gallos vocare, timpana tangentes et era precedere demonstrarunt, eiusque in circuitu sedes vacuas posuere, et Coribantes armatos illam ambire voluerunt. Quid ex his tot senserint videamus. Deorum enim mater ideo habita est, quia | terrei sint homines qui ab hominibus dii facti sunt. Turrita vero corona, qua insignita est, satis eam pro terra summendam ostendit, cum sit terre circumitus civitatum et oppidorum ad instar corone insignitus. Vestis autem ramis herbisque distincta monstrabit silvas et fruteta et herbarum species infinitas, quibus terre superficies tecta est. Sceptrum autem, quod manibus defert, regna, divitias et potentiam imperantium super terram monstrabit. Quod quadriga vehatur, cum sit immobilis, intellexere ordinem in operibus terre per IIII^{or} anni tempora, circulari quodam incessu servari continue. Cur autem a leonibus trahatur, ratio hec reddi potest, voluere quidem agricolarum in tradendis terre seminibus consuetudinem demonstrare; con-

suevere quidem leones, ut Solinus in libro Mirabilium dicit, si per pulvereum solum iter faciant, cauda pedum suorum verrentes turbare vestigia, ne venatoribus sui itineris prestant indicium. Quod et agricolae, seminibus iniectis sulcis, evestigio
5 faciunt retegentes, ne semen surripiatur ab avibus. Preterea cum sint ossa leonibus ossibus ceterorum animalium duriora, intelligi voluerunt vertentium terram membra esse oportere solidiora quam ceteris. Vel potius ut ostendatur per leones quos quadrupedum reges dicimus iugo Opis subditos, orbis
10 principes terre legibus esse suppositos. Sedes autem vacuae illi circumposite existimo nil aliud velint quam ostendere, quia non solum domus, sed civitates quae incolentium sunt sedes, vacuentur persepe peste agente vel bello. Seu quia in superficie terre vacuae sint sedes plurimae, id est loca inhabitata, seu
15 quia ipsa terra semper sedes servet vacuas nascituris; seu ad demonstrandum quod hi ad quos pertinet terre cultus, non dico de agricultoribus tantum, sed etiam de principibus qui civitatibus et regnis presunt, non debent se ocio et inepte quieti concedere, quin imo stare continue et vigilare, cum de
20 novo semper emergant, quae exercitio talium indigeant. Coribantes autem has armatos ambire designare volunt unumquemque mortalium pro patria se debere bellis exponere, et arma pro salute patriae sumere. Gallos autem sacerdotes habere ob id contigisse dicunt, quod cum deum mater Athym decorum
25 adamasset puerum, eumque cum pellice comperisset, zelo percitata, illi abscidisse virilia, et ob id similes sacerdotes appetere, quos Gallos a contrario sensu dixere. Sane per dilectum Athim vult Ma|crobius Saturnaliorum libro solem intellegi, qui anno
30 quolibet iuvenescere videtur, et adeo a terra diligitur, ut in se eius suscepta influenza, quas cernimus herbas flores et fructus pariat. Quod eum castraverit, hoc ideo fictum credo, quia certo anni tempore solis radii videantur steriles esse, et potissime circa autumnum et hyemem in quibus temporibus nil gigni videtur ab eis. Vel ut dicit Porphyrius, Athys flos
35 est a terra dilectus tanquam ornamentum suum, qui tunc a terra castratur cum veniente fructu flos decedit; vel si cadat

ante fructum non sit ulterius ad fructum aptus. Quod hi sacerdotes timpana ferant et era, volunt per timpanis, que vasa sunt semisperica et semper bina feruntur, duo intellegi hemisperia terre, in quibus ambobus, ut non nulli opinati, sunt terre opus ostenditur. Per era vero intellegi voluerunt strumenta ad agriculturam accommoda, que quondam antequam ferri usus inveniretur, ex ere confici consueverant. Hanc preterea multis nuncupavere nominibus, de quibus non nulla significata exposita supra sunt ubi de Terra, et certa huic sunt cum aliquibus deabus communia, de quibus in sequentibus dicitur et ob id que sua sunt propria censui apponenda. Vocant igitur eam Opim, Berecinthiam, Rheam, Cibelem, Almam et magnam Palem. Opim autem ideo vocitatum volunt, quod ut ait Rabanus opem ferat frugibus, et opere melior fiat. Berecinthiam autem dicit Fulgentius vocatam quasi montium dominam, eo quod deorum sit mater, qui pro montibus intelliguntur, id est elatis hominibus, vel ut placet aliis et michi a Berecinthio monte, seu oppido Frigie in quo persancte colebatur ab incolis. Rhea autem eo quod idem grece sonet, quod Ops latine. Cibelem vero voluere non nulli eam a cibalo quodam denominatam quem primum illi sacerdotio functum aiunt. Alii autem a Cibalo oppido, in quo dicunt sacra eius fuisse compta. Quidam autem dictam volunt a cibel, quod capitis motus sonat, qui plurimus in sacris eius fiebat. Almam autem ab alendo non nulli credidere dictam, eo quod suis fructibus omnes alat. Palem autem eam vocavere pastores et pabulorum dixere deam, eo quod gregibus et armentis pabula prestet.

CAP. III

De Theti magna, Celi II^a filia et Oceani coniuge.

Thetim magnam dicit Paulus. a Crisippo traditum, filiam fuisse Celi atque Veste et Oceani coniugem. Quod quidem Lactantius asserit, eamque matrem dicit fuisse nynpharum. Verum Servius eam vocat Dorim, | quod arbitror a Virgilio

sumpserit, ubi dicit: Sic tibi cum fluctus subterlabere Sicanos Doris amara suam non intermisceat undam etc. In his igitur cum nil hystoriographum habeatur, allegoricus sensus videndus est. Thetis procul dubio aqua est, quam dicit Crisippus vi
 5 fervoris celestis e visceribus eductam terre, et sic ex Celo non homine Vestaque, id est terra, natam. Doris autem amaritudo interpretatur, que quidem solis agente fervore aque marine ut physici testantur addita est; quod experientia notum videtur, nam, ut aiunt naute, salsedo illa superficiei aque maris
 10 tantum immixta est, cum infra decem passus dulcis inveniatur. Sed quid quod eam Oceano coniugem iungunt, cum Oceanus aqua sit, et sic idem videatur vir et uxor? Credo hoc fingentes sensisse: Oceanum accipi debere pro elemento aque simplici, quod quidem agens creditur ubi aque actio requiratur. Thetim
 15 vero pro aqua elementata seu mixturam aliorum elementorum habente, cuius mixtionis opera potest concipere et nutrire. Seu cum utrumque sexum diis esse describant, ut Valerii Serrani carmine patet dicentis: Juppiter omnipotens rex regum atque repertor, Progenitor genitrixque deum deus unus et idem etc.
 20 Volunt, cum agat aliquid aqua, eam vocari Occenum, cum vero patiatur Thetim. Seneca autem, ubi de questionibus naturalibus scribit, aliter videtur sentire; dicit enim, aquam virilem vocant mare, muliebrem omnem aliam. Vocavere autem eam Thetim maiorem, ad differentiam Thetis matris Achillis, quam
 25 nynpham voluere veteres, non marinam deam, nisi et nynphas ut quandoque fit dixerimus deas. Hec autem magna Thetis multos ex Oceano peperit filios, de quibus postea.

CAP. IV

De Cerere prima, Celi III^a filia, que peperit Acherontem.

30 Ceres, ut placet Lactantio in libro Divinarum institutio-
 num, filia fuit Celi et Veste. Hanc dicit Theodontius Sycani, vetustissimi Sycilie regis, fuisse coniugem, Syculosque primam frumenti usum docuisse et Sycano plures peperisse filios, nul-

lum tamen nominat. Hanc preterea, testimonio Pronapidis, dicit Acherontem fluvium peperisse, et ob hoc talem ex ea recitat fabulam: Eam scilicet concepisse et rubore excrescentis uteri in abditam Crete specum secessisse, et ibidem Acherontem peperisse; qui non ausus lucem aspicere, defluxit ad Inferos, et ibidem infernalis effectus est fluvius. Cuius fictionis ipsemet Theodontius talem explicat rationem. Dicit enim pro constanti habitum | Cererem suasisse Saturno fratri ne Tytano regnum aliquo pacto restitueret, et adversus condicionem inter Tytanum et Saturnum initam, quos Saturnus filios masculos procreavit, clam nascentes surripuisse una cum Vesta matre, atque educasse; quod cum detectum esset et audisset Saturnum Opemque a Tytano detineri captivos, sibi timens in Cretam abiens latebras petiit, nec ausa est comparere donec certior facta est Jovem victoria liberasse parentes; ex quo Cererem concepisse voluit Pronapides Dolorem ex captivitate fratrum, eumque in specu, id est in latebris, peperisse, id est emisisse seu reliquisse dum victoria Jovis letata venit in publicum. Eum autem Acherontem dictum ab a, quod est sine, et cheron, gaudium, nam absque gaudio est qui dolet; et ideo lucem videre noluisse dicit, quia dolentes ut plurimum, deiectis in terram oculis, recessus appetunt, et obscura loca. Ibi enim infernalis fluvius factus est, quia apud Inferos nulla unquam sit letitia. Nec illi ideo pater ascribitur, quia nostra tantum existimatione procreetur.

CAP. V

De Acheronte infernali fluvio Cereris filio, qui genuit VI filios scilicet Alecto, Thesiphonem, Megeram, Victoriam, Aschalaphum et Stigem.

Acheron infernalis fluvius, absque patre, Cereris fuit filius, ut premonstratum est. Hunc Paulus Tytanis et Terre filium dicebat et ob id a Jove deiectum ad Inferos, quia sitientibus Tytanis limpidas prestisset aquas. Sane noster Dantes in prima sui poematis parte que Infernus dicitur, aliter de ori-

gine huius sentire videtur. Dicit enim in summitate Yde montis
 Cretensis statuam esse ingentem cuiusdam senis, cuius aureum
 caput est, pectus vero et brachia argentea, corpus et renes ex
 ere confectos, tybias atque crura et sinistrum pedem ex ele-
 ctissimo ferro factum; dextrum autem pedem ex terra cocta
 5 consistere et in eum fere corporea moles omnis in Romam
 versa inniti; et has omnes partes preter aureum caput rimulas
 habere, ex quibus effluunt gucte aque, seu lacrimae, que col-
 lecte et per cavernas ad Inferos descendentes, flumen faciunt
 10 Acherontis. Sed quid sibi tam varie velint fictiones videndum
 est. Cur Cereris dictus sit filius premonstratum est. Quod
 Tytanis et Terre fuerit etiam concedi potest, ubi Tytanum
 solem velimus intelligere, ut etiam veteres voluere, et sic non
 nulli opinati sunt agente calore solis, aquas maris trahi in
 15 viscera terre, et ex eis a frigore terre dulcoratas effluere, et
 sic cum sol causam dederit, eius filius dici potest, ac illius
 cuius videtur uterum exire. | Quod Inferorum sit fluvius hoc
 modo potest accipi. Sunt enim fluvii duo quibus Acheron no-
 men est, unus quidem apud Molossos defluit, ut dicit Titus
 20 Livius, et in stagna que inferna vocantur effluit, et ex eis in
 Thespontium sinum mergitur. Alter vero apud Lucanos fluens,
 morte Alexandri Epyrote insignis, in Inferum mare cadit. Et
 sic horum ad Inferos unusquisque descendit. Nam qui apud
 Molossos est in regno quondam Plutonis, qui deus Inferni
 25 dictus est, eo quod ob oriente sole factum esset, inferior va-
 gatur; et sic, si in regno Plutonis est, in Inferno est. Attamen
 de secundo sic sensere quidam. Asserunt quippe priscis tem-
 poribus Grecis fuisse consuetudinem, damnatos exilio in Yta-
 liam mittere, seu ipsi exules sua sponte venire, quam eo quod
 30 apud inferum mare dicebant, seu quia inferior Grecia ab ortu
 sit solis, ideo et flumen et damnatos esse apud Inferos testa-
 bantur. Ex quo volunt locum fabule adinventum; cum etiam
 ethymologia nominis fluvii faveat fictioni, cum sonet sine
 gaudio vel salute, quasi exules, patria perdita, absque gaudio
 35 vel salute essent. Qui vero aliter sentiunt, ut Servius et post
 eum Albericus, dicunt Acherontem fluvium non esse, sed lo-

cum Ytalie; verum de hoc alias. Dantes autem noster de vero
 Acheronte infernali intelligit, et dicens quia in Creta insula
 senis sit statua ex variis metallis a Damiata Syrie civitate in
 Romam versa, intendit loci congruentiam origini designare et
 tempora causasque. Sed primo de loco videamus; dicit ergo 5
 statuam senis seu senem stare erectum, ut per hunc intelliga-
 mus humanum genus quod adhuc stat, esto antiquum sit, et
 stat in monte Yde. Yda enim idem sonat quod formositas, per
 quam sentire vult formositatem temporalium rerum, quam ut
 perituram designet, dicit olim montem illum letum, hodie 10
 vero tristem atque desertum. In monte autem Cretensi, eo
 quod Creta insula tripartiti orbis media videatur; nam illi,
 ab Arthoo Egeum est mare, et ab occiduo Yonium seu Myr-
 toum, que Europe sunt maria; a solis ortu est illi Ycareum
 mare atque Carpatium seu Egyptium, que Asyatica maria sunt. 15
 A meridie vero et occiduo Affro alluitur ponto, et sic tribus
 orbis partibus terminus est, ut intelligamus non solam unam
 harum partium, sed omnes operam dare ut Acheron concreet-
 tur. Ipse autem ex guctis cadentibus, id est ex criminibus et
 operibus pravis fluxisque antiquarum etatum et presentis con- 20
 fectus est olim, et conficitur hodie, ut sentiamus ex criminibus
 mortalium amitti gaudium sempiternum. Verum ut appareat
 quia non omnis etas in hoc conveniat, aureum caput solidum
 esse dicit, ut per illud intelligatur innocentie primi parentis
 tempus, et nostrum, dum renati baptismate in infantia, simplices 25
 perseveramus. Demum venit argentea que et si corporeis vi-
 ribus videatur validior viciis tamen efficitur vilior, et sic ar-
 gentea, scissa rimis, id est criminibus. Tandem tertia sequitur
 priorum sonerior et operum longe deterior | et hec equo modo
 scissa est, et in augmentum agit miserie. Inde sequitur ferrea 30
 fortior, reliquarum etiam peior et obstinator. Ultimo sequitur
 testea, in quam omnis moles corporea inclinatur, et per quam
 mortalium fragilitas, et senium designatur, et hec scissa est.
 Ex quibus quidem scissuris fit ut lacrimae effluent facientes
 Acherontem, id est gaudii perditionem, ex qua acquisitio tri- 35
 stitie sequatur necesse est, ut Stigis habeatur origo, et ex tristia

doloris incendium, qui Flegeton est, et ex hoc luctus et miserie, frigiditas sempiterna, quam Cocitus significat. Quod autem a Damiata in Romam versus sit, describit humanum genus, quod in campo Damasceno principium habuit, Romam regnorum
 5 mundi ultimum, id est finem suum, prospiciat.

CAP. VI

De Furiis filiabus Acherontis in generali.

Furias tres esse omnes videntur velle poete, de quibus in generali libet pauca prefari ut de particularibus summatur
 10 facilius intellectus. Primo igitur eas dicunt Acherontis fuisse filias atque Noctis; quod Acheron illis pater fuerit testatur Theodontius; quod autem ex Nocte matre nate sint carmine patet Virgillii dicentis: Dicuntur gemine pestes cognomine Dire Quas et tartaream nox intempesta Megeram, Uno eodemque
 15 tulit partu etc. His insuper plura esse nomina voluere. Nam apud Inferos eas vocari dixere canes, ut videtur velle Lucanus dum dicit: Jam vos ego nomine vero Eliceam, Stigiasque canes in luce superna Destituam etc. Apud mortales Furias ut ab effectu patet per Virgillii carmen: Ceruleis unum de crinibus anguem
 20 Conicit, inque sinum precordia ad intima subdit, Quo furibunda domum monstro permisceat omnem. Eumenides etiam apud nos appellari dicuntur, ut per Ovidium patet dicentem: Eumenides tenuere faces de funere raptas etc. Et hoc apud nos factum in infortunato coniugio satis constat. Dire etiam appellantur,
 25 et hoc apud Superos, ut ait Virgilius: At procul ut dire stridorem agnovit et alas Infelix crines scindit Juturna solutos etc. Nam Juturna dea in aere stridorem Dire non in terris agnovit. Vocantur et volucres ut idem dicit Virgilius: Iam iam linquo acies, ne me terrete timentem, Obscene volucres: alarum
 30 verbera nosco. Dicit preterea Theodontius, apud litorales Arpyas appellari. Post hec illas aiunt Jovis atque Plutonis obsequio deputatas, ut Virgilius testatur scribens de eis: He Jovis ad solium sevice in limine regis Apparent, acuuntque metum

mortalibus egris, Si quando letum horrificum morbosque deum
 33 d rex Molitur meritis, aut bello territat ur|bes etc. Sed iam quid
 ista velint videndum. Dicunt igitur eas Acherontis et Noctis
 filia, et ratio videtur talis. Non succedentibus pro votis rebus
 et ratione cedente, ut perturbatio mentis oriatur, de necessitate 5
 videtur que non absque cecitate iudicii perseverat, et ex per-
 severatione fit maior, donec erumpat in actum, qui absque
 ratione factus furiosus appareat necesse est; et sic ex Ache-
 ronte Furie nascuntur et Nocte. Dicuntur preterea apud Inferos
 canes. scilicet apud homines conditionis infime, qui dum in 10
 perturbationem veniunt, non existentibus furori viribus, cla-
 moribusque omnia complent, canum more latrantes. Apud
 medios autem Furie vel Eumenides dicte sunt, eo quod maiori
 ledant incendio furiosum, mediocris enim homo perturbatus,
 ut in se agat seque intus rodat atque consumat, quedam fa- 15
 ciunt; nam ne in minores agat lex publica prohibet, in maio-
 res potentia, et more vulgi inferioris clamores emittere indi-
 gnatio vetat; secum igitur furit et si eruperit vix desistet, quin
 in maximum tendat incendium, multis opitulantibus furori.
 Eumenides dicuntur ab heu, quod est interiectio dolentis et 20
 men, quod est defectus, eo quod ipse qui patitur sibi ipsi
 pena sit, seu per antiphrasim dicuntur ab eu et mane quod
 utrumque sonat bonum. Et ipse omni bono carent. Apud Su-
 peros vero appellantur Dire a sevitia maiorum in minores
 ad quam confestim evolat maiorum furor. Volucres autem ap- 25
 pellantur a velocitate furoris, cum repente a mansuetudine
 in furorem erumpant homines. Arpye autem apud litorales a
 rapacitate dicuntur, tanto enim fervore litorales efferuntur in
 predam, ut in nullo discrepet a furore. Plutoni autem idio
 obsequiosas vocant, quia divitiarum dicitur deus, ut adverta- 30
 mus crebro perturbationes irasque et rixas ob immoderatam
 auri cupidinem suscitari. Quod autem Jovi assistant non est
 mirandum, esto illum pium mitemque dixerimus; pio enim
 iudici opportunum est ultores scelerum habere ministros, qui- 35
 bus si careat aut non utatur, legum autoritas facile dissolvetur.
 Est insuper aliquando ob populorum crimina divina permissio,

ut in elementis misceatur furor et eis discordantibus inficiatur aer, et pestes letifere oriantur, quibus miseri absorbemur. Sic et eorundem superbia, bella nascantur, ex quibus incendia populationes et excidia consequuntur.

CAP. VII

De Aletho Acherontis prima filia.

Aletho Furiarum prima est Acherontis et Noctis filia, quam sic describit Virgilius: Luctificam Aletho dirarum a sede sororum | Infernisque ciet tenebris cui tristia bella, Ireque insidieque et crimina noxia cordi. Odit et ipse pater Pluton, odere sorores Tartaree monstrum, tot sese vertit in ora Tam seve facies, tot pullulat atra colubris. Et paulo infra: Tu potes unanimes armare in prelia fratres Atque odiis versare domos, tu verbera tectis, Funereasque inferre faces, tibi numina mille, Mille nocendi artes etc. Satis hoc carmine huius furie apparent officia, satis potentia, satis et truculentia cum etiam Plutoni et sororibus odiosa sit. Sonat enim Aletho iuxta Fulgentium inpausabilis, ut intelligatur omnem furiam ab animi inquietudine initiari. Que quidem inquietudo totiens intrat mentes, quotiens desistimus nos ipsos et deum cognoscere.

CAP. VIII

De Thesiphone furia Acherontis secunda filia.

Thesiphones Furiarum secunda est Acherontis et Noctis filia, quam sic designat Ovidius: Nec mora, Thesiphone made- factam sanguine summit Importuna facem, fluvidoque cruore rubentem Induitur pallam, tortoque incingitur angue, Egrediturque domo. Luctus comitatur euntem Et Pavor et Terror trepidoque Insania vultu etc. Quibus Claudianus addit: Centum illi stantes vibrabant ora ceraste. Turba minor diri capitis, sedet intus abactis, Ferrea lux oculis qualis per nubila Phebes.

Atracia rubet arce color suffusa veneno. Et his insuper addit Staius, dicens: Suffusa veneno Tenditur ac sanie gliscit cutis; igneus atro Ore vapor, quo longa satis morbique famesque Et populis mors una venit etc. Sic igitur uti per Virgilium Aletho qualitas, sic per hos tres vates Thesiphonis demonstrata est. Fulgentius preterea dicit, Thesiphones idem quod Tritonphones, id est irarum vox. In quam postquam pectus turgidum fecit inquietudo, facile devenitur, et ideo progressum talem facem sanguine madentem dicit Ovidius, eo quod ignea ira nunquam egreditur nisi in sanguinem, et ideo fluvido cruore rubentem dicit, ob colorem faciei hominis irati, et ad dispositionem animi demonstrandam. Nec ante consurgit iratus quam illum amicorum comitantur lacrimae, illi minus sano timentes, qui ideo a terrore comitatur, quia iratus omnis terribilis videatur. Serpentes autem eidem appositi habent ire sevitiā denotare. Hinc deveniens iratus in vocem emittit vapores, id est verba, per que sepe desolationes oriuntur, locorum et populorum mortes atque egestates.

CAP. IX

De Megera furia III^a Acherontis filia.

Megera furiarum tertia Acherontis et Noctis filia, sic a Claudiano ubi De laudibus Stiliconis effigiatur: | Improbā mox surgit tristi de sede Megera, Quam penes insani fremitus animique prophanus Error et undantes spumis furialibus ire. Non nisi quesitum cognata cede cruorem Illicitumque bibit patrium, quem fuderat ensis, Quem dederint fratres, hec terruit Herculis ora, Hec defensores terrarum polluit arctus, Hec Atamantee direxit spicula dextre, Hec Agamennonios inter bachata penates Alternis lusit iugulis, hac auspice tede Edipodem matri nate et iunxere Thiestem etc. Et quoniam Megera magna sonat contentio seu lis, satis cognoscere possumus per superiores versus facta nomini convenire, et sic fit ut ex inquietudine animi deveniamus in clamorem, et ex clamore in odium et rixam, ex quibus furiosi in exitium sepissime ruimus.

CAP. X

De Victoria III^a Acherontis filia.

Victoriam dicit Paulus Acherontis fuisse filiam, ex Styge filia sua susceptam. Cui adeo Jovem fuisse gratum aiunt ut, cum ei favisset in pugna gigantum, sibi loco muneris exhibuisse, ut dii per Stygem matrem eius iurarent, et si qui adversus iuramentum agerent, per certum tempus a nectare abstinerent. Hanc Claudianus ubi De laudibus Styliconis sic describit: Ipsa duci sacras Victoria panderet alas Et palma viridi gaudens et amicta tropheis Custos imperii virgo, que sola mederis, Vulneribus nullumque doces sentire laborem etc. Theodontius vero, fere concors Claudiano, in descriptione eam insuper ornat triumphalibus ornamentis. Verum Paulus discrepat, eamque dicit letam, sed rubigine atque pulverulento squalore obsitam, armis indutam, et cruentis manibus, nunc captivos, nunc spolia recensentem, et ornamenta que Theodontius huic apponebat, filio eius, quem Honorem dicunt, exhibent omnia. Sed quid senserint exquiramus. Victoriam Acherontis filiam ideo voluisse veteres credo, quia non ex incuria et ocio acquiratur, sed ex cogitationibus continuis, que dum ex ingenio exprimunt utiliora consilia, angunt profecto cogitantem et ab eo gaudium omnem amovent et sic iam adest Acheron. Preterea nec in comesationibus atque ioculationibus invenitur, quin imo ex vigiliis circumitionibus et laboribus assiduis, constanti animo, et forti pectore, dolore vulnerum et tolerantia incursionum excerptur, que absque tristitia patientis evenire aut tolerari non possunt. Verum ut differat hec tristitia a tristitia furiarum, illa ab egritudine mentis, hec a corporea ut plurimum oritur. Et sic cui pater Acheron venerat, Styx accedit evestigio mater. Econtra autem festantes nec aliqua premeditantes facile deveniunt in ruinam; Troia anxia capi non potuit, leta confestim capta est. Alatam victoriam dicit Claudianus, quia facile etiam una oportuna omissa vigilia non nunquam in partem evolat alteram. Palma ornatur, quia nun-

quam lignum palme corrumpitur frondesque viriditatem conservant, ut victoris auctum robur et nomen in longum virere intelligamus. Tropheis autem amicta est, ut secunda honoris species impensi victori monstretur, minor enim erat triumphus, et quia in eo sacrificaret ovem victor, ovatio vocabatur, seu vocabant veteres tropheum truncum ad instar superati hostis factum, et armis eiusdem indutum. Habitus Victorie a Paulo designatus, aptior videtur quam is qui a Theodontio scribitur; non enim extemplo victor ornamentis ornatur, non victorie sed ob victoriam ei postea exhibentur.

CAP. XI

De Honore Victorie filio.

Honorem Theodontius et Paulus filium dicunt fuisse Victorie, ex quo patre non dicunt. Hunc tamen arbitror ideo Victorie dictum filium, quia ex victoria quesita consequatur honor, qui quidem in presentia suscipientis exhibebatur, cum laudes in absentia prestarentur. Huic a Romanis templum olim constitutum fuit, templo Virtutis iunctum, ad quod nisi per templum Virtutis non erat introitus, ut appareret neminem nisi per virtutem honorem consequi posse. Et si ob aliam causam cuiquam fiat, non honor sed ridicule atque letales blanditie sunt. Huic coniugem fuisse Reverentiam volunt, et ex ea illi Maiestatem exortam. Sunt tamen qui idem dicant Reverentiam et Honorem, cum differant. Est honor publicus et privatus: publicus cum alicui laurea vel triumphus decernitur; privatus is est qui a privatis impenditur, ut dum alicui privato assurgimus eum premitimus, primum in templo vel in mensa locum prestamus. Reverentia vero est quam maioribus, non ex decreto sed sponte vel consuetudine exhibemus, cum flexis genibus et adaperto capite venerabiles viros alloquimur. Que solius Dei sunt, esto sibi ambitiosi principes occuparint.

CAP. XII

De Maiestate Honoris filia.

Maiestatem Honoris atque Reverentie filiam dicit Ovidius. De qua ubi De Fastis sic ait: Donec honor placidoque decens
 5 Reverentia vultu Corpora legitimis imposuere thoris. Hinc sacra maiestas que mundum temperat omnem. Quaque die parta est edita magna fuit. Nec mora consedit medio sublimis Olimpo. Aurea purpureo conspicienda sinu etc. | Hanc Honoris et Reverentie filiam voluisse reor, quia ex honore impenso et exhibita
 10 reverentia sit quidam maioritatis status in suscipiente, ex quo maiestas est dicta, Deo soli competens.

34 d

CAP. XIII

De Ascalapho V^o Acherontis filio.

Ascalaphus Acherontis et Orne nynphe fuit filius, ut ait
 15 Ovidius: Ascalaphus audit quem quondam dicitur Orne Inter avernales non ignotissima nynphas Ex Acheronte suo fulvis peperisse sub undis etc. Hunc aiunt, rapta Proserpina a Plutone, cum quereretur nunquid aliquid apud Inferos gustasset, eam accusasse atque dixisse tria grana mali punici ex viridario
 20 Ditis gustasse; ex quo factum est, ut non restueretur ex toto Proserpina, et ipse verteretur a Cerere in bubonem. Circa quod figmentum nil credo aliud voluisse poetas, quam ostendere odiosissimum esse accusatoris officium et id circo aiunt in bubonem versum Ascalaphum, eo quod sicut bubo funesta
 25 est avis et sinistri semper augurii reputata; sic et accusator semper laboris et anxietatis prenuntius est accusato. Preterea bubo stridula avis est, ut ostendatur clamosos esse accusatores; sic et uti bubo sub multitudine variarum pennarum modicum habet corporis et eque accusatoris sub longa verbositate ut
 30 plurimum reperitur modicum veritatis. Igitur non incongrue filius dicitur Acherontis, a similitudine saltem officii, quia

sicut Acheron gaudio privat quos transvehit, sic et accusator hos replet tristia in quos invehit. Quod autem Orne mater eius dicatur, a consuetudine bubonis sumptum est, qui sepius ut aiunt, qui de proprietatibus rerum scripsere, die mortuorum sepulcris inhabitat, que ut ait Papias Orne vocantur et Lucanus ait: Celo tegitur qui non habet urnam. Spectantia ad Cererem et Proserpinam, ubi de eis in sequentibus apponentur. 5

CAP. XIV

De Stige Acherontis VI^a filia. 10

Stix inferna dicitur palus et Acherontis et Terre filia extimatur a cunctis. Et secundum Albericum deum nutrix et hospita; per quam, etiam ut supra dictum est, dii iurant, neque timore pene audent deierare ut ait Virgilius: Stigiamque paludem, Dii cuius iurare timent et fallere numen etc. Privabatur enim ad tempus qui deierasset nectareo poculo. Et hoc ideo illi concessum volunt, quia Victoria eius filia diis adversus Tytanos pugnantibus favisset. Stix enim interpretatur tristia, ideo Acherontis, qui sine gaudio est, dicta filia, eo quod, ut ait Albericus, qui gaudio caret in tristitiam labitur facile, imo 20 ut labatur necesse est. Terra | autem illi attribuitur mater, quia cum omnis aqua a fonte illo aquarum unico Oceano procedat, trahi per viscera terre ad illum usque locum, unde prorumpit in publicum, necesse est; et sic Terra Stigi dicitur mater. Seu secundum alium sensum inter humores ab elementis impressos mortalibus, a terra imprimitur melanconia, que procul dubio tristitie mater et alrix est. Deorum autem nutricem et hospitam non absque misterio Stigem voluere. Circa quod advertendum est duplicem esse tristitiam, aut tristamur quia detestanda nostra desideria quacunque ex causa sit, consequi 30 nequeamus, aut tristamur cognoscentes, quia aliquid seu multa minus iuste peregrimus. Tristitia prima nunquam deorum fuit nutrix aut hospita. Secunda vero fuit et est; nam ex minus

bene commissis dolere et tristari, nil aliud est quam alimenta
 prebere virtuti, per quam in deitates suas gentiles ruere, et
 nos christiani in beatitudinem imus eternam, in qua dii, non
 inanes aut perituri sumus. Has tristitie species optime sensisse
 5 in VI^o Eneydos ostendit Virgilius, ubi perfidos et obstinatos
 in malum homines mittit in Tartara, ubi nulla est redemptio,
 alios vero post exactas ob culpam penas Elysios ducit in
 campos. Seu volumus dicere quod forsán magis sensere poete,
 deos, id est sol et sydera, ad Egyptios aliquando abiisse, quod
 10 hyemali tempore contingit, quando sol semotus a nobis tenet
 solstitium antarticum, quod ultra meridionales Egyptios Cenith
 capitis habitantium ibidem facit, et tunc a palude Stigia pa-
 scuntur sydera secundum opinionem eorum, qui existimabant
 superiorum corporum ignes ex humiditate vaporum ex aqua
 15 surgentium pasci. Et apud eam hospitantur donec versus arti-
 cum polum gradum non flexerint. Stigem autem esse sub au-
 strali plaga demonstrat Seneca eo in libro quem scripsit De
 sacris Egyptiorum, dicens, Stigem paludem apud Superos esse,
 id est apud eos qui in superiori sunt hemisperio, ostendens
 20 inde quod circa Syenem extremam Egypti partem versus au-
 strum locum esse, quem Phyalas, hoc est amicas, incole vocitent,
 et apud eas paludem esse ingentem, que cum transitu diffi-
 cillima sit, limosa nimis et papiris implicita, Stix appellata
 est, quasi tristitiam ob laborem nimium transeuntibus inferens.
 25 Iurare autem deos per Stygem potest esse ratio talis, consue-
 vimus enim per eas res quas timemus aut optamus iurare; sane
 qui summe gaudet non videtur habere quod cupiat, cum non
 desit quod timeat, et ex his dii sunt quos felices faciunt, quam
 ob rem restat ut iurent per tristitiam quam sibi noscunt | ad- 35 b
 30 versam. Quod deierantes nectareo priventur poculo, eo dictum
 puto, quia qui ex felicitate in miseriam devenere deierasse, id
 est minus bene egisse, dicebant, et sic a nectareo poculo ad
 amaritudinem infortunii devenisse.

CAP. XV

De Cocito infernali fluvio Stigis filio, qui genuit Flegetontem.

Cocitus infernalis est fluvius, quem ex Stige palude natum dicit Albericus, quod ob id arbitror dictum, quia luctus, quem per Cocitum intelligunt, ex tristitia, que Stix est, oriatur. 5

CAP. XVI

De Flegetonte fluvio infernali, qui genuit Lethem.

Flegeton, et hic Inferni fluvius est, et secundum Theodontium, Cociti filius. Ob id, ut existimo, dictum, quia ex diuturno luctu quis facile veniat in furorem, quod quidem ut non nullis placet natura contingit. Nam exhausto lacrimis humiditate cerebro, ferventes cordis impetus frenari non possunt, et sic quis in furiam labitur. Flegeton enim ardor interpretatur, ut comprehendatur ex fervore cordis nimio hominum excitari furores. 10 15

CAP. XVII

De Lethe fluvio infernali Flegetontis filio.

Lethem Inferni dicunt fluvium et Flegetontis filium. Quod ideo fictum puto, eo quod ex furore nascatur oblivio. Cernimus enim furiosos sue suorumque dignitatis oblitos, et Lethes interpretatur oblivio. Hunc fluvium ponit Virgilius apud Elysios campos et eo illos potari, quos Mercurius vult reverti ad corpora, de quibus supra dictum, ubi de Mercurio primo. Dantes vero noster illum describit in summitate montis Purgatorii, et ex illo dicit animas mundas et celo dignas potare, ut obliviscantur preteritorum malorum, quorum memoria felicitati perpetue prestaret impedimentum. 20 25

CAP. XVIII

De Vulcano primo, Celi filio IIII^o, qui genuit Apollinem.

Vulcanus primus, teste Tullio ubi De naturis deorum, Celo natus est, de quo nil aliud reperitur, nisi quia ex Minerva
 5 secundi Jovis filia, ut dicit Theodontius, Apollinem genuerit primum. Credo ego hunc igneum et inexausti vigoris hominem fuisse, et Saturni fratrem.

CAP. XIX

De Apolline, primi Vulcani filio.

10 Apollo, ut Ciceroni placet et Theodontio, filius fuit primi Vulcani atque Minerve et, ut ipsemet Tullius asserit, ubi De naturis deorum, hic omnium Apollinum fuit antiquior. Hunc dicit Theodontius fuisse medicine artis repertorem, et primum virium herbarum cognitorem, quantumcunque Plinius, in libro
 15 Hystorie naturalis, asserat Chironem, Saturni et Phyllare filium, primum fuisse herbarum virium atque medicamentorum repertorem.

CAP. XX

De Mercurio V^o Celi filio.

20 Mercurius qui tercius est, ut ait Tullius De naturis deorum, Celo patre et Die matre natus est, obscenius tamen excitata natura, eo quod aspe|ctu Proserpine motus sit. Huic ornamenta
 35 c que ceteris apponuntur, dicit tamen Theodontius Egyptios virge huius circumvoluisse serpentem, quod testatur Valerius Martialis Epygrammatum libro VII^o dicens: Cillenes celique decus, facunde minister, Aurea cui torto virga dracone viret. Aiunt insuper eum ex Venere sorore sua Hermofroditum filium suscepisse. His premissis, quid sensisse veteres fictionibus

voluerint exquiramus; et primo quid eum a Celo obscene ge-
 nitum dicant. Hoc circa multa dicebat Leontius, ut prospectum
 celi in terram et raram mercurii planete apparitionem, et alia
 huiusmodi, que quoniam frivola visa sunt, eis omissis Barlae
 relatum apponere libuit. Dicebat enim huius Mercurii a 5
 nativitate nomen Hermes fuisse, seu Hermias eumque ex stupro
 Phylonis Arcadis et Proserpine eiusdem filie, in quam se bal-
 neantem impudicos iniecerat oculos, procreatum; et sic satis
 patet quia obscene excitata natura sit, inspecta Proserpina.
 Hermetem autem eum nominatum dicit, eo quod eo nato, 10
 cum de futuris eius successibus Phylon consulisset mathe-
 maticum, habuit pro responso eum divinum futurum hominem
 et maximum divinarum rerum interpretem. Quam ob rem
 Phylon, qui illum exponi proposuerat, servari fecit, atque cum
 diligentia nutriri, eumque vocavit Hermetem, eo quod hermene 15
 grece, latine sonet interpretes. Post hec cum adolevisset, ob ru-
 borem sceleste originis in Egyptum secessit, ubi mirabiliter
 profecit in multis et potissime in arismetria, geometria et
 astrologia, adeo ut Egyptiacis ceteris preferretur, et cum ob
 excellentiam predictorum iam Mercurii nomen meruisset, medi- 20
 cinalibus operam dedit tamque in his sublimis effectus est, ut
 non omisso Mercurii nomine, crederetur Apollo, et longe pro-
 fusius in sacris Egyptiorum instructus cunctis, factus est homo
 mirabilis; ibique seu ad eius nobilitandam originem, seu po-
 tius ad ignominiam originis contegendam, Celi dictus est filius 25
 et Diei, quasi a celo missus et in diei luce factus conspicuus.
 De hoc preterea Hermes Trimegistus, qui se testatur eius fuisse
 nepotem, mentionem facit eo in libro, quem De ydolo scribit
 ad Asclepium, dicens, quod esto mortuus, venientes ad eius
 sepulcrum adiuvet et conservet. Sed quid in hec velint insi- 30
 gna advertendum, cum aliud in planeta, aliud in medico, aliud
 in rethore et aliud in mercatori, vel fure Mercurio habeant
 demonstrare. Dicunt ergo eum, ut premonstratum est, ubi de
 Mercurio primo, galero tectum, ut per illum Celum intelliga-
 mus, a quo et si tegamur | omnes a medico potissime cognosci 35
 debet, circa planetarum motus varios et eorum dispositiones

et syderum speculando, ut per ea tanquam in humana corpora agentia, et causantia plurima, et egretudinum causas et successus, et oportuna remedia possit agnoscere, atque ea que ad salutem egrotantis necessaria monstrantur disponere. Talaria vero ideo illi apponuntur pennata, ut per ea noscamus oportere medicum promptam ad remedia contingentium habere scientiam, ne ante egritudine laborans deficiat, quam accesserit tardi medici argumentum; preterea ut et ipsi cognoscant cum nature ministri sint, omni alia seposita cura se debere ad necessitates vocantium evolare. Est illi insuper virga, quam supra diximus, illi ab Apolline fuisse concessam, ut intelligatur primo, quia concessa est ab Apolline medicine autore, id est a medico experto et doctore, autoritas approbantis absque qua nemo hercle deberet tale officium exercere. Insuper dicunt eum hac virga ab Orco pallentes evocare animas, ut appareat multos iam dudum iudicio et arte multorum medentium in mortem ituros, scientis medici adiutorio in vitam retentos, seu a morte, id est ab Orco potius revocatos. Sic versa vice, dum minus morborum noscuntur cause, hac eadem virga, id est autoritate vel artificio minus congrue operato, anime que stettissent emictuntur ad Tartara, id est in mortem. Somnos etiam hac virga, id est arte, dat medicus persepe in somnum declinare nequentibus, et aufert in suam perniciem dormientibus nimium. Ventos insuper hac virga medicus amovet, dum stultas egrotantium opiniones suasionibus et rationibus veris removet, auferendo timorem. Seu etiam dum ventositates viscera in gravissimum patientis dolorem agitantes suis aut potionibus, aut remediis aliis resolvunt in nichilum. Sic et nubila tranant dum humiditates superfluas educunt, quasi tranantes, id est ad se trahentes e corpore languido. Serpens autem ideo circumvoluitur virge, ut intelligamus medicinale exercitium absque naturali et debita discretionem tendere non forte minus in perniciem quam salutem. Pendent enim non minus ex animadvertentia medentis, quam ex arte quandoque remedia. Iubet enim ars reubarbaro e corporibus expelli superflua, quod si debilitato nimium dabitur, facile vita cum superfluis emit-

36 a tetur, et ideo circa talia et alia omnia medentis | plurimum oportuna discretio, que per serpentem prudentissimum animal designatur, virge ideo circumvolutum, ut nunquam absque discretione exerceatur autoritas. Quod Hermofroditum genuerit dicit Paulus verum non esse, sed ideo fictum atque appositum est, quia primus Egyptiis, qui monstruosum arbitrabantur Hermofroditos nasci atque tanquam rem preter naturam abiciebant, si quando aliquem nasci contigisset, ostendit, quia naturali gigni ratione poterant, et qua in parte matricis susciperentur a femina.

5

10

CAP. XXI

De Hermofrodito Mercurii et Veneris filio.

Hermofroditum dicit Theodontius ex Venere fuisse filium Mercurii, quod etiam testatur Ovidius dicens: Mercurio puerum et diva Cythareide natum Nayades Ydeis enutrivere sub antris; Cuius erat species in qua materque paterque Cognosci possent: nomen quoque traxit ab illis etc. Ex quo insuper Ovidius fabulam recitat talem. Quod cum Yda monte Frigie, in quo fuerat altus, derelicto, vagans in Cariam usque devenisset, fontem limpidum vidit quem Salmacis nynpha incolebat. Que cum eum formosissimum vidisset, evestigio amavit, et blandis verbis in suam sententiam trahere conata est. Tandem cum verecundaretur adolescentulus, aspernareturque nynphe verbaque pariter et amplexus, illa, simulato recessu, post vepretum latuit. Juvenis autem putans abiisse nynpham nudus fontem intravit. Quod Salmacis videns, abiectis vestibus, confestim et ipsa in fontem se nudam dedit renitentemque tenuit. Verum cum eum inflexibilem cerneret, oravit ut ex ambobus efficeretur unus, et factum est, et sic qui masculus intraverat fontem, masculus illum exivit et femina, et deprecatus est ut qui in eo balnearentur in posterum hanc eandem ignominiam reportarent, quod obtentum est favente precibus utroque parente. Hermofroditum ex Mercurio et Venere genitum vult

15

20

25

30

Albericus lascivientem preter oportunitatem esse sermonem, qui, cum virilis esse debeat, nimia verborum mollicie videtur effeminatus. Ego vero Hermofroditum habere utrumque sexum ad naturam Mercurii refero, quem venerabilis Andalo aiebat,

5 eo quod cum masculinis planetis masculus esset, cum femininis autem femina, inferre inter cetera his quorum nativitatibus preerat, ni planetarum alius obsisteret vel celi locus ut utriusque sexus concupiscentia teneretur; | sed volunt non nulli

10 altius intellexisse poetam, dicentes in matricibus mulierum septem conceptui aptas cellulas esse, quarum tres in dextera uteri sunt, et totidem in sinistra, et una media, et ex his unaqueque duos posse concipere; quantumcunque dicat Albericus in libro De naturis animalium, se ab ortu cuiusdam mulieris

15 advertisse eam centum et quinquaginta filios invicem concipisse. Ex his enim que in dextera sunt cum semen concipiunt masculos pariunt, que autem in sinistra feminas, cum vero in ea que media est concipitur, nascantur utrumque sexum habentes, quos hermofroditas dicimus; et sic in cellula illa tanquam in fonte utriusque sexus lucta est, et dum vincere conatur uterque,

20 ne alter succumbat, efficitur ut utriusque victorie vestigia videantur. Et sic rata manet oratio, ut si quis fontem illum intraverit semivir exeat illum. Sane longe aliter sensisse poetantes existimo. Est enim Salmacis Carie fons celeberrimus, qui ne hac labe pollutus appareat, et purgare fontem, et quid dederit

25 fictioni causam libet apponere. Est igitur, ut Vitrubio eo in volumine quod De architectonica scripsit placet, fons cui Salmacis nomen est in Caria, haud longe ab Halicarnaso, claritate precipuus et sapore egregius, circum quem barbari olim, Carii scilicet et Lelege habitabant, qui a Nyda et Arevania Arcadibus, a quibus ibi Troezen communis deducta colonia, pulsati ad montana fugere et latrociniis ac discursionibus omnia infestare cepere. Sed cum de colonis Arcas unus lucri tractus aviditate prope fontem tabernam meritoriam edidisset, quasi

30 aque bonitas ceptis suis esset prestatura favorem, factum est ut tam aque delectatione quam cibi oportunitate non nunquam barbari immanes descenderent in tabernam et consuetudine

paulatim barbariem ponere, et Grecorum mollioribus moribus atque humanioribus adherere inciperent, donec ex ferocissimis mites viderentur effecti. Et quoniam mansuetudo respectu feritatis videatur feminea, dictum est, ut qui illo uterentur fonte effeminarentur.

5

CAP. XXII

De Venere magna VI^a Celi filia.

Venus magna, ut ubi De naturis deorum scribit Cicero, Celi fuit filia et Diei, et cum preter hanc tres alias fuisse demonstrat, hanc primam omnium asserit extitisse. Attamen cum figmenta plurima circa | Veneres indistincte comperiantur, his sumptis que ad hanc spectare videbuntur, reliqua reliquis relinquemus, non quia huic adaptari non possint omnia, sed postquam aliis attributa sunt, illis, dum de eis sermo fiet, apposuisse decentius est. Huius igitur ante alia filium fuisse Amorem geminum voluere, ut testatur Ovidius, dum dicit: Alma fave dixi geminorum mater amorum etc. De patre autem dissentiunt, cum dicant alii ex Jove genitum, alii ex Libero patre. Sic et Gratias quas huius etiam dicunt filias. Dicunt insuper huic cingulum esse quod ceston nominant, quo cinctam eam asserunt legitimis intervenire nuptiis. Aliis vero conjunctionibus maris et femine dicunt absque cingulo interesse. Eam insuper dicunt summe Solis progeniem habere hodie propter adulterium eius cum Marte, ab eo Vulcano patefactum. Addunt preterea in tutelam eius esse columbas. Et cum eidem currum tribuant, illum a cignis trahi volunt. Mirtumque arborem illi sacram statuunt et ex floribus rosam. Post hec etiam dicit Theodontius eam in domum Martis Furias hospitio suscepisse, seque eis familiaritate iunxisse. Et ut plurimum de reliquis diis faciunt, eam multis appellant nominibus: ut puta Venerem, Cythaream, Acidaliam, Hesperum, Luciferum et Vesperuginem. Et ut si qua alia sunt omiserim, ad sensum precedentium veniamus. Sane quoniam vel omnia vel fere

10

36 c

15

20

25

30

omnia predicta a fingentibus, a proprietatibus Veneris planete sumpta forte sunt, quid de eisdem astrologi sentiant ante alia apponendum censui, ut facilius summatur ex dictis poetantium intellectus. Et quoniam alias Albumasar secutus sum et venerabilem Andalo, iuxta eorum sententiam eius fere mores et potentiam seu circa que versetur, describam. Volunt igitur Venerem esse feminam complexionem flegmaticam atque nocturnam, apud amicos humilem et benignam, acute meditationis in compositionibus carminum, periuria ridentem, mendacem, credulam, liberalem, patientem et levitatis plurime, honesti tamen moris et aspectus, hylarem, voluptuosam, dulciloquam maxime, atque aspernatricem corporee fortitudinis et animi debilitatis. Est huius insuper significare pulchritudinem faciei, et corporis venustatem, rerumque omnium decorem, sic et usum preciosorum unguentorum, aromatum fragrantium, alearum ludos et calculorum, seu latronum, ebrietates preterea et commesationes, vina, mella et quecumque ad dulcedinem et calefactionem pertinere videntur, eque omnis generis fornicationes atque lascivias et coitus multitudinem, magisteria circa stultas et picturas, sertorum compositiones et vestium indumenta, auro argentoque contexta, delectationem plurimam circa cantum et risum, saltationes, fidicinas, et fistulas nuptiasque et alia multa. Sed eis omissis ad auferendam fictionum corticem veniamus. Filiam eam dicunt Celi et Diei, et cum de planeta intelligant, non incongrue, nam quia celo videtur infixam et cum eo movetur, ab eo videtur producta; Diei vero dicitur filia a claritate sua, qua ceteris astris fulgidior est. Eam geminum amorem peperisse non caret misterio, ad evidentiam cuius existimandum est ut aliquando dicere consuevit venerabilis Andalo, deum patrem omnipotentem, dum omnis mundi machina ab eo fabrefacta est, nil fecisse superfluum aut commodo carens animalium futurorum. Sic et supercelestia corpora tam grandia, tam lucida, tam ordinate suo se et alieno motu moventia, non solum adornatum, quem nos fere ob crebram inspectionem flocci facimus, condidisse credendum est, sed circa inferiora illis plurimum potestatis dedisse; ad

hoc scilicet ut eorum motu atque influenza anni volventis
 variarentur tempora, gignerentur mortalia, genita nascerentur,
 et alerentur nata atque in tempore deducerentur in finem. Nec
 hanc mixtim atque confuse corporibus iniunctam debemus ar-
 bitrari potentiam, quin imo unicuique proprium constituisse 5
 officium, et circa que eius versaretur autoritas distinxisse, vo-
 luisseque omnia se invicem secundum plus et minus coniun-
 ctionum atque reliquarum virium pro varietate locorum ad
 opus in finem deducendum intentum mutuis vicissitudinibus
 iuvare. Et inter alia concessa pluribus ut testantur effectus, 10
 Veneri planete asserebat idem Andalo fuisse concessum quic-
 quid ad amorem, amicitiam, dilectionem, coniunctionem, so-
 cietatem et unionem inter animalia spectare videretur, et po-
 tissime ad procreationem prolis spectantia, ut esset qui segnem
 forte naturam in sui continuationem atque ampliacionem ur- 15
 geret, et idcirco causari ab ista hominum voluptates concedi
 potest. Quo concessio egregie finxere poete, qui eius Amorem
 seu Cupidinem filium fuisse dixere. Sed quid illum geminum
 dicit Ovidius advertendum. Credo ego amorem tantum unicum
 esse, sed hunc totiens et mutare mores et novum cognomen 20
 patremque acquirere, quotiens in diversos sese trahi permittit
 affectus. Et hinc Aristotilem reor triplicem designasse, propter
 honestum, propter delectabile, et propter utile. Et ne discordes
 Aristoteles et Ovidius videantur, forsan ex duobus ultimis, 25
 unum tantum faciebat Ovidius, cum etiam delectare videatur
 utilitas. Verum quoniam tractatus | talis potius spectat ubi de
 Amore vel Cupidine mentio fiet, ad reliqua ad Venerem per-
 tinentia veniendum est. Dicunt igitur eam Gratias peperisse,
 nec mirabile, quis unquam amor absque gratia fuit? Que quare
 tres et alia ad eas spectantia, commodius infra ubi de eis ratio 30
 apponetur. Cingulum Veneri quod vocavere ceston insuper
 esse dixere, quod illi minime a natura datum fuerat, nec a
 poetis fuisset n santissima atque veneranda legum autoritate
 illi fuisset appositum, ut aliquali coertione vaga nimis lascivia
 frenaretur. Quid enim ipsum sit ceston in Yliade describit 35
 Omerus, dicens: Ἡ καὶ ἀπὸ στήθεσφιν ἐλύσατο κεστόν ἱμάντα

Ποικίλον, ἔντα δὲ οἱ θελητήρια πάντα τέτυκτο· Ἐνθ' ἔνι μὲν φιλότης,
 ἐν δ' ἕμερος, ἐν δ' οαρίστως Πασφασίς ἢ τ' ἔκλειπε νουν πυκα περ
 φρονεόντων. [Que latine sonant]: Et a pectoribus solvit ceston
 cingulum varium, ubi sibi voluntaria omnia ordinata erant, ubi
 5 certe amicitia atque cupido atque facundia, blanditie que furate
 intellectum licet studiose scientium. Circa quod si rite conside-
 rentur in eo descripta satis coniugium contingentia esse videbi-
 mus. Dicit enim ibi cupidinem esse, ut intelligatur sponsi spon-
 seque ante nuptias desiderium. Inde amicitiam que quidem ex
 10 commixtione et morum convenientia oritur, atque in longum
 trahitur; si vero dissonent mores, inimicitie, iurgium, despectio,
 et huiusmodi nasci vidimus aliquando. Facundia autem quam
 oportuna sit patet liquido, nam per eam affectiones panduntur
 cordis, amantum mulcentur aures, sedantur litigia, que sepi-
 15 sime inter coniuges oriuntur, et ad tolerantiam emergentium
 etiam animantur. Sunt et in eo blanditie, que habent animos
 attrahere et ligare, iras comprimere, et alienatum amorem
 etiam revocare; quarum tam grandes sunt profecto vires, ut
 non solum ab eis capiantur ignari, sed etiam ut ipsemet dicit
 20 Omerus, he furate sunt sepiissime sapientibus intellectum. Hoc
 cingulum dicit Lactantius, uti nos ante diximus, Venerem non
 ferre nisi ad honestas nuptias, et ob id omnem alium concu-
 bitum, eo quod ad eum ceston delatum non sit, incestum
 vocari. Quod Furias in domo Martis hospitata sit et eis fami-
 25 liaris effecta, hanc ob causam dictum reor. Sunt enim inter
 signa celestia, ut dicebat venerabilis Andalo, duo que Marti
 ab astrologis domicili loci attributa sunt, aries scilicet, et
 scorpio, in quam harum domorum illas Venus duxerit non
 habemus. Sed si in arietem duxerit, initium veris per arietem
 30 designari credo, cum tunc ver incipiat quando sol arietem
 intrat, circa quod tempus animalia cuncta in concupiscentiam
 inclinantur, et, ut dicit Virgilius: In furias ignesque ruunt.
 Nec solum bruta, sed et mu||lieres, quarum complexio ut plu-
 35 rimum frigida et humida est, agente veris temperie, in calorem
 et Venerem acrius excitantur. Que quidem excitatio, nisi frena
 rubor iniceret, verti in furiam videretur. Sino fervores iuvenum,

37 b

qui nisi legum autoritate sopirentur, seu potius coercerentur, in pestiferos profecto furores excederent. Et sic bene in domum Martis a Venere ducte sunt Furie, eis familiaris effecta est, in quantum immoderata efficitur et effrenis. Si in scorpionem duxisse velimus, quoniam venenificum atque fraudulentum est animal, intelligo non nunquam amaritudines anxias modice mixtas dulcedini, ob quas sepiissime miseri adeo vexantur ardentes, ut in se ipsos gladio, laqueo, precipitioque furentes vertantur. Seu ob susceptas iniurias, lusus amoribus, vel mutatis ob iuramenta frustrata, ob fraudes compertas, ob mendacia, ex quibus autem desperatione torquentur, aut in rixas et homicidia furiosi precipitantur. Et sic a Venere in scorpione susceptae sunt Furie. Venerem exosam Solis prolem habere ab consequentibus ex amore illecebrum suntum puto. Nam, ut inferius legetur ubi de Sole Yperionis filio, producit sol formosissimos homines et mulieres, quorum pulcritudo procul dubio trahit inspicientium mentes in concupiscentiam sui: et qui tracti sunt variis artibus persepe trahentes trahunt, quod quidem Veneris opus esse creditur. Hi quippe innumeris subiciuntur periculis; nam dum in libidinem suam paribus deveniunt votis, alii occiduntur, alii letali persequuntur odio, alii ex ditissimis in extremam efferuntur inopiam. Et nonnullae splendidum pudicitiae decus turpi atque perpetua denigraverunt infamia. Et ut alia plura sinam ignominiose occubere postremo; et sic patet liquido Venerem Solis prolem vetusto odio infestare et mellitis venenis suis opprimere. Columbas insuper eius in custodiam posuere, quod taliter contigisse legitur: Lascivientibus in campis Venere et Cupidine in contentionem devenere, quisnam scilicet ex eis plures sibi colligeret flores, videbaturque alarum suffragio plures Cupidinem collecturum; quam ob rem vidit Cupido Peristeram nympham in adiutorium Veneris surrexisse, qua indignatus causa eam in columbam transformavit illico. Venus autem transformatam in tutelam confestim assumpsit, et inde subsecutum est columbas semper Veneri attributas. Huic autem fabulae sensus talis prestari videtur. Dicit enim Theodontius Peristeram apud

Corinthios origine insignem fuisse puellam, et longe magis
 notissimam meretricem, et idio hic Venus agens dici potest
 in Peristeram patientem, agentis autem impressio in patientem
 amor est. Cuius agitata stimulis virgo adhesit Veneri, id est
 5 coitui, qui fere finalis est agentis intentio, si forsan ob id
 vinci posset infestans Cupido. Verum cum talis appetitus actu
 potius accendatur, quam extingatur, eo devenit ut non esset
 unius amantis contenta solatio, sed more columbe, cuius moris
 est sepissime novos experiri amores, in plurium devenit am-
 10 plexus. Quam ob causam ab ipso Cupidine, id est luxurie
 stimulo, in columbam versam voluere poete. Peristera vero
 grece, latine columba sonat. Que quidem columbe eo Veneri
 in tutelam date sunt, quia aves sunt coitus plurimi, et fere
 fetationis continue, ut per eas | crebro coeuntes Veneri obse- 37 c
 15 quentes intelligantur. Nam hi veniunt in tutelam alicuius, qui
 nondum sibi oportuna facere cognovere, et tutore habito,
 agenda eius mandato conficiunt. Sic et libidinosi sub tutela
 Veneris esse dicuntur, quia semper in lascivias merguntur,
 Venere imperante. Currus autem ideo Veneri designatur, quia
 20 sicuti ceteri planete per suos circulos circumagitur motu
 continuo. Quod a cignis eius trahatur currus, duplex potest
 esse ratio, aut quia per albedinem significant lautitiam mulie-
 brem, aut quia dulcissime canant, et maxime morti propinqui,
 ut demonstretur amantum animos cantu trahi, et quod cantu
 25 amantes fere desiderio nimio morientes passiones explicant
 suas. Mirtus autem ideo Veneri dedicata est, quia, ut ait Ra-
 banus, a mari dicta est, quia nascatur in litoribus, et Venus in
 mari dicitur genita; seu quia odorifera sit arbor et Venus odo-
 ribus delectatur; seu quia huius arboris odor credatur a non-
 30 nullis venerea suadere; seu, ut physici dicunt, eo quod ex
 ea multa mulierum commoda fiant; seu quia ex bacis eius
 aliquod compositum fiat per quod excitatur libido ac etiam
 roboratur, quod videtur testari Futurius poeta comedus, dum
 Dygonem meretricem inducit dicentem: Mirtinum michi affers
 35 quod Veneri armis occursem fortiuncula etc. Rosa vero ob id
 illius flos dicitur, quia suavis sit odoris. Nominum eius plu-

rium he possunt rationes ostendi. Dicitur primo Venus, quam stoyci vanam rem interpretantur, quasi voluptatem abominantes, et hoc intelligendum est, eam vanam rem a stoycis dici, in quantum ad illecebrem partem illam libidinum et lasciviarum declinet. Epycuri vero venerem bonam rem exponunt, uti voluptatum professores, nam circa voluptatem summum existimant bonum consistere. Cicero autem dicit Venerem dici quod ad omnia veniat; quod quidem non incongrue dictum est, cum amicitiarum omnium a quibusdam credatur causam prestare. Cytherea autem ab insula Cytherea, seu a Cythereo monte in quibus potissime coli consueverat, denominata. Acidalia autem dicta est, seu ab Acidalio fonte qui in Orcomeno Boetie civitate est Veneri atque Gratiis sacer, et in quo arbitrabantur olim insipidi Gratiis Veneris pedissequas lavari; seu quia curas inicit, novimus enim quot curis amantes repleat, et Greci acidas curas vocant. Hesperus autem proprium planete nomen est apud Grecos, et maxime dum post solem occidit, et inde etiam Vesper dictus, ut per Virgilium patet: ante diem clauso componet Vesper Olimpo. Varro autem vult ubi De origine lingue latine, eam ab hora in qua apparet Vesperuginem appellari. Nam et Plautus sic etiam illam vocat dicens: neque Jugula neque Vesperugo neque Virgilie occidunt etc. Lucifer autem latine dicitur, cum apud Grecos, ut asserit Tullius ubi De naturis deorum, Fosferos appelletur, quasi lucem afferens, et hoc quando ante solem aut auroram in oriente cernitur tanto splendore corusca, ut etiam de se merito Lucifer appelletur. Hanc et naute et ydiote Dianam persepe vocant, quia diei videatur prenuntia.

CAP. XXIII

De secunda Venere Celi VII^a filia et matre Cupidinis.

Venerem secundam plures Celi volunt fuisse filiam, non tamen ritu genitam quo gignimus omnes, ex qua recitatur: Saturnum scilicet in Celum sevisse patrem, et, falce sumpta,

ei abscidisse virilia et in mare abiecisse, quorsum autem ceci-
 derint non habetur. Falcem vero haud longe a promontorio
 Lilibei Siculi deiectam aiunt nomenque dedisse loco Drepa-
 num, eo quod sic grece falx dicta sit. Testiculi vero deiecti
 5 quacunque in parte maris deciderint, sanguinem emisere, ex
 quo et maris spuma hanc procreatam Venerem voluere ac
 etiam a maris spuma denominatam, que grece aphrodos dicitur,
 quoniam sic et hec dicta est. Macrobius autem in libro Satur-
 naliorum Venerem ex sanguine testiculorum Celi natam dicit,
 10 sed maris spuma nutritam. Dicunt insuper, ut Pomponius
 Mela refert, accolé Palepaphos Cyprici oppidi tui, serenissime
 rex, penes eos Venerem sic natam in terras primo emersisse,
 et quod ob id nudam et persepe natantem eam fingant, quod
 et nostri etiam quandoque testantur poete. Dicit enim eius in
 15 persona Ovidius: Et diis adde tuis! Aliqua est michi gratia
 ponto, Si tamen in medio quondam concreta profundo Spuma
 fui, gratumque manet michi nomen ab illa etc. Et Virgilius
 Neptunum ei dicere scribit: Fas omne est, Cytharea, meis te
 fidere regnis Unde genus ducis etc. Huic preterea dicunt rosas
 20 esse dicatas, et quod marinam gestet manibus concam. Sic et
 ex ea et Mercurio Hermofroditum natum volunt. Et ex ea sola
 Cupidinem. Multe quidem fictiones sunt, sed ex eis talis potest
 exprimi sensus. Nam pro Venere hac ego voluptuosam vitam
 intelligo, et in omnibus ad voluptatem et libidinem pertinen-
 25 tibus | cum superiori unam et eandem esse, et sic etiam videtur
 velle Fulgentius. Ex sanguine autem testiculorum a Saturno
 desectorum ideo natam, quia, ut ex Macrobio sumi potest, cum
 chaos, esset tempora non erant; nam tempus est certa dimensio
 que ex celi circumitione colligitur, et sic a celi circumitione
 30 natum tempus, et inde ab ipso Caronos natus, qui et Cronos
 est, quem nos Saturnum dicimus, cumque semina rerum
 omnium post celum gignendarum de celo fluerent, et elementa
 universa que mundo plenitudinem facerent ex illis seminibus
 fundarentur, ubi mundus omnibus suis partibus atque membris
 35 perfectus est, certo iam tempore finis est precidendi de celo
 semina; et sic genitalia a Saturno, id est tempore, decisa viden-

tur, et in mari deiecta, ut appareret gignendi atque propagandi
 facultatem que per Venerem assumenda est, in humorem trans-
 latam coitu maris et femine mediante, qui per spumam intel-
 ligitur; nam uti spuma ex aquarum motu consurgit, sic et ex
 confricatione venit in coitum, et uti illa facile solvitur, sic 5
 et libido brevi delectatione finitur. Seu ut placet Fulgentio,
 quod concitatio ipsa seminis spumosa sit, et ideo marinam
 dicimus spumam ob salsedinem sudoris emuncti circa coitum.
 Seu quod ipsum sperma salsum sit. Sic ex humiditate nata
 Venus hec et a spuma maris, id est salsedine humiditatis nu- 10
 trita, id est aucta, donec in finem cepti operis deducta sit.
 Sane videndum que hec sit humiditas ut clarius origo huius
 Veneris enodetur. Fulgentius igitur vult, ubi ab aliis dicitur,
 Saturnum Celo, Jovem Saturno genitalia abscidisse et sic suam
 exponit opinionem. Dicit enim Saturnum grece Cronos nuncu- 15
 pari, quod tempus latine, cui vires abscise falce, id est fructus
 qui in humoribus viscerum velut in mare proiciuntur, ex quibus
 dicit necesse sit procreari libidinem. Nec dubium ea ex humi-
 ditate procedit Venus, que ex cibo potuque procedit, cum raro
 ruant in libidinem ieiunantes; et tunc procedit maxime quando 20
 cibi potusque calor vires movet et suscitatur naturales, et vere
 in mari nascitur scilicet in gurgite salso sanguinis calefacti et
 eiusdem ebullientis. Spuma, id est pruritu nutritur, cum eo
 tepescente libido deficiat. Falcem autem nonnulli volunt apud
 Drepanum fuisse deiectam, ut ostendatur sicuti falx aliquid 25
 operata est circa Veneris originem, sic et habundantia frugum,
 ex quibus demum | cibaria componuntur, plurimum etiam ope-
 retur, que quidem habundantia plurima est, et alia incitatoria
 multa apud insulam Sicilie, in qua et Drepanum civitas est.
 Ego autem reor huius particule et nomen oppidi et litoris 30
 formam, que falci similis est, fabule causam tribuisse. Quod
 autem cives Paphos apud se e mari emersisse Venerem velint
 bona cum pace maiestatis tue, rex optime, dicturus sum, quod
 nisi te equum etiam in maximis rebus noscerem non auderem.
 Est autem Cyprus insula vulgata fama, seu celo agente, seu 35
 alio incolarum vicio, adeo in Venerem-prona ut hospitium,

officina, fomentumque lasciviarum atque voluptatum omnium
 habeatur. Quam ob causam Paphiis concedendum est primo
 apud eos ex undis Venerem emersisse. Verum hoc potius ad
 hystoriam quam ad alium sensum pertinere ex Cornelio Tacito
 5 sumi potest. Qui velle videtur Venerem auspicio doctam ar-
 mata manu conscendisse insulam bellumque Cynare regi mo-
 visse; qui tandem, cum inissent concordiam, convenere ut
 ipse rex Veneri templum construeret, in quo eidem Veneri
 sacra ministrarent, qui ex familia regia et sua succederent.
 10 Confecto autem templo, sola animalia masculini generis in
 holocaustum parabantur, altaria vero sanguine maculari pia-
 culum cum solis precibus igneque puro illa adolerent. Simu-
 lacrum vero dee nullam humanam habere dicit effigiem, quin
 imo esse ibidem continuum orbem latiore initio et tenuem
 15 in ambitu ad instar methe exurgentem, et quare hoc nullam
 haberi rationem. Nuda autem ideo pingitur ut ad quid semper
 parata sit ostendatur. Seu quia nudos qui illam imitantur per-
 sepe faciat. Aut quia luxurie crimen et si in longum perse-
 veret occultum, tandem, dum minus arbitrantur obsceni, procedit
 20 in publicum, omni palliatione remota, vel potius quia absque
 nuditate committi non possit. Natantem autem ideo Venerem
 pingunt, ut infeliciam amantium amaritudinibus inmixtam vi-
 tam procellis agitatam variisque et eorum naufragia crebra
 demonstrant, unde et Porphyrius in epygrammate dicit: Nudus,
 25 egens, Veneris naufragus in pelago. Sed longe melius in Ci-
 stellaria Plautus, dicit enim: Credo ego amorem primum apud
 homines carnificinam commentum. Hanc ego de me coniectu-
 ram domi facio ne foras queram. Qui omnes homines supero
 atque anteo cruciabilitatibus animi, Jactor, crucior agitor,
 30 vexor, vi amoris totus miser. Exanimor, feror, differor, distra-
 hor, diripior, ita nullam mentem Animi habeo, ubi sum, ibi
 non sum, ubi non sum ibi est animus, Ita michi omnia in-
 genia sunt, quod lubet non lubet, iam id continuo Iam amor
 lassum animi ludificat, fugat, agit, appetit, Raptat, retinet,
 35 iactat, largitur, quod dat non dat, deludit, Modo quod suasit
 dissuadet, quod dissuasit id ostentat. Maritimis modis mecum

experitur, ita meum fatigat amantem Animum etc. Equidem bene fluctuabat in salo Veneris homo iste. Sed nos ad reliqua. Illi rosas in tutelam datas aiunt, eo quod rubeant atque pungant, quod quidem libidinis proprium esse videtur. Nam turpitudine sceleris erubescimus et conscentia peccati vexamur aculeo; et sicut per tempusculum rosa delectat, parvoque lapsu temporis marcet, sic et libido parve brevisque delectationis et longe penitentie causa est, | cum in brevi decidat quod delectat, et quod officit vexet in longum. Marinam concam manibus gestat, ut per eam Veneris ostendatur illecebra toto enim adaperto corpore, refert Juba, conca miscetur in coitum.

CAP. XXIV

De Cupidine Veneris filio.

Cupido, ut Symonidi poete placet, Servio teste, ex Venere sola natus est. De quo, cum alibi plura dicenda veniant, satis erit mentionem fecisse tantummodo.

CAP. XXV

De Toxio VIII^o Celi filio.

Toxius, ut ait Plinius in libro Naturalis hystorie, Gellio affirmante, filius fuit Celi eumque dicit lutei edificii, exemplo ab irundinibus sumpto, inventorem. Nondum enim construxerant architecti palatia, ex quo patet eum industruosum et antiquum fuisse hominem, et merito Celi, id est claritatis, filium. | Supererant ex filiis Celi, Tytanus, Juppiter secundus, Oceanus et Saturnus. Quorum eo quod amplissima esset posteritas, visum est ut huic libro III^o fiat finis, et Tytanum quarto servare volumini, Jovem V^o et VI^o, Oceanum VII^o, Saturnum VIII^o reliquisque.

Genealogie deorum gentilium liber III^{us} explicit feliciter.

In arbore autem signata desuper ponitur in radice Celius, eo quod non-
dum filii eius descripti sunt, sed in ea tam in ramis quam in fron-
5 dibus omnis Tytanis progenies demonstratur.

Prohemium.

Fluctuabar adhuc, splendide princeps, circa Paphum op-
pidum tuum, Veneris infauste describens illecebras, cum ecce,
quasi Eoli carcere fracto, omnes in pelagus prodeuntes seuire
10 venti ceperunt, et in celum surgere fluctus impetu impulsimaximo,
eoque repellente, in profundum usque demergi Herrebun. Qui dum
ascenderent et mergerentur iterum, flatusque illos valido spiritu
ex transverso confringerent, stupidus ego et semivictus novitatis
horrore, quidnam tam repentine tempestati
15 causam prestitisset excogitans, fere absorptus sum. Tandem
eius crebro invocans suffragium, qui ex navicula piscatoria ad
se venientem periclitantemque Petrum manu sustulit, nunc
dextrorsum, nunc sinistrorsum deiectum lembum, quibus poteram
viribus regens, eo usque fere naufragus deductus sum,
20 ut ex alto cernerem non aliter quam si dirutis ferreis Ditis
muris, disiectis vinculis, Tytanis antiqui immanem adventare
prolem, stilo cepti operis exigente, scribendam; novique, an-
tiqui moris eiusdem memor, eam in tumultum tam grandem
hostes suos suscitasse deos. O quas in superbiam suam in medio

periculi excitavit iras, o quotiens Jovis fulmina non solum
 laudavi sed etiam imploravi, o quotiens catenas atque sup-
 plicia augeri deprecatus sum! Sed quid tandem? postquam
 aliquamdiu, non aliter quam si in Olympum redivivi insul-
 tassent, unde mugitu maximo sonuere, omnesque vehementes, 5
 venti suscitavere procellas, ut arbitror iubente Deo, cui soli
 omnia parent, aquarum resedere montes, et si equa tranquillitas
 facta non sit, tamen navigabile devenit mare; quamobrem a
 Cypro separatus in Egeum veniens, a longe ingentia cepi
 mirabundus prospectare corpora, adhuc fulminibus exusta, et 10
 inferno pallore atque caligine turpia, et longo catenarum
 circumitu pressa, adeo ut non absque difficultate nomina ex
 semesis elicerem descripturus; ea tamen, que novisse potui,
 huic apponentur cum successoribus suis volumini. Attamen,
 ne deficiam, is faciat, qui populo Jsrael Jordanem aperuit 15
 transeunti.

CAP. I

39 b De Tytano Celi filio VIII^o qui genuit filios | multos, ex quibus hic XIII
 nominantur. Quorum primus Yperion, II^{us} Briareus, III^{us} Ceus,
 III^{us} Thyphon vel Thypheus, V^{us} Encheladus, VI^{us} Egeon, VII^a Au- 20
 rora, VIII^{us} Japethus, VIII^{us} Astreus, X^{us} Alous, XI^{us} Pallenes,
 XII^{us} Runcus, XIII^{us} Purpureus, XIII^{us} Lycaon. Genuit preterea
 gigantes, quorum nomina non habemus.

De Celo Etheris et Diei filio satis in precedenti volumine
 dictum est. Verum cum eius explicetur proles, aiunt Titanum 25
 eius et Veste fuisse filium theologi veteres, ut in libro Divi-
 narum Institutionum testatur Lactantius. Cuius fuisse coniugem
 Terram, Demogorgonis filiam, Theodontius asserit, ex qua
 plures suscepisse filios in sequentibus apparebit, quos omnes
 quinta luna natos videtur velle Virgilius, dum dicit: Tum (luna 30
 scilicet quinta) partu Terra nephando Oetumque Iapetumque
 creat sevumque Typhea Et coniuratos celum rescindere fra-
 tres etc. De hoc enim Tytano multa referuntur fabulosa, inter
 que, quod potissimum est, aiunt eum cum filiis adversus Iovem
 deosque reliquos bellum habuisse eisque celum conantes eri- 35

pere, montes montibus superimposuisse sibi sternentes iter ad illud, eosque demum a diis cesos et fulminibus interemptos atque apud Inferos catenis religatos et morti damnatos perpetue, ut in VI Eneydos satis convenientes ostendit Virgilius.

- 5 Latentia sub hac fictione, et hystoriam continent, et moralem sensum naturali mixtum. Quod ad hystoriam pertinet, verba de ea que in sacra leguntur hystoria, apponentur ad licteram. Dicit enim sic. Exin Saturnus uxorem duxit Opim; Tytan, qui maior natu erat, postulat ut ipse regnaret; ubi Vesta mater
- 10 eorum et sorores Ceres atque Ops suadent Saturno uti de regno non cedat fratri. Ibi Tytan, qui facie deterior esset quam Saturnus, id circo et quod videbat matrem atque sorores suas opera dare ut Saturnus regnaret, concessit eis ut is regnaret. Itaque pactus est cum Saturno, uti si quis liberorum
- 15 virilis sexus ei natus esset ne quem educaret. Id eius rei causa fecit uti ad suos natos regnum rediret. Tum Saturno filius qui primus natus est, eum necaverunt. Deinde posterius nati sunt gemini: Juppiter atque Juno. Tum Junonem Saturno in conspectum dedere, atque Jovem clam abscondunt, dantque
- 20 eum Veste educandum, celantes Saturno. Item Neptunum clam Saturno Opis parit, eumque clanculo abscondit. Ad eundem modum tercio partu Opis parit geminos Plutonem et Glaucam. Pluto latine dictus est Dispiter, alii Orcum vocant. Ibi filiam Glaucam Saturno ostendunt, ac | Plutonem celant, atque ab-
- 25 scondunt; deinde Glauca parva emoritur. Nec multum post hec, sequitur in eadem hystoria. Deinde Tytan, postquam rescivit Saturno filios procreatos atque educatos esse clam se, seducit secum filios suos qui Tytani vocantur, fratremque suum Saturnum atque Opem comprehendunt, eosque muro circumegit et custodiam his apponit. Post hec autem, paucis interpositis,
- 30 sequitur. Jovem ad ultimum, cum audisset patrem atque matrem custodiis circumseptos atque in vincula coniectos, venisse cum magna Cretensium multitudine, Tytanumque atque filios eius expugnasse, parentes vinculis exemisse, patri regnum reddidisse, atque ita in Cretam remeasse. Hec Lactantius ex
- 35 hystoria sacra; que quam vera sint, quasi eadem referens

edocet Sybilla Erithea. Viso sensu hystoricali, circa reliquos
 pauca dicenda sunt; et primo quid sibi velint hunc Celi di-
 centes filium atque Veste, quod preter hystorie veritatem de
 quocunque mortali arbitror dici posse; nam terrenum corpus
 et celestem habemus animam, ex quibus constat hominem esse. 5
 Sed hic altiori verborum molimine extollitur ab universo mor-
 talium grege, et nuncupatur Tytan, quod, ut placet Lactantio,
 idem quod ultio sonat. Supra enim ostensum est Vestam Terram
 esse, et Terram irritatam ira deorum in ultionem sui peperisse
 Tytanos; et quoniam ubi de Fama demonstratum est que sit 10
 ira deorum, ob quam Terra irritata est, et qualiter Terre filii
 in ultionem matris consurgant, satis est hic dicere tantum,
 hunc Tytanum unum ex egregiis illis viris fuisse, qui operibus
 conatus est estendere famam et mortem superare suam. Quod
 autem illi Terra coniunx fuerit, per hoc intelligo huius hominis 15
 et cuiuscunque alterius huic similis ingentem animum, quo
 sibi terram subigit uti vir uxorem, eique dominatur saltem
 animo, si possessio desit. Ex hac enim volunt eum multos
 genuisse filios, quod quidem etiam ostendit hystoria, et si
 etiam possibile sit, nonnullos ob convenientiam morum sibi, ut 20
 reliquis attributos esse; secundum absconditum sensum nulli
 dubium esse debet, quin multi fuerint olim et hodie sint insi-
 gnes viri, qui eius eo quod primus describitur filii dici possunt.
 Insuper dicunt hos elatos fuisse homines et adversum deos 25
 habuisse bellum, ut advertamus quoniam ex magnanimitate
 ad superbiam facilis sit transitus, et ob id ut plurimum, dum
 minus considerate magnates agunt, ex gloriosissima virtute
 in detestabile vitium cadunt, et tunc steriles efficiuntur, id est
 absque fructu virtutis, et, | ut intelligamus Tytanis filios fuisse 30
 tales, quinta luna natos dicunt. Veteri enim superstitione cre-
 ditum est, quicquid quinta nasceretur luna, sterile atque damno-
 sum fore, nec dubium elatos esse damnosos, eo quod bellorum
 sint semen, per que evacuantur agri colonis et civitates, et
 desolantur regna. Dicunt preterea eos habuisse cum diis bel- 35
 lum quod et magnanimes habent et superbi; magnanimes enim
 bonis operibus similes diis effici conantur; superbi autem se

quod minime sunt existimantes, verbo et si possent opere ipsum verum deum calcare satagunt, ex quo fit ut deiciantur et redigantur in nichilum. Est hic tamen advertendum duplex ab hominibus bellum cum Superis habitum, quorum unum
 5 fuit istud, quo Juppiter liberavit parentes, occisis Tytanis filiis. Aliud vero fuit cum Gigantes, qui et Tytanis dicuntur filii, voluerunt Jovi celum eripere, et tunc montes montibus imponere, quod postea ubi de Gigantibus exponetur.

CAP. II

10 De Yperione primo Tytanis filio, qui genuit Solem et Lunam.

Yperionem Tytanis et Terre fuisse filium Theodontius et Paulus voluere. De quo nil aliud credo legi, nisi quia Solem genuerit et Lunam; arbitror tamen eum magne preminentie hominem fuisse, et hoc tam a significato nominis quod super
 15 omnia sonat, quam a nominibus filiorum tam claris.

CAP. III

De Sole Yperionis filio qui genuit horas, quas loco unius filie pono, et sic prima genuit Eonas, quas eque loco filie unius scribo et sic secunda, III^{am} Phetusam, IIII^{am} Salempetii, V^{am} Dyrceam, VI^{um} Miletum, [VII^{am} Pasiphem], < VIII^{um} > Oetam, < VIII^{am} > Circem,
 20 < X^{am} > Anginam.

Solem Yperionis fuisse filium vulgatissima fama est, ex qua tamen matre non constat. Hunc dicunt non solum patri et fratribus adversum Jovem non fuisse, sed Jovis partes
 25 secutum; quam ob causam post victoriam currum, coronam et aulam et alia multa insignia a Jove obtinuisse, que omnia insequentibus plene explicabuntur. Hunc ego credo suis temporibus clarissimum fuisse hominem et vere magnanimem, et ob id dictum non fuisse fratribus sed Jovi, quia non super-
 30 bus. Quam ob rem adeo illi fuit fama propitia, ut in eum a

poetis omne decus delatum sit, quod vero Soli deferendum
 est, nec aliter de eo quam de vero Sole ut plurimum locuti
 sunt. Sane quoniam hic fere nulla ad hominem spectantia
 apponi videntur, de Sole planeta loquemur. Finxerunt igitur
 eum ante alia regem, et forte fuit, eique regiam designavere | 5
 40 a aulam. De qua sic Ovidius: Regia Solis erat sublimibus alta col-
 umnis, Clara micante auro flammisque imitante pyropo, Cuius
 ebur nitidum fastigia summa tenebat, Argenti bifores radiabant
 lumine valve, Materiam superabat opus, nam Mulcifer illic
 Equora celarat medias cingentia terras Terrarumque orbem 10
 celumque quod imminet orbi. Ceruleos habet unda deos, Tri-
 tona canorum Proteaque ambiguum balenarumque prementem
 Egeona suis inmania terga lacertis, Doridaque et natas, quarum
 pars nare videtur, Pars in mole sedens virides siccare capillos,
 Pisce vehi quedam: facies non omnibus una, Nec diversa ta- 15
 men qualem decet esse sororum. Terra viros urbesque gerit
 silvasque ferasque Fluminaque et nynphas et cetera numina
 ruris. Hec insuper imposita est celi fulgentis imago, Signaque
 sex foribus dextris totidemque sinistris etc. Descripta igitur
 aula Ovidius maiestatem regiam proceresque describit, dicens: 20
 Purpurea velatus veste sedebat In solio Phebus claris lucente
 smeragdis. A dextra levaque dies et mensis et annus Seculaque
 et posite spatiis equalibus hore Verque novum stabat circum-
 florente corona. Stabat nuda estas et spicea sarta gerebat. Stabat
 et autumnus calcatis sordidus uvis Et glacialis hyemps canos 25
 hirsuta capillos etc. Designata regia maiestate currum eius
 describit: Aureus axis erat, themo aureus, aurea summe Cur-
 vatura rote, radiatorum argenteus ordo, Per iuga crisoliti po-
 siteque ex ordine gemme Clara repercusso reddebant lumina
 Phebo etc. Nec post multum idem describit equos: Interea 30
 volucres Pyrous Eous et Ethon, Solis equi, quartusque Phegon
 hymnitibus auras Flammigeris implent, pedibusque repagula
 pulsant etc. Huic insuper regi coronam insignem ex duodecim
 lapidibus preciosis, ut Albericus ostendit, imposuit. Eique
 dicunt aurora veniente ab horis currum parari et equis adnecti. 35
 Hunc preterea moltorum filiorum patrem volunt, ex quibus ali-

quos veros fuisse possibile est, dum eum hominem fuisse dicamus, et nonnullos etiam ratione convenientie morum ei attributos, si solem planetam dixerimus. Preterea, ut aiunt phylosophi, in rebus procreandis tante potentie est, ut pater omnis mortalis vite habeatur; et inter alia ex quadam singulari potentia, dum in nativitate alicuius hominis ceteris supercelestibus corporibus prevalet, eum formosissimum, amabilem, facie alacrem atque splendidum, moribus insignem et generositate producit conspicuum. Eum similiter multis vocant nominibus, per que satis apparet de sole planeta, non de homine intellexisse poetas. Nunc quid dicta velint explicandum est. Dicunt eum primo Yperionis | natum, quod concedendum est. Diximus enim supra, Yperionem idem sonare quod super omnia, et sic hic pro vero Deo accipietur, qui, cum omnia ex nichilo creaverit, solus pater Solis dici potest, cum ipse solus sit super omnia. Post hec regia huic tam splendida ideo designata est, ut intelligamus per apposita in eadem opere huius ex potentia attributa cuncta consistere, eumque omnium curam gerere. Cui inter alia propinquiore circumposita sunt tempora et temporum qualitates, ut intelligatur eum motu suo descripsisse omnia, esto aliquos ante eum fuisse dies in principio Pentateuci scribat Moyses, quos arte sua ille fecit, qui cuncta creavit, nondum isto creato nec eidem potestate aliqua attributa. Postquam vero creatus est, volente creatore suo motu tempora descripsit et describit omnia et horas et diem et mensem et annum et secula, ut in sequentibus latius apparebit. Sic et motu suo qualitates temporum facit esse diversas, cuidam dans frondes et flores, alteri segetes, tertie maturos prebet fructus, et frondes incipit auferre, ultime rigorem frigoris et nivis caniciem. Currus autem illi tam lucidus apparatus, indefessam eius atque perpetuam cum indeficiente lumine circa orbem terrarum volubilitatem ostendit, qui rotarum quattuor est, ut descripta iam quattuor tempora sua fieri circumitione designet. Sic et illi quattuor equi ut per eos qualitates diurne circumitionis ostendat. Nam Pyrous, qui primus est, pingitur et interpretatur rubeus, eo quod, primo mane agentibus vaporibus a terra

surgentibus, sol oriens rubeat. Eous, qui secundus est, cum
 albus effigietur, dicitur splendidus, eo quod exaltatus iam sol
 dissolutis vaporibus splendens sit. Ethon autem tertius rubens
 sed in croceum tendens, ardens exponitur; nam, sole iam
 celi medium tenente, lux eius corusca est et cunctis videtur 5
 fervidior. Phegon autem quartus ex croceo colore tendit in
 nigrum, et interpretatur terram amans, ostendens, advespere-
 scente die, solem terram petere, id est occasum. Hos tamen
 equos Fulgentius, esto cum eisdem significationibus, aliter
 nominat. Videlicet Eritreum, Actheona, Lamos et Phylegeum. 10
 Per coronam autem XII lapidum ostendit Albericus longa di-
 cacitate XII celi signa intelligi debere, per que mortalium
 ingenia cum anno quolibet discurrere invenere. His predictis
 superest de nominibus solvere globum. Ex quibus | eo quod non
 nulla cum quibusdam aliis diis habeat communia, illis reservatis 15
 ubi de diis talibus; de his que ad eum solum spectare videntur
 quam brevius fieri poterit exponetur. Vocatur igitur primo
 Sol, eo quod inquantum planeta solus est, ut testari videtur
 Macrobius dicens. Nam et latinus eum, qui tantam claritudinem
 solus obtinuit, solem vocavit. Et in Thimeo dicit Plato ubi 20
 de speris: Ut autem per ipsos octo circuitus celeritatis et tar-
 ditatis certa mensura et sit et noscatur, deus in ambitu supra
 terram syderum lumen accendit, quem nunc solem vocamus.
 Insuper hunc Tullius ubi de Republica vocat principem atque
 ducem, dicens: Deinde subter mediam fere regionem sol obti- 25
 net, dux et princeps et moderatur luminum reliquorum, mens
 mundi et temperatio, tanta magnitudine, ut cuncta sua luce
 lustret et compleat. Super quibus verbis sic ait Macrobius
 super Somnio Scipionis: Dux ergo quia omnes luminis maie-
 state procedit, princeps quia ita eminent, ut propterea quod 30
 talis appareat sol vocetur. Et post pauca sequitur: Mens mundi
 appellatur ita ut physici eum cor celi vocaverunt; inde nimi-
 rum quod omnia, que statuta ratione per celum ferri videmus,
 diem noctemque et migrantes inter utramque prolixitatis brevi-
 tatisque vices et certis temporibus equam utriusque mensuram; 35
 deinde veris clementem temperiem torridum Cancri et Leonis

estum, mollitiem autumnalis aure, vim frigoris inter utramque temperiem, omnia hec solis cursus et ratio dispensat. Iure ergo cor celi dicitur, per quem fiunt omnia, que divina ratione fieri videmus. Est et hec causa, propter quam iure cor celi

5 vocetur, quod natura ignis semper in motu perpetuoque agitata est; solem autem ignis etheri fontem esse dictum retulimus. Sol ergo in ethere quod in animali cor, cuius ista natura est, ne unquam cesset a motu, aut brevis eius, quocunque casu ab agitatione cessatio mox animal interimat. Hec Macrobius.

10 Ex quibus satis percipi potest eum existimasse solem rerum omnium causam. Loxias insuper eum appellat, ut ait Macrobius, Oenopides, quod ab occasu ad orientem tendens circum facit obliquum. Phebus etiam nuncupatur et potissime a poetis, quod a specie atque nitore dictum est. Alii dicunt Phebus

15 quia novus, eo quod mane quolibet novus videatur ab horizonte consurgere. Lycius etiam nuncupatur, et ut aliqui dicunt a Lycio templo Dely. Macrobius ostendit Cleantem aliam rationem reddere | dicens: Cleantes Lycium Apollinem nuncupatum

20 scribit, quod veluti lupi pecora rapiunt, ita ipse quoque humorem rapiat radiis. Socomas, ut idem dicit Macrobius, a Syris sol etiam appellatur, a fulgore scilicet radorum, quos vocant comas aureas solis. Sic et Argitorosus, quod nascens per summum orbis ambitum veluti arcus quidam figuratur alba et argentea specie, ex quo arcu radii in modum emicant sagittarum.

25 Imbricator, quod lumen eius exoriens amabile amicissima veneratione oculorum sol dictus est, quia sic a physicis extimatur. Dicitur et Horus quasi magnus vel gigas, maximus quidam est ut ipsi videre possumus, et hoc illi nomen est apud Egyptios. Vocatur insuper et aliis nominibus pluribus, ut per

30 Macrobius patet in Saturnaliorum libro.

40 d

CAP. IV

De Horis filiabus Solis et Cronis.

Horas Solis et Cronis dicit Theodontius fuisse filias et ab eo denominatas, eo quod Horus ipse ab Egyptiis appellatur. Has Omerus dicit equos et currum in tempore parare Soli, et Diei venire volenti celi portas aperire. Filias ego ideo Solis dici puto et Cronis, quod est tempus, eo quod solis progressu ex certa temporis dimensione fiant. Equos autem et currum Soli parari ab eis ideo fictum est, quia eis sibi vicissim succedentibus nox labitur et dies accedit, in quem sol tanquam in preparatum sibi vehiculum a successione horarum progreditur, in cuius progressionis initio, hore diei adveniēti celi portas, id est lucis ortum, aperire videntur.

CAP. V

De Eonis filiabus Solis.

Eonas dicit Theodontius plures esse sorores, Solis et Cronis filias, corporibus ingentes, et sub Jovis collocatas pedibus, De his ego nunquam alibi legisse memini, nisi forsan has velit intelligi secula, cum eon grece, latine seculum interpretetur. Si de seculis dixisse velit, hec profecto certa et longa temporis dimensione a solis motu conficiuntur. Hec supra monstravimus a Claudiano in antro Eternitatis fuisse descripta. De quantitate vero seculi plurimum inter se discrepavere veteres. Dicebant enim aliqui, ut Censorius in libro que De natali die scripsit ad Cerellum, ab his potissime, qui rituales Etruscorum sequebantur, hoc modo descripta secula, ut aliquo superum scilicet ostento initiaretur seculum, eo quod usque protenderetur, donec aliud superveniret ostentum, quod finis esset preteriti et sequentis initium, et sic non certo aut determinato annorum numero constare videbatur seculum, quin imo aliquando | longum et nonnunquam breve contingere. Post hec

ostendit alios aliter arbitrari, dicentes id temporis spatium esse quod efflueret inter unam celebrationem ludorum secularium et alteram subsequentem, ex quo etiam temporis inequalitas sequeretur permaxima. Postremo, multis recitatis opinionibus, 5 dicit, civile Romanorum seculum centum annis solaribus terminari. Quod ego memini sepissime a venerabili Andalo eodem finiri spatio. Erant insuper qui vellent idem esse seculum et etatem, quod non est verum, esto aliquando improprie scribant veteres seculum pro etate. Etas enim, si eo modo sumpserimus 10 quo sanctorum describunt lictere, ac etiam poetarum, multa in se continet secula. Quod vero sub Jovis pedibus secula designentur, puto fieri, ut intelligamus solius veri Dei imperio tempora labi, eique soli diurnitatem cognitam eorundem, et que in eis futura sint. Nec ab hoc discrepat Claudiani descriptio, qui illa dixit in antro Eternitatis manere, cum in ipsa 15 trinitate personarum et unica deitate tantum consistat eternitas, et sic quicquid in eternitate consistit in Deo sit necesse est.

CAP. VI

De Phaetusa et Salempetii III^a et IIII^a filiabus solis.

20 Phaetusa et Salempetii nynphe sicule, filie fuere Solis et Neere, ut in Odissea scribit Omerus dicens, has in Sycilia Solis servare greges, a quibus Ulixes a Cyrce prohibitus est. Circa quam prohibitionem talis ab Omero fabula recitatur. Quod cum venisset ab Inferis rediturus in patriam, a Cyrce premonitus est, quod postquam cum sociis ultra Scyllam et Caribdim 25 in Syciliam devenisset, et comperisset greges Solis servari a Phaetusa et Salempetii filiabus suis, ab eis omnino cum sociis abstineret, nam si quis ex eis comederet, occideretur; ad quos cum postergatis aliis periculis fessus cum sociis devenisset 30 Ulixes, factum est ut ibidem Euriloci consilio pernoctarent, sed mane mutatis ventis abire nequivere et cum ibidem longius credito detinerentur, impellente ciborum penuria, dormiente Ulixē et Euriloco suadente, a sociis Ulixis in greges

itum est, et ex eis sedata fames. Verum eis discedentibus
 gravi agitati tempestate, ad ultimum a Jove fulminati periere
 omnes, Ulixē excepto, qui ex gregibus non gustarat. Huic
 fabule talis potest sensus exhiberi. Calor et humiditas, id est
 Sol et Neera, que nynpha est, silvas et pascua gignunt, que
 5
 due sunt nynphe Solis et Neere filie, harum altera prestat
 umbras, altera vero (gregibus) victum, et sic servantes sunt
 greges Solis, qui ex omni vivente conficiuntur anima vegeta-
 4^r b
 tiva scilicet et sensitiva, opere enim suo nascuntur, et tegmine
 atque victu predictarum custodum servantur. Esse tamen hos
 10
 greges in Sycilia dicit Omerus, non quod alibi non sint, sed
 ibidem ob ingentem rerum habundantiam et celi temperiem
 plus vigoris videantur habere delicie, que ob corruptos loci
 mores etiam magis quam alibi pestifere sunt. Ab his omnis
 rationalis anima prohibetur, sane tamen ne eis immoderate
 15
 fruatur, ne in mortem deveniat, aut vitam que sit morte de-
 terior. Quod totiens contingit, quotiens habenis appetitui datis
 in lascivias mergimur, quod iam apud Syculos fecere plurimi,
 qui enerves facti post gustatas delicias non sufficere laboribus.
 Verum Eurilocus, id est blanda sensualitatis persuasio, dor-
 20
 miente Ulixē, id est rationis robore, avidos sensus in greges,
 id est in delicias immittit, ex quo libidinibus soluti maris
 fluctuantis, id est mundi huius labores ferre nequivere, et sic
 Jovis fulmine, id est iusto Dei iudicio, in mare deieci periere,
 id est in amaritudines et miserias mortalis vite anxii et in-
 25
 cogniti defecere. Vel quod forsā contigisse potuit, cum in
 Syciliam devenisset Ulixes et ibidem ab adverso detineretur
 tempore, eo non curante, adeo socii eius cibo potuque et mu-
 lieribus soluti sunt, ut reintrantes mare oportuna negligenter,
 et sic naufragium facerent. Quod non solo Ulixis contigisse
 30
 legimus, quin imo et Hannibali Peno strenuissimo bellorum
 duci, qui cum in hyberna Capuam deduxisset eos, quos nec
 itinerum longitudo, nec nationum variarum barbaries, non
 fluminum vertiginosi gurgites, non ventorum vehementia, nec
 nivium rigor, nec Alpestrium viarum asperitas, non fames,
 35
 non discrimina mille, non arma Romanorum eo usque cuncta

vincentia superasse potuerant, a Campana libidine adeo superatos invenit, ut quos duros acresque sub autumnii fine in Capuam deduxisset, enerves effeminatosque veris initio vix posset in castra compellere, et quos semper viderat ante victores, victos post atque fugatos sepiissime deploraret.

CAP. VII

De Dyrce solis V^a filia et Lyci regis coniuge.

Dyrces Solis fuit filia, et Lyci regis Thebarum coniunx. In quam sicuti in ceteras Solis filias Venerem sevisse dicit Fulgentius. De qua talis fertur hystoria. Stuprata per vim Anthiopa, Nicteti regis filia, ab Epapho, ut placet Lactantio, seu a Jove, ut plures videntur arbitrari, a Lyco Thebarum rege marito suo abdicata est, et super inducta Dyrces. Que illico suspicata, ne forte Lycus Anthiopam in suam revocaret gratiam et sic, ea reassumpta, dimitteretur ipsa, impetravit a viro ut posset illam in vinculis detinere. Que cum ex Jove prolem geminam | suscepisset, partus adveniente tempore, ab eo vinculis liberata est, et clam in Cytheronem montem aufugit, ibique peperit Anphyonem et Zetum, quos expositos pastor quidam pro suis aluit. Qui cum adolevissent, a matre cogniti, et sui generis certiores facti, facile in Dyrцем irritati sunt, et in matris ultionem surgentes Lycum occiderunt regem, et Dyrцем tauro indomito alligarunt, qui dum eam traheret, misera deorum auxilium imploravit, quorum subsidio in fontem sui nominis haud longe a Thebis mutata est, et sic Veneris satiavit iram. Quod autem in hac hystoria fabulosum est, explicabitur facile. Anthiopam a Jove tempore partus liberatam a carcere dicit Theodontius ideo fictum, quia cum videretur Dyrci ob tumidum Anthiope uterum satis sui adulterii testimonium apparere, et ob id eam viro arbitraretur odiosam merito, ultro eam reliquit. Dyrцем autem mutatam in fontem satis comprehendi potest, tam ob perditum regnum quam ob supplicii illati penam, eam in multas solutam lacrimas. Fuisse

autem Solis filiam ideo dictum, quia aut sic de facto fuit, eam alicuius insignis viri sic nominati fuisse filiam, aut ob insignem eius pulchritudinem solis filiam vocitatum.

CAP. VIII

De Mileto Solis VI^o filio, qui genuit Caunum et Biblidem.

5

Miletus, ut testatur Ovidius, Solis fuit filius. Theodontius autem dicit istum Solis Rhodii filium et Pasyphis fuisse fratrem. Hunc tamen in Mynoem senem volentem insurgere bello, perterruit Juppiter, quam ob causam in Lesbon abiit, et ibi civitatem, quam Militenem ex suo nomine dixit, construxit, 10
verum postea immutatis licteris ex Militene Mitilena dicta est. Post hec cum Cyane nynpha Meandri fluminis filia se immiscuit, et ex ea suscepit filios duos, Caunum scilicet et Biblidem.

CAP. IX

De Cauno et Biblide < filiis > Mileti.

15

Caunus et Biblis filii fuerunt Mileti ex Cyane nynpha suscepti, ut testatur Ovidius dicens: Hic tibi, dum sequitur patrie curvamina ripe, Filia Menandri totiens redeuntis eadem Cognita Cyane, prestanti corpore nynpha Biblida cum Cauno prolem est enixa gemellam etc. Et quia nil preter commune 20
ambobus de eis legi, de ambobus scribere invicem visum est. Legitur ergo Caunum speciosissimum fuisse iuvenem, et a Biblide sorore infausto amore dilectum, Venere in prolem Solis irata agente. Sane cum Biblis fratri flammas execrande
41 d libidi|nis detexisset, ipse aspernatus detestabilem sororis con- 25
cupiscentiam, fugam sumpsit. Inque peregrina ponit nova menia terra. Infelix autem Biblis confestim secuta est eum, et postquam Caryam Lyciamque et Lelegas peragravit, labore atque dolore victa consedit, et spreta sese dedit in lacrimas. Ex quo factum est ut in fontem Nayadum beneficio misera 30

verteretur, ut dicit Ovidius: Sic lacrimis consumpta suis Phebeia Biblis Vertitur in fontem, qui nunc quoque vallibus illis Nomen habet domine, nigraque sub ilice manat etc. Figmentum autem satis patet, quia a fletu continuo fons lacrimis manans
 5 visa est.

CAP. X

De Pasyphe VII^a solis filia et Mynois coniuge.

Pasiphes Solis fuit filia, ut Senece tragici percipitur carmine aientis in tragedia Ypoliti: Quid ille rebus lumen infundens suum Matris parens ecc. Verba quidem nutricis sunt loquentis ad insanam amore Ypoliti Phedram Pasiphis filiam. Theodontius autem dicit eam non fuisse filiam Solis Yperionis, sed Rodii. Fuit hec Mynois Cretensis regis coniunx, et vacante Mynoe bello adversus Megarenses et Athenienses ob occisum
 10 Androgeum filium, ab irata Venere in sobolem Solis, infausti amoris flammas suscepit amavitque speciosissimum taurum, in cuius concubitu Dedali artificio venisse dicitur, et ex eo suscepit quem medium hominem mediumque taurum peperit. Alii vero aliam amoris huius causam describunt, aientes, quod
 20 cum orasset Mynos in bellum progressurus patrem, ut dignam se sacrificaturo sibi prepararet hostiam, uestigio illi preparatus est taurus, formositate cuius captus Mynos illum armentis suis ducem prefecit, alio consecrato; ex quo iratus Juppiter egit ut, illo absente, reservatus deligeretur a coniuge, et hinc volunt
 25 Mynoem, ob commissum facinus, non ausum in coniugem sevire. Quod autem Pasiphes filia hominis ex tauro conceperit, vult Servius Taurum hunc scribam Mynois fuisse sic nominatum, eumque in domo Dedali cum Pasyphe coisse et filium ex ea suscepisse, et tandem geminos peperisse, quorum alterum ex Mynoe conceptum notis apparebat, alterum vero
 30 ex Tauro eque indicantibus signis, et cum de secundo non esset certa fides, nomine ad utrumque spectante parentem Mynotauro scilicet imposito, enutritus est. Ego autem longe

altiorem sensum hac sub fabula tegi reor. Existimo quidem
 voluisse veteres ostendere qualiter vitium bestialitatis causa-
 retur in nobis hac ratione. Pasiphem spetiosissimam feminam
 et Solis filiam credo animam nostram veri Solis, id est Dei
 omnipotentis, a quo creata est, filiam omni pulchritudine inno- 5
 centie splendidam. Hec coniunx efficitur Minois regis et legum
 latoris, id est rationi humane iungitur, que suis legibus eam
 habet regere atque in rectum iter dirigere. Huic inimicatur
 Venus, id est appetitus concupiscibilis, qui sensualitati adhe- 10
 rens semper rationis est hostis; cui si adheserit anima, a ratione
 separetur necesse est, a qua semota, facile a blanditiis et sua-
 sionibus carnis se trahi permittit et sic precipitem se fert in
 concupiscentiam tauri a Jove dati, ut sibi ex eo Minos sacrum
 conficiat. Quem ego taurum sentio mundi huius delicias prima 15
 facie pulchras et delectabiles a Deo rationi concessas, ut ex
 eius moderamine certo vite nostre oportuna ministret; nam
 dum his debite utimur, rite ex eis Deo sacrum conficimus;
 sane dum eis iudicium sensualitatis sequentes abutimur aut
 abuti desideramus, in bestialem concupiscentiam devenimus, 20
 et tauro tunc obscene anima iungitur in lignea vacca, dum
 artificio ingenii nostri naturalibus preter nature leges innitimur.
 Et sic ex appetitu illecebri et adoptione nepharie voluptatis
 causatur et nascitur Minotaurus, id est bestialitatis vitium.
 Huius autem Minotauri, hominis et tauri formam esse finxere, 25
 eo quod tali vitio laborantes intuitu primo videntur homines,
 si opera autem prospectemus et abscondita introrsum desideria,
 tales esse bestias cognoscemus. Clauditur hic laberinto carceri
 circumitionum plurium implicito, et hoc ideo, quia fortissimum
 atque ferocissimum et furiosum esset animal, in quo ostenditur 30
 eum humano pectori, infandis desideriis intricato. Et quod eo
 impellente fortem atque inmanem prestemus animum, dum
 infaustum aliquid audemus, quod nisi pro voto perficiamus,
 confestim in furiam declinamus. Hic insuper a Theseo ab
 Adriana predocto occiditur, id est a prudenti viro cui virilitas, 35
 quam per Adrianam accipio, eo quod andres grece, vir sonet
 latine, ostendit detestabile tam scelesto vitio subiacere et quibus
 armis etiam conficiendum sit.

CAP. XI

De Oeta Colcorum rege Solis figlio VIII^o, qui genuit Medeam et Absyrthium et Calciopem.

Oeta Colcorum rex, ut Omerus in Odissea testatur, Solis 42 a
 5 fuit filius et Perse filie Oceani. Tullius autem ubi De naturis
 deorum, eum ex Asterie sorore Latone susceptum dicit, quam
 Asteriem videtur idem Tullius dicere ab eo occisam; dicit
 enim sic: Quid Medee respondebis, que duobus avis Sole et
 Oceano, et patre matricida procreata est? etc. Hunc clarum
 10 ea tempestate fuisse regem testatur antiquitas cum permaxi-
 mum illi regnum fuisse describat Seneca tragicus in tragedia
 Medee. Ad hunc novercales insidias fugiens devenit Frixus,
 (Athamantis) filius, cum aureo vellere, quod sibi fatale ab
 oraculo sentiens Oeta diligentissime servabat, ne eo perduto
 15 privaretur regno; qui tamen a Jasone spoliatus est et regno
 pulsus. Verum iam senex ab eodem in regnum reductus est.
 Dicit Theodontius hunc Oetam non fuisse filium Solis Ype-
 rionis, sed eius qui apud Colcos maximus fuit, et regnavit
 ibidem.

CAP. XII

De Medea Oete regis filia et JASONIS coniuge.

Medea Oete regis fuit filia ex Ipsea coniuge, ut satis patet
 per Ovidii carmen dicentis: Non erat Oetes ad quem despecta
 rediret, Non Ipsea parens etc. Huius Medee grandis recitatur
 25 hystoria quandoque fabulis mixta. Aiunt enim ante alia, quod
 ex Apollonio sumptum est, qui De argonautis librum scripsit,
 Jasonem a Pelia patruo missum Colcos venisse, et comiter ab
 Oeta susceptum Medee virgini placuisse, in quam Venus irata
 uti in ceteram Solis prolem; omnes a filio amatorias inici flam-
 30 mas fecit. Que amans cum pericula nosceret dilecti iuvenis
 euntis ad vellus aureum assumendum, miserta eius, habita

sui coniugii sponsione, eum docuit, quo pacto illud absque
 periculo posset surripere, eoque surrepto una secum fugam
 arripuit, traxitque fuge comitem Absyrtium seu Egyaleum
 parvulum fratrem. Quos cum sequeretur Oeta, ut eis spatium
 fuge prestaretur, in insula, que in faucibus Phasis a scelere ab 5
 ea perpetrato Thomithania, exilio Ovidii Nasonis postea no-
 bilitata, per quam aporterat Oetam sequentem transitum facere
 puerum Absyrtium obruncavit, articulatimque divisum passim
 per agros disiecit, ut patrem sisteret ad colligenda filii membra.
 Nec premeditatio fefellit infaustam, nam sic factum est; dum 10
 42 b que orbatus pater flens mem|bra colligit nati, et funeralia pera-
 git, abiit illa cum raptore. Et post longas, secundum quosdam,
 circumitiones in Thesaliam devenit, ubi precibus Jasonis En-
 sonem patrem annositate decrepitum in robustiorem retraxit
 etatem. Et cum Jasoni duos filios peperisset, in Pelye mortem 15
 sua fraude natas armavit. Tandem quacunq̄ue ex causa factum
 sit a Jasone abdicata est, et Creusa Creontis regis Corinthio-
 rum filia desponsata. Quod cum egerrime ferret, excogitata
 malitia, filios suos, quasi ad placandam sibi novercam, cum
 donis in scrineolo clausis misit, quod a Creusa non ante aper- 20
 tum est, quam per omnem regiam flamma evolaverit ingens, a
 qua cum ipsa Creusa regia omnis exusta est; cum iam pueri
 premoniti evasissent. Verum cum in eam iratus Jason irruisset,
 sumpturus ex tam impio facinore penas, eo vidente trux femina
 filios trucidavit innocuos et maleficiis suis sublata Athenas abiit, 25
 ubi Egeo iam senescenti coniugio iuncta, peperit ei filium quem
 a se Medum vocavit. Sane cum Theseo redeunti ex longinqua
 atque diutina expeditione, ab Egeo incognito, per eiusdem
 manus venenatum parasset poculum, et illud idem ab Egeo
 filio iam cognito sublatum vidisset, fuga Thesei evitavit iram. 30
 Et tandem nescio quo pacto Jasoni reconciliata, una secum in
 Colcos rediit, patremque senem et exulem Jasonis viribus in
 regnum restituit. Esto Gaius Celius, ut ubi De mirabilibus
 mundi refert Solinus, dicat eam a Jasone Bitrote sepultam, et
 Medum eius filium imperasse Marsis populis Ytalis. His ergo 35
 ornata facinoribus Medea locum apud Græcos primo, qui melius

eam cognovisse debuerant, deinde apud Romanos comperit, ut pro dea susciperetur atque sacris honoraretur ab eis, ut liquido testatur Macrobius. Que autem huius in hystoria fictiones in-
 5 texte sunt, ubi de Ensona et Pelya et Jasone scribetur; quoniam ad eos spectare videntur, passim, ubi oportunum videbitur, aperientur.

CAP. XIII

De Absyrthio et Calciope filiis Oete.

Absyrthius et Calciopes frater et soror filii fuerunt Oete regis Colcorum. Nam de Absyrthio testatur Tullius in libro De naturis deorum dicens: Quid huius (scilicet Medee) Absyrthio fratri, qui est apud Pacuvium Egylaus etc. De Calciope autem dicit Ovidius in Epistulis: | Non erat Oetes ad quem despecta rediret Non Ipsea parens Calciopesque soror etc. De hac Calciope nil aliud repperi, nisi quod coniunx fuerit Frisi eique peperit Cycorum filium. De Absyrthio autem seu Egylao iam supra dictum qualiter a sorore sit cesus; a quo sunt qui dicant flumen illud Colcorum Absyrthium de pueri nomine nuncupatum. 42 c

20

CAP. XIV

De Cyrce Solis filia.

Cyrce malefica mulier, ut Omerus testatur in Odissea, filia fuit Solis et Perse; quo autem pacto Colcos liquerit et in Ytaliam venerit nusquam legi. Constat tamen eam habitasse
 25 haud longe a Caieta Campanie civitate, in quodam monte olim insula, qui Cyrceus ab ea in hodiernum usque diem dictus est. Circa quem adhuc aiunt incole rugire leones ferasque alias, quas ex hominibus cantato carmine fecit. De hac autem sic scribit Virgilius: Dives inaccessos ubi Solis filia lucos
 30 Assiduo resonat cantu, tectisque superbis Urit odoratam no-

cturna in lumina cedrum, Arguto tenues percurrens pectine telas. Hinc exaudiri gemitus ireque leonum Vincla recusantum et sera sub nocte rudentum Setigerique sues atque in presepibus ursi Sevire ac forme magnorum ululare luporum. Quos hominum ex facie dea seva potentibus herbis Induerat Cyrce in vultus ac terga ferarum etc. Omerus autem in Odissea dicit Ulixem errantem cum sociis ad hanc devenisse et cum socios eius omnes mutasset in feras, eum a Mercurio predoctum mutare non potuisse, quin imo ab eo exterrita socios eius omnes in homines reformasse, eumque per annum ibidem tenuisse ac peperisse ei Thelegonum filium, et nonnulli superaddunt, Latinum Laurentum postea regem, et demum eum predoctum multis dimisisse. Refert preterea de hac Ovidius, quod amaverit Glaucum marinum deum, et quoniam ipse Scillam nynpham amaret, zelo percitam, fontem in quo nynpha lavari consueverat, infecisse venenis. Quam ob rem dum illum intrasset nynpha, repente a marinis canibus usque ad inguina absorpta in marinum monstrum versa est. Insuper dicit quod a Pyco rege spreto eo quod Pomonam amaret, eum in avem sui nominis transformasset. Nunc autem quid sub his fictionibus sentiendum sit, videamus. Theodontius harum rerum solertissimus indagator dicit hanc Solis Yperionis filiam non fuisse, sed eius qui apud Colcos regnasse creditur, sed ideo huius credita, quia, ut dicit Servius, formosissima fuit mulier et meretrix famosa, quod contigisse fingunt ob Veneris odium in prolem Solis, | de quo odio infra patebit, ubi de Venere. Audiri feras mugientes in circumitu montis est, quia dum inter ingentia atque prerupta saxa, rupes et cavernas, quarum mons circumdatus est, maris unde ventorum impetu efferuntur, et demum retrahuntur, et supervenientibus illiduntur, et hinc inde franguntur, fit de necessitate rumor dissonus, et nunc mugitui nunc rugitui similis, et hinc se fingunt audire leones aprosque. Quod autem herbis aut cantato carmine in beluas homines transformaret, hoc videtur a multis concedi possibile magicis illusionibus, dum Pharaonis magos ea suis artibus fecisse credimus, que faciebat Moyses virtute divina, dum

homines in Arcadia lupos fieri, dum Apuleium in asinum permutatum. Sed ego potius credo hanc formositate sua multos in dilectionem sui traxisse mortales, qui sese ut eius mererentur gratiam, que meretricum absque pecunia consequi non potest, illecebris variis ut dona portarent miscuisse, et sic eas induisse formas, que officiis congruebant, quas Ulixes, id est prudens homo, non induit. Hanc post hec amasse Glaucum ideo dictum puto, quia, secundum quod aliquibus placet et potissime Leontio, Glaucus idem sonat quod terror, et quoniam terribile sit audire mugitus aquarum circa Cyrceum, ut supra dictum est, et ipse terror ibidem consistat, assidue videtur a Cyrce, id est a loco illo Cyrces amari. Quod autem Glaucus amaverit Scyllam ob eadem causam dictum est, eo quod apud Scyllam idem a mugitu maris sit terror assiduus, et sic cum ibi moretur, assidue videtur Scyllam diligere. Quod Scylla infectis aquis a marinis canibus usque ad inguina rapta sit, ab effectu sumpsit fictio causam. Est enim Scylla scopulus secus fretum Syculum aquis supereminens adeo ut medius aquas exire videatur, et ab aquis medius occupari, et cum totus sit preruptus et cavernosus et ibi continue maximo cum impetu mare fluat et refluat, dum cavernas illas intrat et demum se retrahit, ad instar canum latrantium sonum emittit, et sic scopulus a marinis canibus rapi dicitur. Que autem ad Pycum spectant, in sequentibus scribentur, ubi de Pyco. Ego autem Cyrceem hanc Oete fuisse sororem non credo, cum diu ante Troianum bellum Colchida fuerit Cyrces; hec autem contemporanea, sed convenientia nominum et forsitan artium ex duabus unam fecisse potuerunt.

CAP. XV

De Angitia Solis filia.

Angitiam seu Angeoniam Theodontius dicit Cyrcis fuisse sororem et Solis filiam et haud longe ab ea in agro Campano moratam, sed melioribus artibus operatam. De qua, non in omnibus cum eo concordans, Gaius Celiuss assersit eam Cyrcis

43 a fuisse sororem et vicinia Fucini lacus occupasse, et ibidem salubri scentia adversus morbos incolis deservisse; | quam ob rem diem claudens dea ab eisdem habita est. Macrobius autem in Saturnaliorum libro hanc Angeroniam deam vocat, dicitque illi apud Romanos XII Kal. ianuaras ferias celebrari, eique a pontificibus in sacello Valupie sacrum fieri. Verrius autem Flaccus idio dicit eam Angeroniam apellari, quod angores ac sollicitudines animorum propitiata depellat. Addit insuper Masurius simulacrum huius dee ore obligato atque signato in ara Volupie collocatum, ob id quod, qui suos dolores anxietatesque dissimulant, beneficio patientie in maximam oblectationem deveniant. Sane Julius Modestus huic sacrum fieri dicit, eo quod populus Romanus morbi, qui anginia dicitur, voto promisso liberatus sit. Cur autem Solis sit credita aut dicta filia, medendi ars causam dedisse potuit. 5 10 15

CAP. XVI

De Luna Yperionis filia.

Lunam, ut ad Yperionis prolem redeam, eiusdem Yperionis fuisse filiam et Solis sororem vulgatissimum est. De hac veteres multa senserunt. Illi quippe ante alia bigam dixere concessam, eo quod adversus patruos cum Jove sensisset, eaque curru uti testatur Accius poeta in Baccis, dicens: Almaque curru Noctivago Phebe etc. Et Virgilius; Jamque dies celo concesserat almaque curru Noctivago Phebe medium pulsabat Olympum etc. Hanc bigam dicit Ysidoros ubi de Ethymologiis a duobus equis trahi, quorum alter albus, alter vero niger est. Eam preterea a Pane Arcadie deo dilectam dicit Nicander poeta, et lane candide munere in suos deduxisse concubitus. Quod et Virgilius in Georgicis asserit, dicens: Munere sic niveo lane, si credere dignum est, Pan deus Arcadie captam te, Luna, fefellit 20 25 30
In nemora alta vocans, nec tu aspernata vocantem etc. Insuper et eam dilectam aiunt ab Endimione pastore, quem dicunt primo ab ea repulsum, demum postquam aliquandiu albos

suos pavisset greges, in suam gratiam susceptum. Dicit tamen
 Tullius eum in Lamio seu Latinio Yonie monte obdormuisse
 et in somnis a Luna deosculatum. Sunt et qui illi filios tribuant.
 Nam Alcyna, lyricus poeta, dicit rorem ab ea et Aere genitum.
 5 Similiter eam multis vocant nominibus, ut puta: Lunam, He-
 catem, Lucinam, Dianam, Proserpinam, Triviam, Argenteam,
 Phebem, Cererem, Arthemim, Menam et aliis. Sed quid ex
 his tot intellexerint advertendum. Cur Yperionis dicta sit filia,
 dici potest id quod de Sole dictum est. Puto ego illam cla-
 10 ritate insignem | fuisse mulierem, et ob eius singularem pre-
 minentiam, et quia Solis esset soror, Lunam denominatam
 fuisse; ad quam sequentia non expectant, quin imo ad veram
 lunam. Et ideo quod adversus Tytanos Jovi faverit, id est
 adversus superbos, ob eius complexionem frigidam et humidam
 15 dictum est, qua multum fumositates hominum reprimuntur.
 Biga autem uti dicitur, ad designandum cursum suum diurnum
 et nocturnum, quem longe clarius equorum colores ostendunt;
 preterea et humiditate sua germinantia fovet desuper et de-
 subter adiuventum radicibus infert. Quod autem ab Arcade
 20 deo delecta sit, poterit forsitan hic talis prestari sensus, ut pro
 Arcade deo summatur quicumque pastor. Erant enim Arcades
 ut plurimum pastores omnes, pastores autem Lunam amant,
 id est eius lumen, eo quod ex illo commodum suscipiant, et
 ob id eam in silvis votis vocare consueverant, ut suos greges
 25 per noctem ab insidiis ferarum facilius caverent, et ob id dum
 fulgida veniebat, ei in sacris agnam mactabant candidam, et
 sic albo vellere captam dicebant. Quod autem ab Endimione
 dilecta sit, dicit Fulgentius hoc posse contegere, quod Endi-
 mion pastor fuerit, qui uti pastores faciunt, noctis humorem
 30 amavit, quem vapore syderum atque ipsius lune in animandis
 herbarum succis insudant, et inde in pastorum commoda ver-
 titur. Vel aliter. Ait idem Fulgentius, quod is Endimion primus
 rationem cursus lune invenerit et obdormisse XXX annis di-
 citur, quia stultorum iudicio meditationi vacantes dormiunt,
 35 id est tempus perdunt. Seu qui meditationibus deditus est, pro-
 fecto non aliter quam si dormiret, immiscetur activis operibus.

quod de Endimione dictum est, quia nil aliud eo vivente, nisi
 huic meditationi operam dare peregit, uti Minastas, in eo libro
 quem de Europa scripsit, testatur. Quod ego verum puto, nec
 sit qui longum temporis miretur spatium, cum circa lune cursum
 plurima veniant consideranda, ut ostendit venerabilis Andalo 5
 in sua Theorica planetarum. Sed quod albos ante greges pa-
 verit, ideo appositum credo, ut loci sue meditationis qualitas
 ostendatur, qui in culmine montis illius fuit quod sibi elegit,
 ut posset libere elevationes assumere tanquam ex expedito
 loco, et montium culmina et potissime celsa ut plurimum con- 10
 sueverunt esse nivosa, quas nives quia diu observavit, pastor
 43 c nivei pecoris dictus est. Quod autem a luna deoscu|latus sit,
 ideo fictum reor, quia sicut amantes puellam amoris munus
 osculum arbitrantur, sic et longe huius meditationis munus
 fuisse lune comperisse cursum, et sic sui amoris videtur oscu- 15
 lum suscepisse. Superest de nominibus videre. Lunam a lu-
 cendo dictam volunt, et maxime dum lucet in sero, cum dum
 mane luceat velint appellari Dianam. Hecates autem ideo
 dicta est, quia centum interpretatur, in quo numero quasi finitum
 pro infinito positum sit, volunt multipliciter eius potentie 20
 denotari. Triviam nonnulli, esto Seneca poeta triformem dicat
 in tragedia Ypoliti, a triplici suo nomine principali dictam
 volunt; vocatur enim Luna, Diana et Proserpina. Dicunt eam
 etiam vocari Lucinam ut in Odis Oratius: Te Lucinam probas
 vocari etc. quam parturientium deam vocant, et cur sic dicta 25
 sit, paulo post dicitur. Argenteam autem ob id dicunt, quia
 suum sit argentum in terris procreare, seu quia solis respectu,
 qui aureus est, videatur argentea. Phebeam autem ideo voca-
 vere, quia sepe nova sit. Arthemia seu Arnothemis attica lingua
 idem est quod luna, ideo sic dicta, ut refert Macrobius, quia 30
 arthemis quasi arnothemis, id est aerem secans. Luna a par-
 turientibus invocatur, quia proprium eius est descendere rimas
 corporis et meatibus viam dare, quod est ad accelerandos
 partus salutare, ut poeta Thymotheus eleganter expressit. Mena
 vero dicta est quia non nunquam defectus patitur, ut puta in 35
 eclipsis et inde Mena, quod latine defectum sonat, seu quia

naturaliter luce careat et quos habet radios mutuetur a sole, uti cetera faciunt sydera. Reliqua autem nomina, quoniam ad alias pertinent deas, de quibus singularis in hoc opere mentio fit, ex consulto donec de illis tractetur omisi.

CAP. XVII

De Rore filio Lune.

Rorem Alcina lyricus poeta Lune atque Aeris fuisse filium dicit, teste Macrobio. Quod quidem figmentum a natura sumptum est, agente quidem luna vapores terre humidos nequeunt, absente sole, consurgere altius, frigiditate aeris et lune alterati
 10 vertuntur in tenuem aquam, que decidens ros estivo tempore appellatur, hyeme vero condensati gelu bruma dicitur.

CAP. XVIII

De Bryareo Tytanis filio.

Bryareus ab omnibus creditus est Tytanis et Terre filius, quem omnes fere Latini poete hostem Jovis infestissimum contemptoremque deorum asserunt, et ob id apud Inferos detru-
 sum volunt, eumque | inter monstrosos in vestibulo inferni ex- 43 d
 cubias agere scribit Virgilius, dicens: Et centumgeminus Briareus et belua Lerne etc. Sane Omerus eum amicum fuisse Iovis ostendit in Yliade, dicens: Ὀχ' ἐκατόγχειρον καλειον σοεσμακόν Ὀλυμπον, Ὀν Βριάρεων καλεύσῃ θεοὶ ἄνδρες δὲ τε πάντες Αἰγαίων ὃ γὰρ ἄντε ο πατρός ἀμεινων. [Que latine sonant], Cito Centimanum vocasti in magnum Olympum, Quem Briareum vocant
 20 dii hominesque Terrigenam post eius patrem meliorem. In quibus carminibus Omerus perfunctorie tangit fabulam, quam Theodontius paulo latius refert dicens, quod commoti dii, adversum Jovem, Juno scilicet et Neptunnus una cum Pallade et aliquibus aliis, in domo Nerei patris Thetidis deliberaverunt catenam fa-
 25 cere, et dormienti Jovi iniicere, et invicem trahentes omnes eum
 30

e celo eicere, quod Thetis Jovi retulit, et ob id ipse in favorem suum in celum Briareum evocavit. Quem cum vidissent coniurati eo quod fortissimus extimaretur, confertim a ceptis destitere et sic tutatus est Juppiter; ex quibus patet Briareum amicum fuisse Jovis. Huius autem fabule volens Leontius aperire sensum, aiebat arte resolutionem Chaos inferiora elementa cum superis discordare et humoris opera inisse concordiam, et alia quedam plura ridenda potius quam scribenda. Theodontius autem dicit sub hac fabula tenui velo hystoriam tegi. Dicit enim Jovem post victoriam ex Tytanis atque Gigantibus habitam adeo elatum, ut importabilis efficeretur amicis, quam ob causam Juno coniunx eius et Neptunus frater clam apud insulam Nerithos convocatis quibusdam ex amicis inivere consilium, ut eum nil tale timentem e regno pellerent; quod cum illi revelatum esset a nauta conscio, Briareum ex Tytanis superstitem unum et potentissimum adhuc hominem, seu potius Briarei Tytanis filium eodem nomine nuncupatum evocavit, et cum eo inito societatis federe coniuratos exterruit adeo, ut in eum nil penitus auderent. Dictus est enim Briareus Centumgeminus, quia multis preesset hominibus, et ponitur finitum pro infinito. Apud Inferos autem non in civitate Ditis detrusus est, ut reliqui sunt, quia adhuc in adiutorium servaretur Superum, ut intelligamus non esse aliquos quantumcunque perversos, quin ad meliorem vitam serventur a deo, cum ab eodem eorum futura conversio cognoscatur.

CAP. XIX

De Ceo Tytanis III^o filio, qui genuit Latonam et Asterien.

44 a Ceum inter alios Tytanis filios enumerat Paulus et eius matrem fuisse Terram ostendit Virgilius | ubi dicit: Extremam, ut perhibent, Ceo Encheladoque sororem etc. Leontius dicit hunc Cee insule fuisse potentissimum regem, et extreme ferocitatis hominem atque superbie, ob quam cum antiquior fuerit Tytano, inter eius numeratur filios. Fuit enim Latone 30

et Asterie spectabilium pulchritudine virginum pater; dicebatque Paulus pro eo, quod Juppiter Latonam vitiasset, Tytanorum bellum adversus Jovem motum, sed falsum est, ut supra demonstravimus, ex his que in sacra leguntur hystoria.

5

CAP. XX

De Latona <Ceï> filia, que peperit Apollinem et <Dianam>.

Latonam filiam fuisse Ceï ex Ovidii carmine sumitur Dicit enim: Nescio quo audetis genitam Tytanida Ceo Latonam preferre michi etc. Hanc autem veteres a Jove dilectam pariter et oppressam volunt, eamque ex eo geminam suscepisse prolem, Apollinem scilicet et Dianam, quod aiunt adeo egre tulisse Junonem, ut non solum omnem terram ad onus uteri deponendum interdiceret illi, verum et inmitteret Phytonem ingentis magnitudinis serpentem ad eam fugandam atque impediendam. Que cum pavescens fugeret, neque locum aliquem retinentem se inveniret, propinquans Ortygie insule ab ea suscepta est, et in eadem peperit primo Dianam, que evestigio obstetricatus officium in nascituro fratre matri prestitit, et Apollinem nascentem suscepit, qui mox sagittis Phytonem interemit et dare cepit responsa petentibus. Preterea ob hunc partum dicunt nomen immutatum insule, nam cum primo diceretur Orthygia, Delos postea dicta est. Dicunt insuper deferentem Latonam parvulos adhuc filios per Lyciam, dum ob estum siti laboraret, accessisse ad lacum quendam, ut biberet, quam cum vidissent circumstantes rustici, confestim lacum pedibus intrasse et omnem turbasse aquam, ex quo commotam Latonam orasse ut exterminarentur; quam ob rem rustici repente in ranas mutati locum semper incoluere. Circa has fictiones dicebat Barlaam cessante diluvio, quod Ogygii regis fuit tempore, ex humiditate terre nimia, cui calor erat immixtus, tam densas exalasse nebulas, ut apud plura loca Egei maris et Achaye nullo modo solares radii die, nec nocte lunares viderentur ab incolis; tandem eis rarescentibus et potissime apud insulas,

44 b apud quas ratione maris minus poterat exalatio terre contigit,
 ut nocte quadam | circa horam diei proximam a circumstan-
 tibus in insula Ortygie primo viderentur lunares radii et subse-
 quenter mane solares, quam ob rem maximo omnium gaudio,
 quasi reacquisissent quos perditos iam arbitrabantur, dictum 5
 est apud Ortygiam Dianam et Apollinem natos, et ob id insule
 mutatum nomen, et ex Ortygia Delos, quod idem sonat quod
 manifestatio, appellata est, eo quod ibi primo manifestatio solis
 et lune facta sit. Latonam autem eam ipsam insulam voluere
 fingentes, in qua manifestatio facta, eamque feminam precipue 10
 assumpsere ad figmentum conficiendum, quia contigerat eam
 geminos peperisse, quorum masculum Apollinem, feminam
 autem Dianam nuncupaverant. Phytonem autem Latonam in-
 sequentem ne posset parere, nebulas densas surgentium vapo-
 rum voluere, que quidem obstabant, ne possent solares atque 15
 lunares radii a mortalibus intueri, nec incongrue has vocavere
 serpentem; nam dum leves huc illuc a quocunque spiritu im-
 pellerentur, more serpentis serpere videbantur. Et nunc a Ju-
 none ideo missum dixere, eo quod non nunquam pro terra et
 mari intelligatur Juno, a quibus evaporationes ille emitteban- 20
 tur. Dianam autem ideo ante natam dicunt, quia nocte, exte-
 nuatis iam vaporibus, primo lunares apparuere radii. Quod
 autem obstetricatus in nativitate fratris officio functa sit, ideo
 dictum est, quia sicut obstetrices consuevere nascentes susci-
 pere, sic et luna dum paulo ante solem surrexisset, solem 25
 orientem suscipere pansis cornibus visa est. Occisum autem
 Phytonem telis ab Apolline ideo fictum, quia solaribus radiis
 agentibus omnis illa terre evaporatio dissoluta est. Quod autem
 ceperit Apollo dare responsa, sumptum est ab eo quod post
 modum contigit, scilicet ut ea in insula nescio cuius maleficio 30
 demon sub Apollinis titulo cepit, et diu dedit de quesitis re-
 sponsa. Mutatos autem in ranas rustucos ideo dictum est, quia
 ut scribit Phylocorus, bellum fuit Rhodiis olim adversus Licios,
 Rhodiis auxiliares venere Delones, qui cum aqutum ad la-
 cum quendam Lyciorum ivissent, rustici loci incole aquas 35
 prohibuere, in quos Delones irruentes omnes interemere, et

in lacum occisorum corpora eiecere. Tractu tandem temporis cum montani Lycii venissent ad lacum, nec occisorum agrestium corpora comperissent et ranas in circumitu coassantes | sensissent, rudes et ignari arbitrati sunt eas ranas animas esse cesorum, et dum sic referunt aliis, fabule causam adinvenere. 44 c

CAP. XXI

De Asterie filia (Ce) et matre Herculis.

Asteries filia fuit Ce Tytanis, ut Theodontio placet. Hec, ut ait Fulgentius, post viciatam Latonam a Jove dilecta est, a quo verso in aquilam et oppressa fuit; eique eo ex concubitu Herculem peperit; que tandem ut quibusdem placet, adversus Jovem sentiens et eius fugiens iras, miseratione deorum in coturnicem versa est, que grece vocatur ortygia, nomenque dedit insule in quam aufugerat, ubi a Jove in lapidem mutata est, undisque demersa et ab eisdem huc illuc agitata, que tandem ob susceptam Latonam firmata est. Huius fabule talis potest esse ratio. Dicit Theodontius superato atque occiso a Jove Ceo, qui ob viciatam Latonam adversus eum arma moverat, eum in Ceam venisse insulam et ibidem Asteriem virginem Ce filiam oppressisse, tandem ea adversus eum sentiente primo volucris fuga in Ortigiam abiisse, inde vero in Colcos transfretasse, Solique ibi regnanti nupsisse, eique peperisse Oetam a quo postmodum occisa est; seu, ut Barlaam dicit, in partu Oete deficit. Ex quibus fictum ideo est Jovem aquilam secum concubuisse, quia aquila Jovis erat signum dum esset in armis, et quia bello Ceam cepisset, fictum est eum in aquilam versum cum Asterie concubuisse. Quod autem in coturnicem Asteries versa sit, aut ob eius volucrem fugam cum coturnicum sit volare perneciter, aut propter longam eius transfretationem, quod etiam est coturnicum certo anni tempore transfretare. Quod autem in lapidem versa sit, non spectat ad eam, quin imo ad insulam in quam primo aufugit, que Ortygia dicta est, latine vero coturnix, que idio in lapidem versa di-

citur, ut eius nova stabilitas designetur. Ferunt autem Ortygiam insulam solitam una cum undis fluctuare, quod fictum est, quia nimia et crebra terremotuum concussione agitari consueverit. Quam tandem firmatam volunt, id est a concussione liberatam, eo quod ab Apolline responsum sit, ne in ea mortuum corpus sepeliretur et quedam illi insuper celebrarentur sacra, quibus rite celebratis cessavit terremotuum infestatio, et sic facta lapis, id est stabilis. Puto ego repletis cavernis in quibus aer inclusus terremotus causabat, hoc contigisse, eosque illo dyaboli responso deceptos. Superaddunt quidam eidem Ortygie Mycones atque Gyaros insulas adhesisse atque firmasse, quod non sic simpliciter intelligendum est, quin imo ex insulis illis que | illi proxime sunt, Ortygia iam firmata, accessere incole et invicem quam reliquerant habitavere.

CAP. XXII

De Typhone seu Typheo IIII^o Tytanis filio, qui genuit Aeos et Chymeram.

Typhon seu Typheus, Theodontio asserente, Tytani fuit filius ex Terra, esto dicat Lactantius eum ex Tartaro genitum et Terra. Hunc insuper dicit idem Lactantius Jovem in certamen provocasse de regno, quam ob causam iratus Juppiter fulmine eum prostravit et ad eius opprimendam superbiam corpori eius superimposuisse Trinacriam, quod etiam sic testatur Ovidius: Vasta Giganteis iniecta est insula membris Trinacris, et magnis subiectum montibus urget Ethereas ausum sperare Thyphæa sedes. Nititur ille quidem, pugnat quoque surgere sepe, Dextra sed Auxonio manus est subiecta Peloro, Leva, Pachine, tibi: Lylibeo crura premuntur, Degravat Ethna caput, sub quo resupinus harenas Eiectat flammamque ferox vomit ore Typheus. Sepe remoliri luctatur pondere terre, Oppidaque et magnos devolvere corpore montes: Inde tremit tellus etc. Virgilius autem non Ethnam sed Ynarimem illi dicit superiniectum, qui quidem mons est insule vicine Baiis, que hodie Yscla vocatur, haud longe a Prochita insula, et

dicit sic: Tum sonitu Prochita alta tremit durumque cubile
 Ynarime Jovis imperiis imposta Typheo etc. Quod etiam vi-
 detur tenuisse Lucanus dum dicit: Undat apex, Campana fre-
 mens, cui saxa vaporat Conditus Ynarimes eterna mole Ty-
 5 pheus etc. Huic insuper insigne antrum fuisse in Cilicia, haud
 longe a Coryco oppido, dicit Pomponius Mela in suo Cosmo-
 graphie libro, et post eum Solinus De mirabilibus. Nam aiunt
 in monte profundissimam specum per duo milia quingentos
 passus nemorum umbra et rivulorum fluentium tinnitu ame-
 10 nam plurimum. Deinde post tam longum descensum panditur
 specus altera, que in processu iam obscurior habet sacrum
 Jovi fanum, inde in eius extremo recessu Typhonis cubile
 positum incole asseruere. Hec de Typheo. Nunc abscondita
 corticibus evisceranda sunt. Thyphoeum igitur istum Tytanis,
 15 ob elatum eius spiritum, filium dixere, et Terre ob potentiam,
 cum dicat Theodontius eum antiquissimum Cylicie fuisse regem
 et Osyrim fratrem superasse bello atque discerpsisse membra-
 tim, et bellum adversus primum Jovem movisse, sed ab eo
 superatum atque occisum. Verum fictionibus quibus hec hysto-
 20 ria dedisse causam satis apparet, erit explicatio ista. Videntur
 enim in his naturam et causam terremotuum satis convenienter,
 latenter tamen ostendere qui finxere. Dicit enim Papias Typho-
 nem seu Typheum idem sonare quod | flammam eicientem, ut
 per hoc satis videre possimus eos primo exalantem in visceribus
 25 terre clausum ignem ostendere voluisse, in quantum illi super-
 impositos montes a Jove, id est a natura rerum aiunt; in
 quantum autem Typheum se erigere conantem dicunt, terre-
 motuum causam ostendunt. Est enim terra ut plurimum caver-
 nosa, in quibus cavernis ut aer interclusus sit aliquando ne-
 30 cesse est, et ibidem non nunquam contingit per subterraneos
 meatus aquam etiam penetrare, cuius qualicunque motu oportet
 ut aer etiam moveatur, qui motu suo et ob obicibus hinc inde
 percussus et in vehementiorem motum excitatus calefit; eo
 autem calefacto tante potentie efficitur motus eius, ut circuma-
 35 diacentia cuncta concutiat et moveri faciat, et si bithuminosa
 atqui sulphurea terra loco tali propinqua sit, ut accendatur

confestim necesse est, nec extinguitur unquam tali materia perdurante, et cum nequeat ignis teneri clausus, et eo ardente multum augeatur aeris, nec tanti capax sit locus, fit non solum grandis concussio terre adiacentis, sed aperiri cogitur, et exitum prestare accenso igni, qui evaporans Typhonem id est eicentem flammam locum facit. Et cum Sycilia et Ynarimes huiusmodi nature sint, ideo Typhoni superimpositas finxere prudentes. 5

CAP. XXIII

De Aeō Typhonis filio. 10

Aeos Ysidorus ubi de Ethymologiis scribit filium fuisse Typhonis eumque tuam Paphos, rex inclite, Cypri vetustissimam civitatem condidisse, quam supra Paphi filii Pigmalionis opus fuisse dixeram, et de suo nomine nuncupatam, quod an verum sit incertum habeo. 15

CAP. XXIV

De Chymera Thyponis filia.

Chymeram Papias dicit filiam fuisse Typhonis et Chedrie, quam ob causam hoc dictum sit non video, nisi quia et hec ignes evomat. Hanc tamen quidam monstruosissima describunt; dicit enim de ea Ovidius sic: Quique Chymera iugo mediis in partibus ignem, Pectus et ora lee, caudam serpentis habebat. Virgilius autem de ea sic ait: Horrendum stridens flammisque armata Chymera etc. Alii autem dicunt illam igneum habuisse caput, pectus leoninum, caprinum ventrem, et crura serpentis, et plurimum Lyciis infestam, sed tandem a Bellerophonte superatam atque occisam. Cuius dum absconditum sensum querit enucleare Fulgentius, amplissimam et meo iudicio minime oportunam verborum effundit copiam, cum potius hystoriale significatum quam aliud sub tenui satis cortice lateat. Est enim Chymera Lycie mons in summitate ardens, sicut et Ethna 20
25
30

olim, | postmodum ad inferiora declinans leones dudum nutrire 45 b
 consueverat, subsequenter abundat capreis, et in radicibus
 feracissimus erat serpentum. Qui a Bellerophonte insigni viro
 purgatus noxiis habitabilis effectus est.

5

CAP. XXV

De Enchelado Tytanis V^o filio.

Encheladum Tytanis et Terre filium fuisse dicit Paulus,
 cum ex Terra tantum natum dicat Virgilius ibi: Illam Terra
 parens, ira irritata deorum, Extremam, ut perhibent, Ceo En-
 10 cheladoque sororem etc. Fuit hic homo ingentis potentie et im-
 manis, ut Theodontius asserit. Hunc fulmine ictum Ethneque
 suppositum dicit Virgilius sic: Fama est Encheladi semiustum
 fulmine corpus Urgeri mole hac, ingentemque insuper Ethnam
 Impositam ruptis flammam expirare caminis; Et fessum quo-
 15 tiens mutat latus, intremere omnem Murmure Trinacriam et
 celum subtexere fumo etc. Quem ego idem dicerem cum Ty-
 pheo, ne illos esse diversos ostenderet in Odis Oratius, dum
 dicit: Sed quid Typheus et validus Mimas, Aut quid minaci
 Porphyrion statu, Quid Rethus evulsisque truncis Encheladus
 20 iaculator audax etc. Quid ergo? Cum diversi sint, uti physica
 ratione Typheum subterraneum ignem ab igne elemento peri-
 niectum a Jove fulmen designato, et a motu subterranei aeris
 causatum atque evaporatum ad exteriora diximus, sic morali
 demonstratione hunc superbum hominem designare dicemus,
 25 cuius mos est, ritu ignis, stolidam elatione, semper ad excelsa
 contendere, verba ignita emittere, et cuncta furore suo consu-
 mēre, qui totiens Ethna premitur, quotiens a potentia divine
 iustitie impellitur et superatur et humilium calcari pedibus
 30 summittitur. Preterea, si non alio pondere incurventur tales,
 sua tantum honusti rabie deprimuntur, dum minus, sic vo-
 lente deo, ab eis in votum itur.

CAP. XXVI

De Egeone Tytanis VI^o filio.

Egeon, si antiquitati credimus, Terre fuit filius et Tytanis, ea ratione qua ceteri. Hunc Servius unum esse cum Briareo velle videtur, eo quod et Centumgeminus cognominetur. Sed huic opinioni Paulus adversatur, dicens: Egeonem sevissimum et immanem fuisse pyrratam, et Egeona nominatum ab insula deserta que Ege, in Egeo mari, vocatur; in qua insidebat more pyrratarum, quibus fas non est ob latrocinium suum urbes incolere. Superaddens Theodontius ab hoc, non ab Ege insula, Egeum denominatum mare, eo quod evo suo nemo in eo mari, nisi quantum huic placuisset, aliquid audebat. Dicunt | preterea fabule veteres hunc centum a Jove religatum catenis. Ovidius insuper dicit de eo: Balenarumque prementem Egeona suis immania terga lacertis etc. Ut possit per hoc comprehendere eum potentissimum fuisse, dum tot catenis eius astringuntur vires, et assiduam eius maris fuisse curam, et navigiorum quibus insidebat. Is enim ideo Centumgeminus dictus est, eo quod his centum homines remigio deservientes haberet in navibus, ut in longis oportunos cernimus.

CAP. XXVII

De Aurora VII^a Tytanis filia.

Auroram dicit Paulus filiam fuisse Tytanis et Terre. Quam si mulierem volumus arbitrari, eo quod eam Tytonis fratris Laumedontis dicat Ovidius fuisse coniugem, possumus eam existimare aliquam ingentis potentie et admirandi decoris fuisse feminam; verum ego reor de ea intellexisse poetas quam omnes dicimus Auroram, eum scilicet matutinum splendorem, quo cernimus ante solem elevatum celum albescere, quam ideo Tytanis dicunt filiam, non quia ex Tytano natam credant, sed ex Sole, quem sepissime ex nomine avi Tytanum vocant; nam

ex sole procedit, ut dictum est, illa claritas celi quam auro-
ram dicimus. Terre autem ideo dicitur filia, quia, orizontem
orientalem superans, videtur intuentibus ex terra exire.

CAP. XXVIII

5 De Japeto Tytanis VIII^o filio, qui genuit Hesperum et Athlantem et
Epymetheum et Prometheum.

Japeti parentes Tytanum et Terram fuisse Theodontius
asserit. Qui eum dicit suo tempore grandem potentemque fuisse
apud Thessalos hominem, sed protervi ingenii, cognitus magis
10 nobis filiorum claritate quam sua virtute. Huius dicit Varro
De origine lingue latine coniugem fuisse Asyam nynpham,
a qua Asya denominata est. Equidem huius non parvum ma-
gnitudine argumentum. Ex qua suscepisse nonnulli volunt
Hesperum, Athlantem, Epymetheum et Prometheum.

15

CAP. XXIX

De Hespero Japeti filio, qui genuit tres Hesperidas.

Hesperum dicit Theodontius filium fuisse Asye et Japeti,
primo Phylotem a parentibus appellatum. Verum cum iuvenis
una cum Athlante fratre in extremos Mauros secessisset, atque
20 Ethyopibus, qui ultra Ampelusiam promontorium litus oceani
incolunt, ac insulis eo litori adiacentibus imperasset, a Grecis
Hesperus appellatus est, eo quod ex nomine occidentis Hesperi
omnem occiduam regionem vocent Hesperiam, | et sic ab ea 45 d
25 tus est. De hoc tamen nil habetur ulterius, nisi quod illi tres
fuerint filie, rapina Herculis clare.

CAP. XXX

De Egle Heretusa et Hesperetusa filiabus Hesperii.

Hesperides, ut ipsum sonat patronimicum, Hesperii fuerunt filie, esto sint qui Athlantis dicant. Hec tres numero fuere. Egle, scilicet et Heretusa ac etiam Hesperetusa. De quibus fertur quod esset illis viridarium in quo aurea mala nascebantur, cui custodem prefecerant serpentem pervigilem; cuius viridarii fama cum ad Euristeum pervenisset, et ipse pomorum desiderio tractus, misit Herculem ut illa mala surriperet. Qui veniens, soporato seu occiso serpente, viridarium intravit et mala sustulit atque Euristeo detulit. Cuius fictionis arcanum aperuisse non erit difficile. Fuere quippe, ut placet Pomponio, insule in oceano occidentali habentes ex opposito desertum litus in continenti inter Hesperos, Ethyopes et Athlantes populos, que quidem insule a puellis Hesperidibus possesse fuerunt, erantque abundantissime ovium, lana quarum preciosissima erat ad instar auri, et sic insule Hesperie, que talium ovium erant pascua, viridarium fuere Hesperidum, oves autem aurea mala; nam oves a Grecis male seu mala dicuntur, teste Varrone in libro De agricultura. Pervigil autem serpens Euripi erant, qui inter insulas estuante oceano die noctuque absque intermissione insulas mira cum tempestate circumibant et ad insulas transitum prohibebant; quos Hercules, captato tempore, transiens malis aureis, id est pecudibus, eductis, remeavit in Greciam. Fulgentius autem, more suo, ex abyssu conatur in ethera educere intellectum, quem, eo quod non putem fuisse de mente fingentium, omittendum censui. Sunt tamen qui velint hunc Herculem fuisse Perseum, et Hesperidas fuisse Gorgones; ipsi videant.

CAP. XXXI

De Athlante VIII^o Tytanis filio, qui genuit Hyam et VII Hyades, quarum
 hec sunt nomina: Eudora, Ambroxia, Pydile, Coroni, Phyto, Polix
 5 lixo et Thyenes, et genuit insuper Plyades, quarum hec sunt nomina:
 Electra, Maya, Steropes, Celeno, Taygeta, Alcyone, Meropes, et
 genuit Calipsonem nynpham.

Athlas dicit Lactantius, filius fuit Japeti et Clymenes. Theodontius
 vero, Japeti et Asye filium fuisse dicit. Plinius autem, ubi De hystoria
 naturali, matrem huius dicit Libyam fuisse. Verum hi non videntur unum
 et idem, cum tres fuisse dicuntur,
 10 quorum | primus creditur ex Arcadia, alter autem a primo Thes-
 salus, inde Maurus fuit tertius, ille scilicet qui cum Hespero fratre
 ad Mauros transfretavit. Est preterea et Athlas Ytalus, qui ut vulgo fertur
 antiquissimus, apud Fesulas imperavit, cuius quoniam parentes non comperi,
 non apposui. De quorum
 15 istorum circa ea que de eis scripta comperiuntur, intellexerint
 autores, non satis certum est, dato quod aliquando possit per
 coniecturas intelligi. Scribam igitur tanquam unius tantum
 acta sint omnia. Fuit ergo Athlas, ut dictum est, Japeti seu
 ex Climene, seu ex Asya filius, vel ex Lybia, ex quo talis narratur
 20 fabula. Quod cum Perseus Jovis filius iussu Polideti regis, ut dicit
 Lactantius, ad occidendum ivisset Gorgonem, eamque superasset, et illi
 caput abscidisset, victorque rediret, contigit ut hospitium peteret
 Athlanti. Athlas autem, oraculo premonitus, ut sibi caveret a Jovis filiis,
 quia ab aliquo eorum regno privaretur, audito eum Jovis esse filium
 25 suscipere noluit; quam ob rem turbatus Perseus, detecto Gorgonis capite,
 illum in sui nominis montem mutavit, damnavitque eum ut in perpetuum
 celum sustentaret humeris, quod et factum est. Sub hac autem fictione
 voluere priores hystoriam occultari, cum
 30 dicat Fulgentius, quod cum superata Medusa ditissima regina, Perseus
 regnum invasisset Athlantis, fultus copiis atque substantiis Meduse,
 eum in montes compulit aufugere, et sic qui ex regia montanus factus
 est fuga, causam dedit fabule, ut in

46 a

montem diceretur esse conversus opere eius, cuius divitiis in montes fuerat compulsus. Quod celum humeris sustentaverit, alia causa fuit. Affirmat enim Augustinus in libro De civitate dei, hunc maximum fuisse astrologum, et Rabanus dicit eum primum astrologie artem excogitasse, quod a Plinio sumptum puto; ipse autem in libro De naturali hystoria dicit hunc astrologiam invenisse et hinc, ob sudores ex arte susceptos, celum humeris tolerasse dictum est. Verum ignavum vulgus hoc credidit, eum scilicet celum humeris sustinere, quia cerneret montis verticem adeo extolli, ut in eum videatur inclinari celum. Huic preterea multas fuisse filias dixere veteres, quas ex variis Athlantibus natas arbitror, et huic soli attributas, ut in particulari earum descriptione clarius apparebit.

CAP. XXXII

De Hyade Athlantis filio.

Hyas, ut ab unico milioris sexus initium faciamus, filius fuit Athlantis et Ethre, ut placet Ovidio, ubi de Fastis ait: Nondum stabat Athlas, humeros oneratus Olympo, Cum satus est | forma conspiciendus Hyas. Hunc stirps Oceani maturis nixibus Ethra Edidit, et nynphas, sed prior ortus Hyas etc. Hic iuvenis venator fuit, et in venationibus a leena occisus est, ut ipse ubi supra testatur Ovidius dicens: Dum nova lanugo, pavidos formidine cervos Terret, et est illi preda benigna lepus. At postquam virtus animis adolevit, in apros Audet, et hirsutas cominus ire leas, Dumque petit latebras fete catulosque leene, Ipse fuit lybice preda cruenta lee. Mater Hyan, et Hyan meste flevere sorores, Cervicemque polo suppositurus Athlas. Victus uterque parens tamen est pietate sororum: Illa dedit celum: nomina fecit Hyas.

CAP. XXXIII

De Hyadibus VII filiabus Athlantis.

Hyades septem fuere sorores et filie Athlantis ex Ethra, quarum hec fuerunt nomina: Eudora, Ambroxia, Pydile, Coroni, Phyto, Polixo et Thyenes. De quibus invicem scribere necesse fuit, cum de eis in particulari nil legatur. De his autem sic scribit Ovidius: At simul inducent obscura crepuscula noctem, Pars Hyadum toto de grege nulla latet. Ora micant Tauri septem radiantia flammis, Navita quas Hyadas Graius ab urbe vocat. Pars Bachum nutrisse putat, pars credidit esse Thetios has neptes, Oceanique senis etc. Per hos versus possumus cognoscere eas, ut supra dixerat idem Ovidius. ob pietatem mortui fratris in celum assumptas, et in fronti Tauri locatas. Videtur tamen Ovidius in fine carminum credere partem harum Hyadis fuisse filias, verum Theodontius totas Athlantis fuisse confirmat. Has autem succulas appellari dicit Anselmus in libro de Ymage mundi. Sed quid ista velint videamus. Et primo ego harum assumptionem in celum sic contigisse arbitror, quia eo quod numero convenirent cum stellis in fronte, Tauri positis, ceptum sit ab his qui numerum norant filiarum Athlantis iocose illas stellas a nominibus puellarum vocare, et cum perseverarent, adeo stellis annexum est, ut in hodiernum usque perduret; seu quod verisimilius est, filias Athlantis ob convenientiam numeri nomine stellarum nuncupatas, et hinc fabule prestitisse materiam. Nam stellas illas Hyadas vocatas credo ab effectu earum longa animadversione percepto; Hyas enim grece, pluvia sonat latine, quod eis nomen impositum est, eo quod incipientibus eis apparere, autumnales incipiunt pluvie. Succule vero dicte, quasi succo plene, id est humiditate et pluviis. Quod autem Bachum nutriturint, ideo dictum reor, quod humiditate sua seu signi in quo sunt, sole existente in virgine, plurimum vinetis nocte conferant diurno fervore exhaustis.

CAP. XXXIV

De Eletra filia Athlantis et matre Dardani.

Eletra filia fuit Athlantis et Pleionis, et uti ego arbitror, Athlantis Tusci, eo quod velint aliqui eam coniugem fuisse Corithi regis, quem Tuscum fuisse existimant plurimi; et si 5
Tusci non fuit, Archadis tamen fuit; non enim ad eius concubitum Juppiter ivisset in Mauros. Hanc a Iove oppressam peperisse illi Dardanum Troie autorem volunt, et viro Jasium. Hec preterea cum sex sororibus a Pleyone matre Plyades appellate sunt; et quia Jovem seu Liberum patrem nutrivere, 10
celum meruerunt et stelle in genu Tauri locate sunt, et a Latinis Virgilie appellate. De quibus omnibus sic scribet Ovidius: Plyades incipiunt humeros reserare paternos: Que septem dici, sex tamen esse solent. Seu quod in amplexum sex hinc venere deorum. Nam Steropem Marti concubuisse ferunt, Neptuno 15
Alcinoem, et te, formosa Celeno. Mayam et Eletram Taygetamque Jovi; Septima mortali Meropes tibi, Sysife, nupsit; Penitet et facti sola pudore latet. Sive quod Eletra Troie spectare ruinas Non tulit; ante oculos opposuitque manum etc. Astrologi autem dicunt harum unam esse nebulosam, nec posse videri. 20
Sane ut figmenta paucis expediamus de his, quantum ad nomen et ad assumptionem in celum, dici potest quod de Hyadibus dictum est, esto velit Anselmus has Plyades non a matre, sed a pluralitate denominatas, cum dicat pylon grece, pluralitatem sonare latine. Virgilie autem dicuntur, quoniam oriuntur 25
una cum sole, scilicet eo exeunte in Tauro, quia tunc virgulta augeantur. Jovem autem nutrisse ideo dicuntur, quia opinati sunt nonnulli ethereum ignem ex humiditate terrestri nutriri, quam humiditatem pluvie causant. De Libero autem ut supra ubi de Hyadibus. 30

CAP. XXXV

De Maya Athlantis filia et matre Mercurii.

Maya Athlantis fuit filia, ut dicit Virgilius: At Mayam,
 auditis si quicquam credimus, Athlas, Idem Athlas generat,
 5 celi qui sydera tollit etc. Ego credo Athlantis Arcadis fuisse
 filiam, eamque dicit Cingius Vulcano nupsisse et argumento
 utitur, ut dicit Macrobius Saturnaliorum, quod flamen Vulca-
 nalis Kalendis Maiis huic dee rem divinam facit. Sed Piso | uxore 46 d
 rem vulcani Maiestam non Mayam vocari dicit. Hoc tamen
 10 asserunt omnes eam Jovi concubuisse atque ex eo peperisse
 Mercurium. Hanc insuper aiunt Junonem ex pellicibus Jovis
 unam summe dilexisse eiusque filium Mercurium lactasse affir-
 mat Martianus. Et huius amoris causam reddunt, quia ea sur-
 gente ver et estas veniunt, quibus aer pulchrior factus letari
 15 videtur. Sed quid non sic Celenum et Eletram et alias, que
 equo modo surgunt cum Maya? Ratio potest esse hec, quia
 per Mayam veteres terram intellexere, in qua divitie et regna
 sunt, quibus preest ipsa Juno. Hec autem Maya apud Roma-
 nos in maxima fuit reverentia, ei quidem, ut ait Macrobius,
 20 mense Mayo eo quod ab ea denominatum putarent, ut ubi de
 Fastis scribit Ovidius, exhibebant mercatores una et Mercurio
 filio sacrum; et quia, ut Cornelius Labeo assentire videtur,
 terram eam putant, et Maye nomen a magnitudine sumpsisse,
 ei pregnantem suam mactabant, quam hostiam Terre propriam
 25 dicebant, et hoc ob fecunditatem arbitror. Preterea dicit idem
 Labeo huic Maye, id est terre, edem Kalendis Maiis dedicatam
 sub nomine Bone dee, et eandem esse Bonam deam et Terram,
 sic et Bonam et Faunam et Opem et Fatuam pontificum libris
 30 apposite sunt.

CAP. XXXVI

De Sterope Athlantis filia.

Steropes et hec filia fuit athlantis et Pleyonis, quam dicit Ovidius a Marte dilectam, et ex eo peperisse Parthaonem, qui rex fuit Calydonie, Arcadie fere opposite.

5

CAP. XXXVII

De Cyleno Athlantis filia.

Cyleno eque Athlantis et Pleyonis fuit filia, hec a Jove viciata Mercurium peperit, alium a superiori, qui cognominatus est Cylenius a matre, seu a monte Arcadie, in quo forte natus est.

10

CAP. XXXVIII

De Thaygeta Athlantis filia.

Thaygete patrem fuisse Athlantem volunt et Pleyonem matrem, eamque dicunt placuisse Jovi, et in eius amplexus venisse, atque ex eo concepisse Lacedemonem, quem filium Taygete Agenoris filie dixerunt alii, et nonnulli eum ex Semele natum voluere.

15

CAP. XXXIX

De Alcione filia Athlantis.

Alcyones ex Athlante et Pleyone nata est, placuitque Neptuno, ex quo peperisse volunt Alcyonem coniugem Cei regis Trachinne.

20

CAP. XL

De Merope filia Athlantis.

Meropes, ut reliqui Plyades, Athlantis et Plyonis filia fuit Sysiphoque Corinthyorum rege nupsit, Ovidio teste, et creditur eam Sysipho peperisse Laertem Ulixis patrem, et Glaucum, et Creontem.

CAP. XLI

De Calipsone Athlantis filia.

| Calipso nynpha, ut dicit Priscianus in maiori volumine, 47 a
 10 filia fuit Athlantis, ex qua tamen matre non dicit, quod etiam ante Priscianum testatur Omerus in Odissea dicens: ἔνθα μὲν Ἄτλαντος θυγάτηρ δολόεσσα Καλύψω [Que latine sonant]: ubi certe Athlantis filia dolosa Calipso, Cuius autem Athlantis ignoratur. Ad hanc, ut Omerus testatur, pervenit Ulixes naufragus, 15 et VII annis apud eam detentus est. Fuit enim hec domina cuiusdam insule Ogigia nuncupate, seu a se Calipso denominated.

CAP. XLII

De Epymetheo Japeti filio, qui genuit Pyrram.

20 Epymetheus filius fuit Japeti ex Asya coniuge, ut ait Leontius. Hic ingenio valens hominis, statuam primus ex luto finxit, quam ob rem dicit Theodontius indignatum Jovem et eum vertisse in symiam, atque religasse apud insulas Pytacusas; cuius figmenti reseratio talis est. Sunt symie animalia inter alia hoc 25 a natura infixum habentia, ut quicquid viderint quenque agentem, et ipse facere velint, et aliquando faciant; sic visum est Epymetheum ad instar nature voluisse hominem facere et sic, symie imitatus naturam, Symia dictus est. Apud Pytagusas insulas ideo symiam religatam dixere, eo quod olim 30 abundaverint symiis insule ille, seu forsitan ingeniosis hominibus et in suis operibus naturam imitantibus.

CAP. XLIII

De Pyrra Epymethei filia et Deucalionis coniuge.

Pyrra Epymethei fuit filia, ut dicit Ovidius, et Deucalionis coniunx. De qua idem Ovidius sic: Deucalion lacrimis ita Pyrram affatur abortis: O soror, o coniunx, o femina sola 5
superstes, Quam commune mihi genus et patruelis origo, Deinde thorus iunxit, nunc ipsa pericula iungunt. Hec autem cum esset piissima mulierum una eum Deucalione viro diluivium passa est, eique III^{or} peperit filios.

CAP. XLIV

De Prometheo Japeti filio, qui fecit Pandoram et genuit Ysydem et Deucalionem. 10

Prometheus Iapeti fuit filius ex Asya nynpha coniuge eius, ut Varro testatur ubi De origine lingue latine, et alii plures. Hunc ante alios omnes formasse hominem ex terra 15
dicit Ovidius: Sive recens tellus seductaque nuper ab alto Ethere cognati retinebat semina celi. Quam satus Japetho mixtam pluvialibus undis Finxit in effigiem moderantum cuncta deorum. Oratius autem aliquid superaddens dicit in Odis: Fertur Prometheus addere principi Limo coactus particulam undique 20
Desectam insani leonis Vim stomacho apposuit nostro etc. Verum Claudianus in Panegirico IIIIⁱ consulatus Archadii | fabricam istam longe plenius omnium longa tamen verborum serie describit dicens: Disce orbis, quod quisque sibi, cum conderet artus Nostros, ethereis miscens terrena Prometheus, Sinceram 25
patri mentem furatus Olympo, Continuit claustris indignantemque retraxit. Et cum non aliter possent mortalia fingi, Adiunxit geminas: ille cum corpore lapse Intereunt, hec sola manet bustoque superstes Evolat; hanc alta capitis fundavit in arce, Mandatricem operum prospecturamque laborum. Illas inferius collo, 30
preceptaque summe Passuras domine, digna statione locavit.

Quippe opifex veritus confundere sacra prophanis, Distribuit
 partes anime, sedemque removit. Iram sanguinei regio sub pe-
 ctore cordis Protegit imbutam flammis, avidamque nocendi, Pre-
 cipitemque sui. Rabie succensa tumescit; Contrahitur tepefacta
 5 metu, cumque omnia secum Duceret, et requiem membris vesana
 negaret. Invenit pulmonis opem madideque furenti Prebuit, ut
 tumide ruerent in mollia fibre. At sibi multa petens nil colla-
 tura Cupido, In iecur et tractus imos compulsa recessit. Que
 velut immanes reserans ut belua rictus, Expleri pascique velit:
 10 nunc verbere curas Torquet avaritie, stimulis nunc frangit amo-
 rum, Nunc gaudet, nunc mesta dolet satiataque rursus Exoritur,
 cesaque redit pullulantius ydra etc. Sane his a Servio et Ful-
 gentio superadditur fabula. Dicunt enim cum Prometheus ex
 luto finxisset inanimatum hominem, miratam eius eximium
 15 opus Minervam eique spondisse quicquid ex celestibus bonis
 vellet in perfectionem operis sui. Qui cum respondisset se
 nescire, nisi videret que apud Superos sibi essent utilia, ab ea
 elevatus in celum est; ubi cum cerneret celestia omnia flammis
 animata, ut suo etiam operi flammam immitteret, clam ferulam
 20 rotis Phebi applicuit, et ea accensa ignem furatus reportavit
 in terras, et pectusculo ficti hominis applicavit, et sic animatum
 reddidit eumque Pandora vocavit. Quam ob rem irati dii eum
 per Mercurium Caucasus alligari fecerunt et vulturi seu aquile
 iecur eius vel cor dilaniandum perpetuo dederunt; cuius con-
 25 questionem in rupe satis longo carmine Eschylus Pictagoreus
 poeta describit, asserens illi cor ab aquila rostro discerpi, et
 mox iterum restaurari, ac iterum ab ave laniari, et sic inde-
 sinenter vexari. Hominibus autem, ut Saphos et Esyodus di-
 cunt, dii ob hoc morbos et maciem ac mulieres immisere.
 30 | Oratius autem dicit tantum maciem et febrem, ut in Odis: 47 c
 Audax Japeti genus Ignem mala fraude gentibus intulit. Post
 ignem etherea domo Subductum macies et nova febrium Incu-
 buit cohors etc. Harum fictionum involucrum, serenissime rex,
 non erit leve corticem aperire; multa enim insunt longa exqui-
 35 rentia verba, que si non apponantur, erit paucis plurimum
 ingenii oportuna. Faciam igitur resecans quantum potero,

ut prestabit Deus. Et ante omnia videndum puto quis fuerit
 Prometheus iste. Qui quidem duplex est, sicut duplex est
 homo qui producitur. Primus autem Deus verus et omnipotens
 est, qui primus hominem ex limo terre composuit, ut Prome-
 theum fecisse fingunt, seu natura rerum, que ad instar primi 5
 reliquos etiam ex terra producit, sed alia arte quam Deus.
 Secundus est ipse Prometheus, de quo ante quam aliam scri-
 bamus allegoriam, secundum simplicem sensum, quis fuerit
 videndum est. Dicit ergo Theodontius de Prometheo isto le-
 gisse, quod cum illi Japeti patris, eo quod natu maior esset, 10
 successio deberetur, iuvenis et dulcedine studiorum tractus
 ultro illam Epymetheo fratri cum duobus parvis filiis, Deuca-
 lione et Yside derelictis, in Assyriam abiit et inde, postquam
 aliquandiu insignes eo evo audisset Caldeos, in verticem Cau-
 casi secessit. Ex quo longa meditatione et experientia per- 15
 cepto astrorum cursu, procuratisque naturis fulminum et rerum
 plurium causis, ad Assyrios rediit eosque astrologiam docuit
 et procurationes fulminum, et quod omnino ignorabant civi-
 lium hominum mores, egitque adeo, ut quos rudes et omnino
 silvestres et ritu ferarum viventes invenerat, quasi de novo 20
 compositos civiles relinqueret homines. Quibus sic premissis
 videndum est quis sit productus homo, quem supra dixi du-
 plicem esse. Est enim homo naturalis, et est homo civilis,
 ambo tamen anima rationali viventes. Naturalis autem homo
 primus a deo ex limo terre creatus est, de quo et Ovidius et 25
 Claudianus intelligunt, esto non adeo religiose, ut christiani
 faciunt; et cum ex luto illum Prometheus iste primus formas-
 set, insufflavit in eum animam viventem, quam ego rationalem
 intelligo, et cum hac sensitivam et vegetativam potentias, seu
 secundum quosdam animas; verum he naturam habuere cor- 30
 poream, et nisi peccasset homo, fuissent eterne, sicuti et ratio-
 nalis est, cui divina natura est. Hunc per|fectum fuisse homi-
 nem circa quoscunque actus terreos credendum est; nec opinari
 debet quisquam oportunum illi fuisse ad eruditionem tempo-
 ralium rerum Prometheum aliquem mortalem; verum qui a na- 35
 tura producta sunt, rudes et ignari veniunt, imo ni instruantur,

lutei agrestes et belue. Circa quos secundus Prometheus in-
surgit, id est doctus homo, et eos tanquam lapideos suscipiens
quasi de novo creet, docet et instruit, et demonstrationibus
suis ex naturalibus hominibus civiles facit, moribus scientia
5 et virtutibus insignes, adeo ut liquido pateat alios produxisse
naturam, et alios reformasse doctrinam. Libet ex multis unum
soltem exemplum inducere. Legimus inter scelestissimos quos-
cunque et perditæ luxuriæ iuvenes Athenienses Polemonem
fuisse principem, qui mane a convivio surgens temulentus et
10 unguentis fragrans, sertisque spectabilis et vestimentis suorum
scelerum letus infamia, scholas Xenocratis prudentum atque
modestorum hominum refertas intrasse, risurus, arbitror, potius
quam auditurus precepta legentis. Cuius adventus et si turba-
tionem omnibus iniecisset, solus Xenocrates immoto vultu per-
15 severans, omissis de quibus erat sermo, de temperantia et
modestia cepit, tanteque fuit eius demonstratio efficacie, ut Po-
lemon non aliter quam si veterem eiecisset animam et ab ore
disserentis aliam suscepisset, eiectione sertis, et intra pallium
reducto brachio, et omni conviviali letitia posita, et omni
20 omnino eiectione lascivia, ex illecebri ganeone splendidus evasit
philosophus. Bene ergo ostenditur homines quacunque ineptia
deformes a sapientibus reformare, et qui lutei erant nuditate
aut viciorum ignavia, sacris animari preceptis, et civiles homi-
nes effici. Sed ad ulteriora progrediendum est, ut omnis fictionis
25 aperiatur particula. Dicunt igitur ante alia Minervam opus
huius miratam eum in celum traxisse, daturam si quid ad opus
suum perficiendum cerneret opportunum. Quod ego sic intelli-
gendum reor, pro Minerva, scilicet sapientem virum, qui na-
ture opus admiratur, hominem, scilicet ex luto productum, et
30 cum eum videat imperfectum quantum ad doctrinam et mores
cupiens eum animare, id est perficere, sapientia duce, per spe-
culationem ascendit in celum, et omnia ibi igne animata
videt, ut intelligamus quod in celo, id est in loco perfectionis,
sunt omnia animata igne, id est claritate veritatis, sic et per-
35 fectus homo nulla ignorantie nebula ofuscatur, et meditatione
continua versatur in celis. Deinde a rota solis furatur hic

ignem, et defert in terris, et pectori infert luteo homini, et vivus efficitur. Equidem non incongrue dictum est. Non enim in theatris vel plateis et in propatulo veritatis claritatem adipiscimur, quin imo in solitudinibus semoti, et exquisita taciturnitate speculamur, et crebra meditatione rerum naturas exquisimus; et quia ista talia clam fiunt, quasi furari videmur, et ut appareat unde sapientia veniat in mortales, dicit quod a rota solis, id est e gremio dei, a quo omnis sapientia est, ipse enim verus est sol qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, cuius eternitatem per rotam non habentem principium neque finem designare voluere, et hoc apposuerunt ut de ipso vero Deo et non de sole creato acciperemus dictum. Hanc demum flammam, id est doctrine claritatem, inmittit pectori lutei hominis, id est ignari. Nam et si omnibus largitor ille munerum deus animam bonam et perfectam infundat, corporea moles caligine infecta terrestri adeo vires retundit anime, ut plurimum nisi doctrina iuventur, et excitentur adeo obtorpescunt, ut potius bruta quam rationabilia animalia videantur. Doctrina igitur sapientie a Deo suscepta prudens homo animat, id est sopitam animam excitat lutei, id est ignari hominis, qui tunc vivere dicitur, dum ex bruto rationalis efficitur, seu effectus est. Explicito autem homine iratos deos dicunt quedam fecisse, ut religasse Prometheum in rupe, immisisse febrem, maciem et feminas hominibus. Circa quod quantum ad primum advertendum est hic poetas more vulgi et improprie fuisse locutos. Existimat quidem vulgus iners, iratum deum adversus quemcunque laborantem vident, quantumcumque circa laudabile opus fatigetur, quasi nil preter ocium detur a pacato deo, et ideo iratum putavere deum Prometheo, eo quod assiduo studio noscendarum rerum laboraret. Seu ideo iratos dixere, quia laboriosa hominibus immisere. De ista ira qualis sit, supra ubi de Fama dictum est. Quod autem duci et alligari Caucaso Prometheum a Mercurio fecerint, pervertitur ordo, nam prius in Caucaso fuit Prometheus, quam hominem rapto igne animaret. Ductus est igitur futurus et iam desiderio ipso prudens homo a Mercurio interprete deo-

rum, id est ab eruditione alicuius enucleantis secreta nature impulsus in Caucasum, id est in solitudinem, quantumcunque secundum hystoriam in Cauca|sum secesserit, et ibi religatus in rupe, id est a propria voluntate detentus. Ibi illi precordia aiunt ab aquila lacerari, id est a meditationibus sublimibus anxari, que longo exhausta meditationis lobore tunc restaurantur, quando per ambages varias exquisita alicuius rei veritas reperitur. Et hec quantum ad ficta de Prometheo, quem profecto maiores nostri asserunt eximium sapientie doctorem fuisse. Nam Augustinus in libro De civitate dei, et post eum Rabanus et Luon Carnothensis equo fatentur consensu, eum scientia insignem fuisse virum. Eusebius preterea in libro Temporum dicit, Argo regnante Argivis fuit Prometheus, a quo homines factos esse commemorant, et re vera cum sapiens esset, feritatem eorum et nimiam imperitiam ad humanitatem et scientiam transfigurabat. Post hunc Servius etiam de eo testatur quia prudentissimus vir fuit et a providentia denominatus, et quod primus astrologiam Assyrios docuerit, quam in altissimo residens Caucasi vertice maxima cum cura didicerat. Hunc insuper dicit Lactantius in libro Divinarum institutionum, primum simulacra ex luto componere invenisse, quod forsitan de compositione hominis ex luto fabule dedit initium. Sic et Plinius ubi De naturali hystoria dicit, eum primo docuisse ignem e silice provocatum ferula servari. Voluere insuper iratos deos immisisse hominibus maciem, febrem, et mulieres. Pro macie ego intelligo labores corporeos, quibus extenuamur et ad quos nascimur illius crimine, cui dictum est: Cum sudore vultus tui vesceris pane tuo. Hic autem maciei viam dedit intranti. Per febres vero, ardores concupiscentie, quibus angimur et vexamur assidue, voluisse reor. Mulier autem ad solatium creata est, sed inobedientia sua facta est stimulus, nec equidem parvus, si rite intueri velimus, quod ut potius alienis verbis quam meis ostendam, quid preclarissimus preceptor meus, Franciscus Petrarca, eo in libro quem De vita solitaria scripsit, de eis sentiat libet apponere. Dicit enim sic: Nullum virus adeo pestiferum vitam hanc sectantibus ut muliebri consortium; femi-

48 b

neus enim decor eo formidolosior funestiorque, quo blandior, ut sileam mores, quibus omnino nichil instabilius, nichil studio quietis infestius. Quisque requiem queris, feminam cave, perpetuam officinam litium ac laborum. Raro sub eodem tecto habitant quies et mulier. Satyrici verbum est: Semper habitet
 48 c lites, alternaqua iurgia lectus, In quo nupta iacet: minimum
 dormitur in illo. Nisi forte tranquillior est concubine accubitus, cuius et fides minor, et maior infamia et litigium par. Scitum est et illud clari oratoris dictum: Qui non litigat celebs est. Post hoc paulo infra sequitur idem. Quisquis ergo litem fugis, et feminam fuge. Vix alteram sine altera effugies. Femine, et si quod rarum est, mitissimi mores sint, ipsa presentia, utque ita dixerim, umbra nocens est. Cuius siquid fidei mereor, vultus atque verba cunctis qui solitariam pacem querunt, non aliter vitandi sunt, non dico quam coluber sed quam basilisci con-
 10 spectus ac sibila; nam nec aliter oculis, quam basiliscus interficit, et ante contactum inficit. Hec ille. Que et si multa sint et vera, haberem que dicerem longe plura, sed quoniam non exigit intentum presens, hec de stimulo humani generis dixisse
 15 sufficient. 20

CAP. XLV

De Pandore homine a Prometheo facto.

Pandora dicit Fulgentius nominatum eum, quem Prometheus primum ex luto confecit, quod a Fulgentio ob id dictum puto, quia Pandore significatum sit in latino omnium munus,
 25 eo quod non ex notitia unius tantum rei componatur sapiens, sed ex multis et verius ex omnibus, sed talis solus est deus. Posset preterea dici Pandora a pan quod est totum, et doris quod est amaritudo, quasi Pandorus omni amaritudine plenus. Nil enim in presenti vita potest homo absque amaritudine
 30 possidere, quod utrum verum sit, se unusquisque exentiat et videbit. Job autem vir sanctus et patientie insigne specimen, volens hoc humano improperare generi, dixit: homo natus de muliere, brevi vivens tempore, multis repletus miseriis etc.

CAP. XLVI

De Yside Promethei filia.

Ysis, ut ait Theodontius, filia fuit Promethei et parvula a
 patre Epymetheo patruo derelicta. De qua ipse Theodontius
 5 talem recitat hystoriam. Dicit enim quod cum virgo excrevisset
 et prestantissimi decoris esset, iam matura viro Iovi placuisse,
 et ab eo actum seu potentia seu suasionibus, ut in eius iret
 concubitum, ex quo Ysidem dicit Jovi Epaphum peperisse.
 Tandem seu tanto fidens amasio puella, seu quia natura ardentis
 10 esset animi, in regni cupidinem incidit, et auxiliariis a Jove
 habitis et aliunde contractis viribus, quasi in effetum viribus
 regem, animum iniciens, Argum Argivorum regem annositate
 decrepitum, sed alias oculatum hominem traxit in bellum,
 adversus quem cum descendisset in aciem, factum est, ut fractis
 15 Ysidis viribus, ipsa caperetur Ysis et ab Argo servaretur captiva.
 Verum iussu Jovis patris sui Stilbon, qui postea Mercurius
 appellatus est, homo eloquentissimus et audacia atque indu-
 stria | plenus, decipulis suis egit ut occiso a se Argo sene, a 48 d
 captivitate liberaretur Ysis. Cui cum non bene cederent res
 20 in patria, sue confisa solertie, conscensa nave, cui vacca erat
 insigne, ad Egyptios transfretavit, et cum ea Stilbon ob per-
 petratum facinus pulsus ex Grecia, et cum ibi iam Apis poten-
 tissimus esset, eidem nupsit, et datis Egyptiis characteribus
 licterarum atque ostenso terre cultu, in tam grandem devenit
 25 Egyptiorum extimationem, ut non mortalis femina sed dea
 potius haberetur, divinique illi adhuc viventi impenderentur
 honores. Leontius vero dicebat se a Barlaam habuisse, hanc
 Ysidem ante transfretationem Apis in Egyptum, eidem Api
 nupsisse, et post modum cum Jove concubuisse, et ob id cum
 30 rescisset indignatus Apys, regno Argivorum relicto, in Egyptum
 abiisse, et eam post modum ad se accedentem ultro susce-
 pisse. In quibus tot sunt ab utraque parte operum et tempo-
 rum inconvenientia, ut non solum auferatur hystorie fides, sed
 nec etiam aliqua possit verisimilitudo rerum adaptari, et potis-

sime adveniente Jovis obstaculo, cuius cum Api convenientia tempora huic hystorie plurimum auferunt fidei. Sane solertibus huius veritatis inquisitio relinquatur.

CAP. XLVII

De Deucalione filio Promethei, qui genuit Ellanum et Psythacum et Dyonisi-um et Phe(nratem). 5

Deucalion, omnium veterum testimonio, Promethei filius fuit, cui adulto Epymetheus patruus Pyrram filiam iunxit coniugio. Mitis enim ingenii homo fuit et Pyrra piissima femina, de quibus Ovidius: Non illo melior quisquam nec 10
amantior equi Vir fuit, aut illa reverentior ulla deorum etc. Huius enim tempore apud Thessalos ingens fuit diluvium, de quo fere omnes scriptores veteres mentionem faciunt; finguntque plurimi, excrescentibus aquis, Deucalionem solum cum Pyrra coniuge in navicula evasisse, et in Parnasum devenisse 15
montem, et cum iam aque cessarent Themis adisse oraculum consulturi de humani generis restauratione; eiusque iussu, tecto capite solutisque vestibus postergasse saxa, tanquam magne parentis ossa, et ea in homines feminasque conversa. Hoc figmentum a Barlaam sic explicatum referebat Paulus. Dicebat 20
enim se legisse in Grecorum antiquissimis annalibus ob hoc diluvium territos homines, et ad suprema usque montium effugisse, atque intrasse cavernas, et antra una cum mulieribus suis expectaturos finem; et ad hos Deucalionem et Pyrram, ces- 25
santibus aquis, in mesto atque supplicum habitu accessisse, et Deucalionem hominibus et Pyrram mulieribus, non absque 49 a
labore maximo, suasisse aquas cessasse | nec amplius fore timendum; et sic eos e verticibus montium atque ex saxeis antris, eis scilicet ambobus precedentibus, in habitationes et tecta reduxisse. Porro Theodontius non sic; dicit enim delatum 30
Deucalionem cum coniuge et aliis pluribus in navi ad Parnasum, et cum cessassent aque, ibi regni sui sedem statuisset, cum primo Thessalis imperaret, et ex communi consilio tan-

quam pro bono publico factum, ut revocatis hominibus et mulieribus e cavernis, quarum quantitas maxima longe hominum numerum excedebat, eo quod venientibus aquis pavidiore longe ante quam homines in montana confugerant, et sic ex eis
5 nulla periit, cum ex hominibus multi absorpti sint, posita verecundia, quam per tectum caput intelligit, non enim verecundantur nisi videntes, indistincte homines quibuscunque mulieribus miscerentur, quod per solutas vestes dicit ostendi; nam ut ubi de Venere dictum est, Veneris cingulum est dictum
10 ceston quod ipsa fert ad legitimos coitus; cum vero in illicitos tendit, cingulum deponit, et sic illi solutis vestibus in illicitos ire coitus ostendebant, et hoc augende prolis causa, cum ex multitudine mulierum virorum paucitas possit amplissimam prolem suscipere. Quod autem illos vocat ossa parentis,
15 non ob aliud dictum puto, nisi quia sicuti saxa terre molem ne effluat continent, sic et ossa hominum corpora servant in robore; sic et labores agricultorum agunt, ut ea producuntur ex terra ex quibus nutricamur atque consistimus, quasi videantur ex agris assumpti qui incoluere postea civitates. Ego autem
20 reor illos parentis ossa dictos, quia ex cavernis et antris montium uti lapides facimus, educti sunt, et ob duritiem suam saxei dicti.

CAP. XLVIII

De Ellano Deucalionis filio.

25 Ellanum dicit Theodontius filium fuisse Deucalionis et Pyrre, quem ait Barlaam, patre mortuo, adeo nomen suum et imperium ampliasset, ut fere omnis Grecia, que in Egeum mare versa est, a nomine suo Ellada nominata sit et Ellades Greci.

CAP. XLIX

De Psytaco Deucalionis filio.

Psytacus Deucalionis et Pyrre filius, ut ait Theodontius, Promethei avi sui doctrinis imbutus, ad Ethyopas abiit, ubi in maxima veneratione habitus cum in longissimum evasisset evum, oravit ut rebus subtraheretur humanis. Cuius precibus dii faciles eum in avem sui nominis mutavere. Huius ego fictionis causam credo sui nominis et virtutis famam, que, eo cano mortuo, viriditate duravit perpetua, uti sunt perpetuo virides aves ille. Fueri qui crederent hunc Psytacum eum fuisse, qui unus ex septem sapientibus dictus est, sed Theodontius dicit eum longe antiquiorem.

CAP. L

De Dyonisiō Deucalionis filio.

49 b | Dyonisius, ut testatur Eusebius in libro Temporum, Deucalionis fuit filius, eiusque facta claruisse dicit circa initium ducatus Moysis. Que tamen fuerint nusquam legisse memini, preterquam cum in Atticam venisset, a Semaco quodam susceptus hospitio, filie eius capree pellem largitus est.

CAP. LI

De Fentrate Deucalionis filio.

Fentratem Deucalionis fuisse filium Paulus et nonnulli alii arbitrantur, eo quod de eo sic referat Tullius in libro Tusculanarum questionum. Dycearcus autem in illo sermone, quem Corynthis habitum tribus libris exponit, doctorum hominum disputantium, in primo libro multos loquentes facit, duobus Fentratem quendam Phytotam senem, quem ait a Deucalione ortum, disserentem inducit etc. Ex quibus preter originem apparet eum fuisse phylosophum.

CAP. LII

De Astreo Tytanis filio VIII^o, qui genuit Astream et Ventos.

Astreus filius fuit Tytanis et Terre, ut asserit Paulus. Hunc dicunt Servius et Lactantius cum Aurora concubuisse et ex ea genuisse Astream virginem, nec non et Ventos omnes. Quos dicit Paulus cum senex esset, dum fratres adversus Jovem bellum movissent, omnes armavit et emisit in Superos. Esto Lactantius dicat eos ab Athlante armatos. Astream potentem aliquem atque superbum fuisse hominem existimo, ideo Ventorum patrem dictum, quia alicui ventose regioni prefuerit; quod illos armaverit in Superos, a ventorum discursione sumptum est, qui si a terre concavitatibus veniant, ut in altum erumpant necesse est.

CAP. LIII

De Astrea filia Astrei.

Astream Astrei Tytanis fuisse filiam satis vulgatum est, que, quoniam diis favit adversum patrem et patruos, in celum assumpta est, et in Zodiaco locata, ea in parte, que ab ea Virgo denominata est. Nunc autem quid sibi velit fictio videamus. Astream Astree patrem ego hic non hominem, sed celum astrigerum intelligo, quod ex se Iustitiam gignit, dum perpetuo ordine sibi divino munere dato inferioribus corporibus unicuique iuxta sui qualitatem indesinenter oportuna concedit, et huius exemplo legum latores, prout humano ingenio possibile est, nostram ordinavere iustitiam. Ex Aurora autem ideo nata dicitur, quia sicuti aurore claritas solem procedit, sic ex notitia certa rerum gestarum debet oriri seu oritur iustitia seu iudicium. Diis favisse dicitur, quia bonis semper favet iustitia et eicit reprobos. Ea enim in celi parte | ideo posita est, quia contigua est equinoctio, ut ostendatur ex iustitia rerum equitatem consequi, et sicut sole ibidem existente equa temporis pars

nocti atque diei ab eodem sole conceditur, sic a iustitia equae
ius redditur depresso conditionis hominibus atque claris.

CAP. LIV

De Ventis filiis Astrei in generali.

Venti, ut perhibent Servius et Lactantius, Astrei Tytanis 5
et Aurore fuere filii. Hos dicit Lactantius a Junone ob natum
Epaphum incitatos in Jovem, quam ob causam a Jove cavernis
clausi sunt, et sub imperio Eoli religati. Sed aliam causam
dicit Theodontius a Pronapide monstrari in Protocosmo, que
talis est. Dicit enim Pronapides Litigium egre plurimum 10
tulisse a Jove de celo fuisse deiectum, et ob id ad Inferos
descendisse, et conventis Furiis orasse, si quid unquam eorum
votis suus labor posset in posterum voluptatis afferre, irent
et sua venena quiescentibus Ventis inicerent, ut Furiis infestati,
Jovis regnum infestarent, atque quietem; que evestigio ten- 15
dentes, cum eos pacifice sedentes in domo patria invenissent,
non solum furias sed odia immisere, adeo ut in regiones
suas abeuntes, confestim unus in alterum discursum facere, et
omne celum terramque concutere incepere. Quibus perterritus
primo Juppiter, deinde commotus, eis non absque labore 20
captis et cavernis Eoli inclusis, eos sub eius esse iussit im-
perio. De quibus sic dicit Virgilius: Nymborum in patriam,
loca feta furentibus austris, Eolyam venit. Hic vasto rex Eolus
antro Luctantes ventos tempestatesque sonoras, Imperio pre-
mit ac vinclis et carcere frenat. Illi indignantes magno cum 25
murmure montis Circum claustra fremunt, celsa sedit Eolus
arce Sceptra tenens mollitque animos et temperat iras. Ni faciat,
maria ac terras celumque profundum Quippe ferant rapidi secum
verrantque per auras. Sed pater omnipotens speluncis abdidit
atris, Hoc metuens molemque et montes insuper altos Impo- 30
suit, regemque dedit, qui federe certo, Et premere et lapsas
sciret dare iussus habenas etc. Si predictarum fictionum vo-
lumus habere sensum, ante alia necesse est ut Astreum horum

patrem celum credamus astrigerum, ita tamen ut unum sit celum quicquid inter lune concavum et octave spere convexum continetur; nam motum celi et planetarum tanquam a remotiori | tantum paululum causa causari arbitror. Si autem 49 d

5 Astreum hominem Ventorum patrem voluerimus, iam supra dictum est eum imperasse locis, ex quibus multi orientur venti, et hinc dictus est Ventorum pater. Aurore autem ideo dicuntur filii, quia ut plurimum appropinquante aurora consueverint venti oriri; quod nautarum approbat autoritas et consuetudo;

10 illa enim hora eos surgere dicunt, et ob id eadem hora ut plurimum sua navigationes incipiunt; et hinc Aurore filii nuncupati sunt. Eos autem a Junone in Jovem armatos fuisse, ideo fictum est, quia a terra emitti creduntur, que Juno est, et quadam terre respiratione impelli, et cum alibi nequeant

15 preter in aerem inpingi, cum aer Juppiter sit, in Jovem armatos fictum est, id est impetuosos. Quod autem Litigium opere Furiarum eos et inquietare regnum Jovis et inter se hostes fecerit, hoc a motu eorum et opere sumptum est; nam si ab oriente ventus surrexerit, et itidem ab occidente, ut et per

20 aerem et in se concurrant necesse est, ex quo videntur hostes et regnum inquietare Jovis. Eos autem sub imperio Eoli religatos in cavernis ideo dictum est, quia Eolydes insule quibus olim prefuit Eolus, et ab eo denominate sunt, plene sunt cavernarum, caveerne autem plene sunt aeris et aque, cuius motu causatur calor, et ob calorem surgunt ex aqua vapores, quos calor

25 ipse resolvit in aerem; qui cum in loco non capaci consistere nequeat, egreditur, et si arctus sit agressus, de necessitate impetuosior et sonerior et diuturnior exit, et sic cum generati venti ex cavernis Eolidarum insularum exeant, fictum est eos in cavernis Eoli religatos atque suo sub imperio positos. Sed

30 Virgilius sub hac fictione longe aliud sentit, quod quoniam non spectat ad propositum non appono. Est preter fictiones horum pregrandis potentia; sunt distincte regiones et nomina; sunt insuper secundum quosdam pauciores, secundum vero alios

35 plures, nec eisdem nominibus ab omnibus nuncupati sunt; de quibus antequam ad singulorum sermonem veniamus, pauca

dixisse non erit incongruum. Dicit ergo de eorum potentia et regionibus atque nominibus sic Ovidius: Et cum flaminibus facientes frigora ventos, His quoque non passim mundi fabricator habendum Aera permisit: vix nunc obsistitur illis, Cum sua quisque regat diverso flamina tractu, Quin lanient mundum, tanta | est discordia fratrum. Eurum ad auroram Nabatheaque regna recessit Persidaque et radiis iuga subdita matutinis, Vesper et occiduo, que litora sole tepescunt, Proxima sunt Zephyro; Scithiam septemque triones Horrifer invasit Boreas, contraria tellus Nubibus assiduis pluvioque madescit ab Austro etc. In quibus carminibus, et si multum dictum sit, est tamen eorum tam grandis violentia, ut non dicam pregrandes naves pondere honustas multiplici per maria tensis evehat velis, seu annosas quercus, evulsis e solo radicibus, in regionem alteram deferat, quin imo celsas turres arcesque sublimes perpetuo solidatas saxo impetu evertat suo, et montium altos vertices tanta concutiat rabie, ut mundum omnem, si rerum pateretur natura, extra veteres terminos videatur posse transferre. Hos duodecim esse dicit Ysidorus Ethymologiarum libro, eosque sic disponit et nominat: Qui ab oriente verno in occiduum tendit ideo dicitur Subsolanus, quia sub ortu solis nascatur. Huic duos collateralis adnectit, Eurum scilicet a sinisteris, quem sic ait vocari, eo quod ab Eoo spiret, id est ab oriente estivo; a dextris vero dicit esse Vulturum, sic dictus quod alte tonet. Austrum inde a meridie flantem sic dicit dici, quod aquas hauriat, eumque grece appellari Nothum. A dextris eius dicitur esse Euroastrum, inde dictum quod inter Eurum sit et Austrum. Sic et qui a sinisteris est Austroaffrum, quia inter Austrum sit et Affrum. Sic et idem Lybonothus vocatur, eo quod inde Lybs et hinc sit illi Nothus. Zephyrum autem subsequenter ab occiduo flantem dicit, eo sic appellatum quod flores et gramina eius vivificentur spiritu, atque eundem vocari Favonium latine, quod his faveat que nascuntur. Cuius a dextra Affricum seu Lybim a regione unde spirat denominatum. A leva vero chorum, eo quod ventorum circulum claudat et quasi chorum faciat. Antea tamen dicit

Caurum nominatum, et a nonnullis Argeston. Septentrionem
 inde dicit dictum, eo quod a circulo septem stellarum con-
 surgat. Cui ponit a dextra Circium, a vicinitate Chori sic deno-
 minatum. A sinistra vero Aquilonem cuius nominis causam
 5 dicit, quia aquas extinguat et dissipet nubes. Eumque dicit
 et Boream nominari, quod ab Yperboreis montibus egredi vi-
 deatur. | Scribit preterea Ysidorus, his XII designatis, alios 50 b
 etiam esse ventos, quos ego eosdem puto, sed aliis nomini-
 bus appellatos, ut puta Ethesyas, quas ait statuto anni tem-
 10 pore a Borea in Egyptum efflare. Sic et Auram et Altanum.
 Auram vero ab aere dictam, quod lenis, quasi agitated leniter
 aer. Altanum in pelago fieri et ab alto denominatum. Turbo-
 nem insuper a terra dictum dicit; est enim ventorum circum-
 15 volutio quedam perniciose persepe. Fragorem a fractarum
 rerum sonitu denominari ventum ait. Sic et procellam dictam,
 eo quod cum pluvia flans evellat. Vitruvius autem, ubi de
 Architectonica scripsit, XXIII^{or} esse ventos ostendit. Dicit
 enim Austri collaterales Leuconothum et Altanum, Affrici
 Lybonothum et Subvesperum, Favonii Ergastes et Ethesias,
 20 Cauri Circium et Chorum, Septentrionis Tracias et Gallicum;
 Aquiloni Supernas et Cecias, Solano Curbas et Orinthias,
 Euro Circias et Vulturum. Alibi autem dicit idem Vitruvius
 eos VIII tantum esse, scribens, Andronicum Cirrestem ad de-
 25 monstrationem opinionis huius, Athenis turrim octogonam con-
 struxisse, et singulis lateribus sculptam eius venti ymaginem,
 cui illa facies muri esset adversa, posuisse, et tandem metha
 marmorea super turrim imposita, ereum trionem super impo-
 suit illi dextra virgam porrigentem. Qui cum circumageretur
 a ventis, virga designabat, quis esset qui flaret, et sic dicit
 30 compertum inter Solanum et Austrum Eurum, inter Austrum
 et Favonium Affricum, inter Favonium et Septentrionem Cau-
 rum seu Chorum, inter Septentrionem et Solanum Aquilonem.
 Quam descriptionem tanquam optimam atque veram Mediter-
 ranei maris naute omnes servant, et potissime Januenses, qui
 35 profecto ceteros nautice artis excedunt ingenio.

CAP. LV

De Subsolano vento et Vulturno et Euro et collateralibus suis, filiis Astrei.

Expedito de ventis in generali, de unoquoque secundum Ysidori descriptionem in particulari pauca dicenda sunt; et primo de Subsolano orientali vento. Hic, ut Beda dicit, calidus est et siccus, sed temperate et ideo calidus, quia diu sub sole moretur. Siccus autem, quia cum Oceanus orientalis multum distet a nobis, ex quo humiditatem summere creditur, eam omnem veniendo dimittit. Sed absit ut credam ridiculum istud, omnem scilicet ventum, qui ad nos ab orientis plaga venit, oriri in oriente | extremo, cum certissimum habeatur multos apud Eolidas oriri, ut predictum est, ex quibus nonnulli in nos efflant quos nos orientales et merito dicimus; quam ob causam, salva semper reverentia Bede, frustra dictum puto eos ob longinquitatem originis sue ad nos mutata complexione venire. Huic eiusdem complexionis sunt a destris Vulturnus omnia desiccans, a sinistris vero Euris nubes aggregans seu generans.

CAP. LVI

De Notho vento et Euroastro atque Austroaffro collateralibus eius, filiis Astrei.

Nothus australis est ventus, naturaliter frigidus et siccus, verum dum per torridam zonam ad nos veniens transit, calorem assumit, et ab aquarum multitudine in meridie existente sumit humiditatem. Et sic mutata natura ad nos venit calidus et humidus, et calore suo poros terre aperit, et humorem ut plurimum multiplicare, et nubes et pluvias inducere consuevit. Huius formam sic describit Ovidius: Madidis Nothus evolat alis, Terribilem picea tectus caligine vultum: Barba gravis nymbis, canis fluit unda capillis, Fronte sedent nebule, rorant penneque sinusque etc. Huic eiusdem complexionis a dextris est

Euroaster, qui tempestates in mari generat, eo quod, ut Beda dicit, ab imo sufflet. A sinistris autem Austroaffer, quem aliqui dicunt calidum et temperatum.

CAP. LVII

5 De Septentrione vento et Circio collateralis eius, filiis Astrei.

Septentrio ventus est a plaga in qua oritur nuncupatus. Nascitur enim in locis aquosis et congelatis et excelsis montibus, ex quibus ad nos usque purus flat, eo quod in locis, per que transitum facit, nullus ob intensum frigus resolvitur vapor.
 10 Hic aerem serenum facit, et quas exciverat Auster pestes, repellit et purgat. Complexione autem cum collateralibus frigidus est et siccus. Qui enim a dextris est, Circius appellatur, nivium grandinumque productor. A sinistris autem Aquilo est, seu Boreas, de quo latior sermo sequitur.

CAP. LVIII

15 De Aquilone seu Borea vento, Astrei filio et collateralis Septentrionis.

Boreas seu Aquilo ventus collateralis est Septentrionis, et natura sua habet nubes dissipare et aquas ligare gelu; de quo sic Ovidius in persona eiusdem dicit ad ostendendas vires
 20 eius: *Apta michi vis est, qua tristia nubila pello Et freta concutio nodosaque robora verto, Induroque nives et terras grandine pulso. Idem ego cum fratres | celo sum nactus aperto,*
 Nam michi campus is est, tanto molimine luctor, *Ut medius*
 nostris concursibus insonet ether, *Exiliantque cavis elisi nu-*
 25 *bibus ignes. Idem ego, cum subii convexa foramina terre,*
Supposuique ferox imis mea terga cavernis, Sollicito manes
totumque tremoribus orbem. Hac ope etc. Ex hoc plures dicuntur fabule. Nam Servius dicit eum amasse Yacintum puerum,
 30 *qui etiam ab Apolline amabatur, et quoniam cerneret*
amorem pueri in amorem Apollinis magis quam in se flecti,

iratus disco ludentem interemit. Preterea dicit Ovidius, eum
 amasse Orythiam Erichthonii regis Athenarum filiam, ac eam
 in coniugem postulasse; que cum non daretur, indignans se
 disposuit ad rapinam, nec distulit quin imo: Excussit pennas,
 quarum iactatibus omnis Afflata est tellus latumque perhorruit 5
 equor. Pulvereamque trahens per summa cacumina pallam
 Verrit humum, pavidamque metu caligine tectus Orythiam
 amans fulvis amplectitur alis. Et sic illam rapuit, et ex ea
 Zethum et Calaym filios suscepit. Insuper dicit Omerus in
 Yliade inducens Eneam Achilli loquentem in pugna: Boream 10
 pulcherrimas Dardani adamasse equas et ex eis equos XII
 velocissimos suscepisse. A quibus si corticem fabularum amo-
 verimus, advertemus primo Boream Yacinthum, qui flos est et
 ideo puer, quia nullus diu vivit flos, amare; hac in forma, quia
 forte flabat sepissime per prata plena yacintis, quasi visurus 15
 quos diligebat, uti et nos crebro visuri vadimus quos amamus.
 Qui Yacintus et ab Apolline, id est a sole, amabatur, nam
 et ipse productor talium et spectator, amator etiam dicitur,
 et quia talium fotor est, et ideo a Yacinto amari dicitur, quia
 una queque res id amare videtur, per quod ad esse deducitur 20
 et perseverat in esse; nam flores et alia sole agente nascuntur
 et vivunt, quam diu vivunt. A Borea autem ideo occisus di-
 citur, quia Boreas horriditate sui flatus cuncta humore privat
 atque desiccat. Amasse eum Orythiam hystoria est. Dicit enim
 Theodontius Boream iuvenem fuisse Tracem nobilem et ani- 25
 mosum, qui tractus fama matrimonii contracti a Thereo, qui
 Pandyonis filiam habuerat in coniugem, cum audisset Orythiam
 Erichthonii Atheniensium regis formosissimam puellam esse,
 cupidine captus eius petiit coniugium, quod cum illi negaretur,
 ob incestum commissum a Thereo in Phylomenam, quasi similis 30
 illi Boreas futurus esset, iratus, captato tempore, illam rapuit,
 anno regni Erichthei VIII^o, et filios ex ea suscepit, et sic
 51 a fabule lo|cum nomen iuvenis et regio adinvenit. Equos autem
 Dardani a Borea genitos ideo dici arbitror, quia possibile fuit
 Dardanum fama bonitatis equorum eius regionis tractum, 35
 misisse ibidem, et proletarios assumpsisse, quibus iunctis equa-

bus suis optimos atque veloces suscepit equos, quorum successores eius prolem semper post modum servavere; et hinc sumptum eos Boree filios extitisse.

CAP. LIX

De Zetho et Calay filiis Boree.

5 . Zethus et Calays filii fuerunt Boree et Orythie, ex quibus quoniam que leguntur communia sunt, ut de ambobus invicem scriberem necesse fuit, de quibus sic Ovidius: Illic et gelidi coniunx Orythia tyranni Et genitrix facta est, partus enixa
 10 gemellos, Cetera qui matris, pennas genitoris haberent. Non tamen has una memorant cum corpore natas, Barbaque dum rutulis aberat subnixa capillis, Implumes Calaysque puer Zethusque fuerunt. Mox pariter penne ritu cepere volucrum Cingere utrumque latus, pariter flavescere mali etc. Hos insuper
 15 testatur Ovidius cum Jasone et aliis Argonautis ad Colcos ivisse. Verum ut dicit Servius, cum a Phyneo rege Archadie, qui eo quod suasionem nove coniugis filios cecaverat, a diis cecatus et ipse fuerat, eique ut escas fedarent atque surriperent, arpye obscene aves fuerant apposite; suscepti hospitio remunerationis gratia ad expellendas aves Zethus et Calays, quoniam alati erant, missi sunt. Qui cum illas strictis gladiis persequerentur, ex Archadia pulsas usque ad insulas, que Plote appellantur, persecuti sunt. Ibi vero monitu Yris ut desisterent Jovis canes ulterius persequi, ad socios redierunt. Que iuvenum conversio nomen immutavit insulis, et ubi Plate dicebantur, Strophades dicte sunt, nam strophe grece, latine conversio dicitur. Hec ego de istis legisse memini; quid autem habeant sub velamine fictiones, detegendum est. Dicit ergo Ovidius
 20 hos post pueritiam pennas habuisse, pro quibus ego intelligo barbam et velocitatem, que in adolescentia hominibus veniunt. Circa autem allegoriam pulsarum ab his arpiarum, dico quod divino munere omnes boni nascimur, et sic prima mortalium coniunx bonitas, seu innocentia est. Sed tandem grandiores
 25
 30

effecti ut plurimum obiecta innocentia depravamur, et tunc
 secunda superinducitur uxor, cum quis concupiscibilis appet-
 titus iudicio se trahi permittit, quod in quam perniciosos
 deducat saltus, Phyneus testis est. Qui auri cupidine occupa- 5
 tus, dum avaritie credit, que secunda illi uxor fuit, filios privat
 51 b luminibus. Filii autem nostri laudabiles actus | sunt, quos
 tunc privamus lumine, cum illos obscenis operibus deturpamus.
 Quid enim turpius agere possumus, quam bonam mentem abi-
 cere, ut divitias acquiramus? Quod teste Seneca phylosopho,
 facete Demetrius potenti cuidam libertino dixit, Facilem scilicet 10
 sibi esse ad divitias viam, quo die penituisset bone mentis. Sic
 et nos ceci efficimur, quando ob census desiderium nimium in
 rapinas et turpia lucra delabimur. Apponuntur enim talibus
 arpye fede volucres atque rapaces, quas ego mordaces avaro- 15
 rum curas et sollicitudines intelligo, a quibus ideo avaris sur-
 ripti dicuntur dapes, quia dum talibus detinentur cogitationibus,
 avari in tam grandem sui oblivionem veniunt, ut etiam ali-
 quando cibum sumere efficiantur immemores, seu dum auri
 cumulum augere satagunt, sibi ipsis cibos extenuant et sua 20
 miseria fedos faciant. Argonaute qui apud hunc hospitantur,
 quoniam illustres omnes iuvenes fuere, et virtute conspicui,
 loco salubrium consiliorum summendi sunt, que et si egre sus-
 cipiantur a talibus, suscipiuntur tamen aliquando, et suscepta,
 loco muneris retribuunt boni inquisitionem, que secundum 25
 Fulgentium pro Zetho et Calay intelligitur. Hec autem boni,
 id est veritatis inquisitio agit, ut canes Jovis, id est mordaces
 cure et alienis bonis continue inhyantes pellantur usque ad
 Strophades id est usque ad conversionem animi perquirentis
 bonum. Que conversio esse non potest, nisi omissis viciis et 30
 concupiscentiis in virtutem quis egressus dirigat suos, et
 tunc remanet a sordibus desideriorum turpium immunis mensa
 Phynei. Sane Leontius longe brevius huius sensum expedit.
 Dicit enim hystoriam hanc fuisse talem: Phyneum ditissimum
 fuisse regem Archadie et avarum, et mortua Steneboe coniuge,
 ex qua Palemonem et Phyneum susceperat filios, superinduxit 35
 Arpalicem Boree filiam et sororem Zethi et Calay, cuius pre-

cibus ipse filios excecavit; quod scientes pyrrate, qui Plotas insulas incolebant, quasi in destitutum auxiliis et odiosum suis ob scelus commissum in filios venere, et obsederunt eum, et machinis erectis usque in regiam putrida sordesque iaciebant; tandem venientibus Zetho et Calay, vocatis cum longis navibus, eum liberaverunt obsidione, pyrratasque usque ad Strophades repulere.

CAP. LX

De Arpalice Boree filia et Phynei coniuge.

10 Arpalices, ut dicit Leontius, filia fuit Boree, ex qua matre non dicit. Hec Phyneo regi Arcadie nupta fuit, ut supra proximo patet, et infesta privignis.

CAP. LXI

De Zephyro vento et Affrico et Choro collateralibus, filiis Astrei.

15 | Zephyrus ventus est occiduus, qui a latinis vocatur Favonius, complexione frigidus et humidus, temperate tamen. Hye- 51 C
mem autem resolvit et germina floresque producit, et dicitur Zephyrus a Zephys grece, quod latine vita sonat. Favonius autem eo quod faveat germinantia vel faveat germinibus; flat enim
20 suaviter et placide a meridie usque in noctem, a principio veris usque ad estatis finem. A dextris eius Affricus ponitur, qui tempestuosus fulmina et tonitrua generat. A sinistris autem eius Chorus, qui, ut Beda dicit, in oriente nubilosum aerem facit, cum serenum faciat in occiduo. De Zephyro talis recita-
25 tur fabula. Nynpham fuisse scilicet nomine Clorim, a Zephyro dilectam, et in coniugem assumptam, eique ab eo in munus amoris atque violate pudicitie omne ius in flores concessum, eamque ex Clora Floram vocavit. Preterea refert Omerus in Yliade hunc Tyellam compressisse Arpyam, et ex ea Xanthum
30 et Balium Achillis equos suscepisse. Harum fabularum inten-

sio talis esse potest. Dicit Lactantius in libro Institutionum divinarum Floram feminam magnas ex meretricio quesisse opes, quarum moriens Romanum populum scripsit heredem, parte servata, que sub annuo fenore prestaretur, ex quo scilicet fenore voluit, ut suus natalis dies singulis annis editione ludorum celebraretur. Qui ludi Florales et sacra Floralia a Flora nuncupata sunt, quod quia senatui tractu temporis flagitiosum visum est, cum timore plebis retractare non posset, ab ipso meretricis nomine argumentum summi placuit, ut rei pudende dignitas adderetur, et inde finxerunt Floram floribus preesse, eam oportere ludis placare, ut fruges cum arboribus aut vitibus bene prospereque florerent. Quem colorem secutus Ovidius, nympham non ignobilem Zephyro nuptam et dotalitio munere, ut floribus presseet, accepisse a sponso. Qui ludi, ut dicit Lactantius, memorie meretricis conveniunt; nam omni lascivia et verborum licentia, quibus omnis obscenitas effunditur, positis flagitante populo a meretricibus vestimentis, que ludis in illis mymorum fungebantur officio, celebrantur. Ex Tyella autem Arpya equos suscepisse, nescio quid velit Omerus, nisi id forte, quod apud Olisbonem extremum Hyspanie in Occiduum oppidum equas facere consuevisse apud Plinium Secundum legimus. Quas dicit Plinius in concupiscentiam proles suscipien|de venientes hylco gutture consuevisse flantes Zephyros suscipere, et ex eis concipere et parere velocissimos equos brevi tamen evo valentes. Sic forsan ex equa cui nomen erat Thyella, que impetus seu procella interpretatur, factum est, vel ut supra de equis Dardani ex Borea conceptis diximus.

CAP. LXII

De Aloo Tytanis X^o filio.

Alous, ut ait Theodontius, filius fuit Tytanis et Terre, cui coniunx fuit, ut etiam Servius asserit, Yphymedia. Quam cum violasset Neptunus, duos ex eo peperit filios, Othum et Ephyaltem, quos Alous educavit ut suos, et cum novem digitis, ut dicit

Servius, singulis mensibus crescerent, parantibus Gigantibus bellum adversus Superos, nec ob senium Alous ad illud posset accedere, hos misit geminos adiutores, de quibus ubi de filiis Neptuni dicemus.

5

CAP. LXIII

De Pallene XI^o Tytanis filio, qui genuit Minervam.

Pallenem seu Pallantem unum fuisse ex filiis Tytanis dicit Paulus, insulamque in Egeo mari tenuisse, et a se denominasse Pallenem, hominem immanem et Superis adversum plurimum, cuius Lucanus meminit dicens: Pallenea Jovi mutavit fulmina cyclops. Hunc dicit idem Paulus a Minerva in bello adversus Jovem facto occisum, et ob id eam Palladem cognominatam. Et alibi dicit idem Paulus eum ob eius sevitiam ante bellum a Jove fulminatum. Sane Theodontius ei dicit
 15 fuisse filiam, nomine Minervam, a qua, cum illi conaretur virginitatem surripere, occisus est.

CAP. LXIV

De Minerva Pallenis filia.

Minerva, ut supra proximo patet iuxta Theodontium, filia
 20 fuit Pallantis, a se ob virginitatem tutandam occisi. Hec, ut Tullius dicit, ubi de Naturis deorum, inter plures alias Minervas V^a fuit, eique ait ab antiquis pinnata apponi talaria, seu quia occiso patre velox fuerit ad fugam, seu ob aliam causam factum sit.

25

CAP. LXV

De Runco et Purpureo XII^o et XIII^o filiis Tytanis.

Runcus et Purpureus, ut asserit Priscianus in maiori volumine, filii fuere Tytanis et Terre, quorum ait Nevium poetam

meminisse aientem: Inerant signa expressa quomodo Tytani bicorpores Athlantes Runcus atque Purpureus filii terras pro terre etc. Et Oratius in Odis ait: Aut qui minaci Porphyrion statu. De his autem aliud legisse non memini.

CAP. LXVI

5

De Lycaone XIII^o Tytanis filio, qui genuit Calystonem.

52 a Lycaonem Arcadie regem dicit Theodontius, quod nusquam alibi legi, filium fuisse Tytanis | et Terre, seu ob splendorem regium, seu ob insigne aliquod facinus, seu quod potius credo, quia nequam fuit homo et deorum spreter atque vilipensor, sicut plurimum legimus fuisse Tytanes. Ex eo autem talem refert Ovidius fabulam. Cum ascendisset in celum mortalium clamor quoniam omnia male agerentur in terris, voluit Iuppiter experiri presentia, et forma hominis sumpta devenit in regiam Lycaonis, egitque ut adverterent populi, quia deus esset in terris, qui cum sacris operam darent, a Lycaone risi sunt omnes. Qui tamen ut experiretur, nunquid ut dicebantur hospes suus Iuppiter esset, conspirassetque in nocturnam eius necem, nec peregissee potuisset, ad aliud facinus repente intendit animum, et occiso ex obsidibus Molossorum uno, undis partim, partimque prunis excoqui iussit, et illum comedendum Jovi apposuit. Qui cum cognovisset scelus sprevissetque cibum, ignem in regiam Lycaonis iniecit et abiit. Lycaon autem territus abiit in silvas, et in lupum versus morem rapine pristinum servare cepit, in greges seviens sanguinis aviditate. Sub hac fabula hystoriam esse talem dicebat Leontius. Fuit olim inter Epyros, ex quibus aliqui postea a Molosso Pyrri filio Molossi dicti sunt, et Pelasgos, qui postea Archades, controversia, de qua cum in concordiam itum esset, petiit Lycaon, qui tunc preerat Pelasgis, ut sibi in robur inite concordie daretur saltem obses unus ab Epyris, eo quod ab eis fuisset primitus exorta discordia. Cui a Molossis usque ad certum tempus iuvenis unus ex nobilioribus concessus est. Qui cum

10
15
20
25
30

non remitteretur in termino a Lycaone, per legatos gentis sue requisitus est. Lycaon autem, seu quia superbe requisitus videretur, seu ob aliam causam turbatus, eo quod pessimus esset homo et inflati animi, respondit legatis se in sequenti die obsidem redditurum, iussitque ut mane sequenti secum in convivio essent, et clam obside occiso atque decocto legatis aliisque convivantibus iussit apponi. Erat forte inter eos epulans iuvenis adhuc Lysanias, is qui postea Juppiter dictus est, homo ea tempestate apud Arcades existimationis permaxime, qui cum membra humana novisset, eiectis mensis turbatus atrocitate facinoris, prosilivit in publicum et in Lycaonem sibi faventibus popularibus omnibus evestigio conspiravit, et congregatis viribus eum | traxit in pugnam, superatumque regno fugavit. Lycaon autem deiectus exul et inops cum paucis fugit in silvas, et cepit itineribus insidiari et raptu vivere, quod fabule locum dedit, quod in lupum versus sit. Nam si rite velimus inspicere, nulli dubium esse debet, quin quam cito ad avaritiam et rapinam mentem apponimus, humanitate exuti, lupum e vestigio induamus atque tam diu perseveramus in lupum, quam diu talis appetitus perseverat in nobis, humana tantum reservata effigie. Dicebat insuper Leontius alios affirmare Lycaonem in verum lupum fuisse conversum, asserentibus talibus in Arcadia lacum fore, quem si quis transnatasset, illico transformabatur in lupum, et si a carnibus abstinuisset humanis, et anno nono transacto lacum eundem iterum transnatasset, ei forma pristina reddebatur. Quod sciens Lycaon et plurimum Jovis iram timens atque suorum, et ob suam perfidiam ignorans quo satis tutam posset habere latebram, ad expectandum absque suspicione vite rei exitum, lacum transnavit et verus lupus effectus, inter alia eiusdem speciei animalia, abitavit in silvis, relicta filia unica virgine Calistone. Preterea scribit Plinius in libro Naturalis hystorie, bellorum indutias huius Lycaonis inventum fuisse, ludorumque gimnicorum in Archadia.

52 b

CAP. LXVII

De Calystone filia Lycaonis et matre Arcadis.

Calysto filia fuit Lycaonis, ut satis per Ovidium patet. Hec, ut scribit Paulus, iam patre fugato inter rerum tumultum adhuc virgo, clam regiam exivit et aufugit ad nemora, ubi se virginibus Diane dicatis sociam iunxit, apud quas a Jove, in habitu transformato Diane, oppressa est. Et cum turgescente utero appareret crimen, pulsa peperit Arcadem. De quibus ambobus plene infra ubi de Arcade dicitur, et ea potissime, que a Leontio de fictione relata sunt. Sane hec pluribus est appellata nominibus. Nam grece Arthos dicitur, quod latine sonat ursa. Preterea et Elyce dicitur a giri circumitione, nam grece elyaci dicuntur giri. Nuncupatur etiam Cynosura, quod nomen ante duo fuerunt nomina, cynos scilicet quod sonat latine canis; nam ymago celestis, que postea ursa dicta est, canis dicebatur, et forte adhuc apud quosdam dicitur, et uros, quod latine silvestris bos sonat. Nam et eodem nomine dicta est, propter elevatam caudam ad semicirculi formam, quod magis ad silvestrem bovem spectat, quam ad canem faciat, aut ursam; nam sic ut dicitur, fert silvestris bos caudam | elevatam, ut semicirculum facere videatur. Appellatur et Phenix, sic volente Thalete inventore, qui Phenix et ipse fuit, seu quia Phenices, qui instructissimi fuere naute, ea in navigatione primi sint usi. Dicitur et Septentrio quod etiam Archadi, seu maiori urse nomen est, eo quod a septem denotetur stellis, nam tryon seu teron stella interpretatur.

CAP. LXVIII

De Gigantibus ex sanguine Tytanorum procreatis et Terra.

Gigantes, ut Paulus et Theodontius testantur, nati sunt ex sanguine Tytanorum et Terra, quod etiam testari videtur Ovidius, dicens: Obruta mole sua cum corpora dira iacerent,

Perfusam multo natorum sanguine Terram Immaduisse ferunt
 calidumque animasse cruorem, Et ne nulla sue stirpis moni-
 menta manerent, In faciem vertisse hominum, sed et illa pro-
 pago Contemptrix superum seveque avidissima cedis Et vio-
 5 lenda fuit: scires de sanguine natos etc. Hos Theodontius
 dicit pedes anguium habuisse et bellum movisse Jovi, ut pa-
 tres fecerant; verum nil ausus, donec Egla speciosissima mu-
 lierum et coniunx Panis a Terra matre eorum celaretur in specu.
 Qua occultata extemplo in deos fecere impetum atque eos
 10 adeo terruere, ut in Egyptum usque formis mutatis expellerent.
 De quibus sic dicit Ovidius: Emissumque ima de sede Tiphea
 terre Celitibus fecisse metum, cunctosque dedisse Terga fuge,
 donec fessos Egyptia tellus Ceperit et septem discretus in hostia
 Nylus. Huc quoque terrigenam venisse Typhea narrat, Et se-
 15 mentitis superos celasse figuris. Duxque gregis, dixit, fit Juppi-
 ter, inde recurvis Nunc quoque formatus Lybie est cum cor-
 nibus Amon. Delyus in corvo, proles Semeleia capro, Phele
 soror Phebi, nivea Saturnia vacca, Pisce Venus latuit, Cyllenius
 ibidis ales etc. Verum in aliquibus Theodontius et Ovidius
 20 dissentire videntur, cum Theodontius dicat a Gigantibus hoc
 factum, et Ovidius dicat Typheum ex imo terre venisse atque
 fecisse. Preterea et in formis deorum. Nam dicit Theodontius
 Jovem in aquilam versum, Cybelem in merulam, Venerem in
 anguillam, Pana autem se in fluvium fere totum deiecisse;
 25 superiorem vero partem que remansit in ripa in hyrcum mu-
 tatam dicit, que intravit fluviam in piscem, ex qua figura
 postea Jovem capricornii signum fecisse dicit. Tandem Jovem
 asserit oraculo habuisse, si victoriam vellet, clipeum ex Egla
 Panis coniuge tegetet, et caput suum Gorgone. | Quo facto
 30 presente Pallade, fugati sunt atque obruti Gigantes et apud
 Inferos a Jovi detrusi. Multa his dictis superdicenda veniunt,
 si fictionum velimus ambages resolvere. Sed ante alia non
 omnino fictum est fuisse Gigantes, idest homines forma, seu
 statura ultra modum ceteros excedentes, imo constat esse veris-
 35 simum et liquido his diebus apud Drepanum Sicilie appidum
 fortuitus demonstravit eventus. Nam cum in radicibus montis,

qui supereminet Drepano, haud longe ab oppido, nonnulli
agrestes ad construendam pastorem domum fundamenta fo-
derent, apparuit caverne cuiusdam introitus, quem cum visuri,
quidnam intus esset, faculis incensis fossores intrassent avidi,
antrum summe altitudinis atque amplitudinis invenere. Per 5
quod incedentes in oppositum introitus ingentis magnitudinis
sedentem viderunt hominem, ex quo terrefacti repente fugam
arripientes exivere antrum, nec ante tenuere cursum, quam
in oppidum devenissent occurrentibus quid viderant nuntian-
tes. Mirabundi autem cives visuri quidnam mali hoc esset, 10
incensis funalibus armisque sumptis, quasi in hostem unanimes
exivere civitatem, et ultra trecentos intravere specum, vide-
runtque non minus quam primi stupidi quem retulerant vil-
lici. Tandem proximiores facti, postquam non vivum esse homi-
nem norunt, viderunt sedentem quendam in sede, et sinistra 15
manu innixum baculo tante altitudinis atque grossitie, ut
excederet quemcunque pregrandis navigii malum. Sic et homi-
nem invise atque inaudite amplitudinis, nulla ex parte corrosum
aut diminutum. Et cum ex eis unus porrecta manu tetigisset
stantem malum, evestigio malus solutus in cinerem corruit, 20
remansit quasi veste nudatus baculus alter plumbeus ad ma-
num usque tenentis ascendens, et ut satis adverterunt, plumbum
erat ad augendam gravedinem malo infusum, quod postea pon-
derantes asserunt, qui viderunt, fuisse ponderis XV chintario-
rum Drepanensium, quorum unusquisque ponderis est librarum 25
comunium [centum]. Demum hominis statura tacta eque cor-
ruit, et in pulverem fere omnis versa est. Quem cum non nulli
tractarent manibus, tres dentes adhuc solidi comperti sunt mon-
struose granditie, ponderis autem erant trium rotulorum, id est
centum comunium unciarum. Quos Drepanites, in testimonium 30
comperti gigantis et sempiternam posteritate memoriam, filo
alligavere ferreo, et suspendere in quadam civitatis ecclesia in
honorem Adnuntiate Virginis edita, et eiusdem titulo insignita.
Preterea et partem cranei anteriorem invenere firmissimam
adhuc, et plurium frumenti modiorum capacem. Sic et os 35
alterius cruris, cuius et si ob annositatem nimia pars in pu-

tredinem devenisset, perceptum tamen in reliquo est ab his,
 qui totam hominis altitudinem ad mensuram cuiuscunque
 minimi ossis novere, eum fuisse magnitudinis ducentorum cubi-
 torum vel amplius. Suspiciatumque est a quibusdam ex pru-
 5 dentioribus hunc fuisse Ericem, loci potentissimum regem,
 Butis et Veneris filium, ab Hercule occisum et in eodem monte
 conditum. Quidam autem arbitrabantur Entellum, qui olim in
 funeribus ludis ab Enea pro Anchise patre editis pugno taurum
 occiderat. Alii vero unum ex ciclopibus, et potissime Poliphe-
 10 mum, de quo multa Homerus. Post quem de eodem sic scripsit
 Virgilius: Vix ea fatus erat, summo cum monte videmus Ipsum
 inter pecudes vasta se mole moventem Pastorem Poliphemum
 et litora nota petentem, Monstrum horrendum [informe] ingens
 cui lumen ademptum. Trunca manu pinus regit et vestigia fir-
 15 mat; Et post pauca sequitur: Dentibus infrendens gemitu gra-
 diturque per equor Jam medium, nec dum fluctus latera ardua
 tinxit. Et alia plura que ad magnitudinem Ciclopum desi-
 gnandam tendunt, et potius ad veritatem rei spectantia quam
 ad yperbolem, qua multi eo ibidem uti arbitrantur. Fuere igitur
 20 ingentes stature Gigantes, quod et sacra testatur pagina, ex
 quibus et si non huius tam mirande magnitudinis fuerint, duo
 saltem in eadem nuncupantur, Nembroth scilicet, qui turrim
 in deum excogitavit, et Goliath Phylisteus a Davit funda et
 lapidibus superatus. Hos tales Josephus, vir alias circumspetus
 25 et eruditus, existimavit, ut ipse in libro Antiquitatis Judaice
 scribit, ab Angelis Dei mulieribus mortalibus coeuntibus pro-
 creari; quod edepol ridiculum est, cum ingentium corporum
 causa sint sydera celique revolutio certa, qua etiam evo no-
 stro factum est, quod aliqui fere caput omne, vel amplius
 30 proceritate excederent etiam magnos corpore viros. Sane de
 his ego poetas non puto locutos, si mites fuerunt homines et
 humane viventes. Sed de his de quibus videtur intelligere in
 Saturnaliorum libro Macrobius, ubi dicit: Gigantes autem quid
 aliud fuisse credendum est quam hominum quandam im-
 35 piam gentem deos negantem, et ideo extimatam deos pellere
 de celesti sede voluisse? horum pedes in draconum volumina

desinebant, quod significat, nil eos rectum, nil superum cogitasse, totius vite eorum gressu atque processu in inferna mergentes etc. Huiusmodi ergo homines ex sanguine Tytanorum et Terra productos fuisse, non debet extraneum apparere homini erudito, cum persepe similis oriatur ex simili, et ob hoc Tytanorum superbiorum hominum rite superbos omnes, si non ex sanguine saltem ex moribus seu vitio filios possumus nuncupare. Quorum etiam nulla rectius dici mater potest quam Terra, iam a Macrobio ratione monstrata, tales scilicet nil superum, id est celeste, nil sanctum, nil iustum cogitant, omnis vite eorum progressus ad terrena et inferiora demergitur. Attamen hos tales, seu quos tales appellamus, bellum habuisse cum Jove homine Cretensium rege non omnino fabulosum est. Constat enim ex hystoriis antiquis, Jovem duo insigna gessisse bella, primum cum Tytanis, ut parentes vinculis detentos liberaret, secundum cum ipso patre suo Saturno, mortem eius, testante Lactantio, moliente et hoc Giganteum bellum dictum est, et secundum quosdam apud Flegram Thesalie agrum conflictum est, et victus atque fugatus Saturnus. Quod autem oraculo Egle corio clipeum tegere illi imperatum sit, et caput suum Gorgone | et Egles a terra in specu abscondita, intelligo quia subsidio gregum et armentorum, in quibus consistebant substantie veterum, que per Eglam, que idem sonat quod capra, intelliguntur et agrorum fructus, quos occipio pro Gorgone, sumptus bellorum maximi sustentati sint; et sic Jovis clipeum tectum, id est defensionem habitam, et caput coopertum, id est consiliis ad oportuna fulcitum. His autem cessantibus scilicet fructibus substantiarum Egles dicitur abscondita, et tunc audent hostes in hostem insurgere quasi adversus inermem. Tantum his existentibus et Pallade, que pro militari disciplina intelligenda est hic, in victoriam itur. Quod autem in Infernum mersi sint, humiliari atque deici superbiorum proterviam ostendere voluere fingentes. Huic tamen bello Gigantum multa superadduntur hic non apposita, eos scilicet montes montibus imposuisse, ut in celum ascenderent, et alia quedam fecisse, que referenda sunt ad actus bellantium. Erigunt quidem arces

et inponunt montibus turres, ut celum, id est regnum hostis
 occupent, que omnia tandem a victore deiciuntur, ut a Jove
 factum est. De hoc Gigantum bello atque Superum videbatur
 Varro aliter opinari; dicebat enim hoc fuisse cum cessasset
 5 diluvium, dicens aliquos in diluvio cum utensilibus omnibus
 confugisse in montes, qui lacessiti postea bello ab aliis, qui de
 aliis descenderant montibus tanquam superiores venientes
 facile repellebant; unde fictum est, superiores deos esse, in-
 feriores vero terrigenas; et quia ex vallibus ad summa scan-
 10 dentes premissa pectore, quasi reptare viderentur more ser-
 pentum, dictum est eos serpentum habuisse pedes. Quod autem
 metu Typhei in Egyptum mutatis formis aufugerint dii, aliud
 sentit quam hystoria vel moralitas. Nam pro Thyphæo, qui Terre
 fuit filius, terra ipsa intelligenda est, et potissime ea pars, que
 15 a nobis septentrionalibus incolitur, a qua dii, id est sol, per
 quem, ut Macrobio placet in libro Saturnaliorum, reliqua
 deorum multitudo intelligenda est, tunc fugiunt quando ab
 equinoctio autumnali versus antarticum polum sol incipit de-
 clinare, quia tunc elongatur a terra sol, scilicet a regione
 20 nostra qui septemtrionales sumus, et tendit in Egyptum, id
 est in austrum, seu ad regiones australes. Deos autem formas
 mutasse, forte potius ad ornatum fictionis appositum est, quam
 ob aliam causam. Nam, ut dicit Augustinus, ubi De civitate
 dei: Non omnia que gesta narrantur, | aliquid etiam significare 53 b
 25 putanda sunt, sed propter illa que aliquid significant, et ea
 que nichil significant attextuntur. Solo enim vomere terra pro-
 scinditur, sed ut hoc fieri possit, etiam cetera aratri membra
 sunt necessaria; et soli nervi in citharis atque huiusmodi
 vasis musicis aptantur ad cantum, sed ut aptari possint insunt
 30 et cetera in compagibus organorum que non percutiuntur a
 canentibus, sed ea que percussa resonant huic connectuntur.
 Hec Augustinus. Et ob id esto ad intentum minime spectet,
 ne videamur evitasse laborem, quid in illis formis sensisse
 potuerint, annectamus. Dicit ergo Ovidius, Jovem mutatum in
 35 Arietem, ut in hoc Jovis naturam demonstret. Est autem aries
 mansuetum et benignum animal, nemini si in quiete permictatur

sua infestum. Preterea utile plurimum, nam ad procreandam prolem maxime pecudum gregi solus sufficit, et insuper non solum vir gregis est, sed dux etiam; nam si absit pastor ipse, se pastorem pecoris previum offert, illudque itinere recto reducit in caulas. Que Jovi convenire videntur inter alia multa. Est autem planeta benignus et mitis, nisi coniunctione alterius depravetur; est similiter utilis, quia maturos fetus mulierum movet ad exitum et emittit in lucem, omnesque iuvat ut ipsum nomen sonat; sic et dux gregis, id est rex, et dominus deorum, ut omnis gentilitius error affirmat. Solem autem ideo in corvum versum reor, ut eque ex proprietatibus solis demonstretur una; corvum enim habere vim quandam presagiendi credidere veteres, et ideo quia sol divinationis dictus est deus, ut ubi de Apolline dicitur, eidem corvum consecravere, qui, ut dicit Fulgentius, solus inter aves habet LXIII^{or} vocis mutationes, quam ob causam auguribus antiquis erat in auguriis captandis avis gratissima. Bachum in caprum mutatum, hyemali tempore convenit, nam vinum, id est Bachum, a frigore hyemis coactum, in se vires colligit suas; et cum minoris virtutis videatur quam sit, agente frigore facilius potatur a stultis; verum postquam potatum est, calore auctum stomachi extenditur, et more hyrci ad sublimiora tendit agitque, ut calefacti homines animosiores efficiantur, et ad celsiora contendant. Quod autem luna in Phelem, id est in dammam mutata sit, ut eius designetur velocitas dictum est, cum sit damma velocissimum animal, nec illi ad defensionem sui telum aliud quam fuga concessum sit a natura, et sic luna inter planetas velocissima est. Junonem autem in candidam mutatam vaccam ideo voluere, quia vacca fertile sit animal, et sic terra, quam Junonem aliquando volunt; et ideo candida, quia hyeme nivibus tegatur. Quod Venus piscis effecta sit, | eius grandis humiditas, seu quod humiditate vigeat Venus ostenditur. Mercurius autem ybis factus dicitur, eo quod ciconia sociabilis avis sit, ex quo Mercurii convenientia cum omnibus designatur, et uti serpentum hostis ciconia est, sic astutiarum dissipator Mercurius. Secundum autem Theodontius Juppiter in aquilam versus est,

ut per aquilam, que altius ceteris avibus volat, eius sublimes
intelligantur effectus. Cybelem vero in merulam ideo versam
puto, quia cum Terra sit, et merula sit avis volans continue
circa terram, ut Terra per merulam designetur. Per anguil-
5 lam | autem in quam Venerem versam dicit, eius Veneris lubri- 53 d
cum accipiendum est. Per Pana autem in hyrcum in superiori
sui parte versum, et in pisces in inferiori, intelligo orbem
totum cui natura rerum, id est Pan, preest, et qui in superiori
parte id est terra, que aqua superior est, et yrcos et animalia
10 cetera pascit in inferiori autem parte, id est aqua, ideo piscis
fingitur, quia pisces producat et nutriat. Sed cum iam omnis
Tytania proles expedita sit, libello huic finem etiam faciemus.
Genealogie deorum gentilium liber III^{us} explicit.

| GENEALOGIE DEORUM GENTILIUM SECUNDUM JOHANNEM BOCCACCIUM DE CERTALDO LIBER QUINTUS INCIPIT FELICITER.

54 a

5 In arbore signata desuper ponitur in radice Celius, eo quod pater fuerit Jovis secundi, cuius proles et si non omnis, nam Dardanus in librum alium hunc sequentem reservatur, in hac arbore tam in ramis quam frondibus describitur.

Prohemium.

10 Nondum plene finieram superbam Tytanis prolem in medium trahere, et ecce, qui adeo circa principium impetuose ab imo usque commoverant equora, quasi in antrum Eoli revocati imperio abiissent, venti quievire omnes, et turgidum hactenus velum, languidum exahustumque adhesit malo. Quod ego prospectans, adverti illico, quia esset paululum quiescendum. Nec mirum! Quid, si fulminando Juppiter fatigatus est,
15 de me scribendo scelesti generis elatos mores poterit arbitrari discretus? Progredior ergo in litus, conscendo tumulum, visurus, quonam me vehemens liquisset spiritus; dumque in circum oculos volvo, Atticum sub pedibus habere solum cognovi, avidusque in circumitu cuncta passim videre, non ordine certo
20 intuebar, quin imo, ut memoria representabat preterita, sic nunc huc nunc illuc oculos impellebam. Et summos primo aliquandiu Arcadum montium consideravi vertices et nemo-rosa declivia, mecum dicens: Hos incoluit Mercurius puer, per illa ducebat Diana choros, discurrebat Athlas, et parvus

adhuc Parthenopeus consuevit agitare cervos, in illis Calysto
 latuit virgo. Inde repente revolutus in litus, aspexi non dicam
 Athinas, sed earum dum fere consumptum parvumque vesti-
 gium intuerer. Risi nostre mortalitatis insana iudicia, quibus
 decepta vetustas, dum illas futuras perennes arbitraretur, 5
 primo deos in litem nominis imponendi traxit, inde eas voca-
 vit eorum sententia immortales; nunc, paucis elapsis seculis,
 ruinis suum finem venisse testantur. In mortem profecto nos
 et nostra corruunt omnia celeri passu. Attamen, quantumcunque
 exinanita civitas imo potius civitatis bustum esset, memorari 10
 cepi quanta phylosophorum atque poetarum luce, quanto stu-
 diorum omnium decore, quanta regum ducumque gloria, quanta
 insignis potentia, quanto victoriarum fulgore splendida iamdu-
 dum fuerit, et exhorruī videns omnia | sub turpi ruinarum
 tam templorum quam edium tumulo deiecta iacere. Ab hac 15
 tandem me consideratione retorsit biceps fere in conspectu po-
 situs Parnasus, plurimo celebris carmine et vatum redolens
 laureis, atque vetustissimum et suave Musarum hospitium;
 quem dum quadam mentis veneratione conspicerem et deserto
 fonti Castalio compaterer, vidi antiqui hostis decipulam vete- 20
 rem, antrum scilicet Apollinis Delphyci, ex quo prodeuntes
 ambages et perplexa responsa in se, tanquam in Caribdim
 cuncta sorbentem, et in baratrum perditionis perpetue dimit-
 tentem, tam diu gentilium infelices animas contraxere; tamen
 mutum et elinguem, non aureis ornatum statuīs, non preciosis 25
 cōruscum lapidibus, sed varia fere totum serpentium radicum
 circumplexione contectum, sic sacro volente lumine, quod non
 implicitis vocibus, sed sanctorum qui, a seculo sunt, prophe-
 tarum eius, futuris sacra misteria expectate salutis eleganti
 patefecit eloquio. Ab hinc in Thebas Boetias haud longinquas 30
 a loco se flexit intentio, quas apud, dum inter ruinarum tu-
 mulos, et ingentia veterum edificia, turpi lapsu squalentia, Bachi
 et Herculis oculo mentis exquiro cunabula, tetrus odor tabis
 illisi in saxum Learci, truncati Pentei, discerpti Actheonis et
 germanorum vulnerum me in partem impulit alteram, et in 35
 Lacedemonam usque protendens aciem, nedum Agamenonias

arces et execrabilem decorem Helene sacrasque Lygurgi leges
 cernerem et imperii pregrandis insignia, sed vix locum, ubi
 consererit oculus alter Grecie, cognoscere potui. Et ob id in
 5 excedentem fere sydera Corinthiam arcem oculos dedi, Lace-
 demonis memor et Sysiphi. Sed quid multa? Dum sic distrahor,
 clementissime princeps, sensi restaurari vires, quas pridianus
 labor obtuderat, et me ad ceptum revocari iter ab aura tenui.
 Quam ob rem, omisso tumulo, quasi futuri itineris premonitus,
 parvam reintravi naviculam, et eius invocato nomine, qui iam
 10 dudum in suave vinum insipidas vertit aquas in Chana, se-
 cundi Jovis insignem scripturus prolem, flatibus velum dedi.

CAP. I

De Jove secundo Celi nono filio, qui genuit filios quindecim, quorum
 prima <Diana>, II Apollo, III Titius, IIII <Bachus>, V Amphyon,
 15 VI Zethus, VII Calatus, VIII^a Pasithea, IX^a Egiales, X^a Euprosinne,
 XI Lacedemon, XII Tantalus, XIII Hercules, XIII^a Minerva,
 XV Arcas.

| Supra de Celo libro tercio dictum est, cuius fuisse filium 54 c
 Jovem secundum testatur Tullius in libro de Naturis deorum,
 20 eumque dicit in Arcadia natum, ex qua tamen matre non
 dicit. Huius et si credam grandia fuisse facinora, absque
 quibus non potuisset tam insigne meruisse cognomen, pauca
 tamen ad nos usque fama, seu veterum monumenta duxere, et
 si qua forsitan pervenere, non satis certum est, an sua, an
 25 potius primi vel tercii fuerint Jovis. Verum que pauca huius
 fuisse Theodontius asserit, explicabo. Vult igitur Theodontius
 hunc insignem fuisse hominem, primo apud suos, et ibidem
 ob opposita a Lycaone Arcadum rege in convivio humana
 membra, Lycaonem vicisse prelio, regnoque privasse, et tunc
 30 primo cepisse vocari Jovem ob iustam de iniquo rege ultionem
 sumptam. Hunc tamen Leontius Lysaniam supra, ubi de Ly-
 caone, vocat, quem primum fuisse Jovem et Atheniensium
 regem diximus; et ob id quid dicam non habeo, nisi ut istas

adeo inter se discrepantes opiniones prudentior me, si queat, in concordiam redigat. Post hec dicit Theodontius, hunc se Athenas transtulisse et ibidem in culmine fuisse permaximo, et ob stupratam Latonam adversus Ceum ingens habuisse bellum, eoque superato maxima cum gloria, Athenas rediisse, Jovique primo bovem immolasse, et multa ad laudabilem civilitatem spectantia apud Athenienses instituisse; quibus agentibus causis, Juppiter communi hominum consensu vocatus est. De tempore non constat. Sunt tamen qui credant eum Cycropem Atheniensium regem primum fuisse, sed ab hoc vulgata discordat opinio, cum Cycrops fuerit Egyptius, et Juppiter Archas. Alii vero antiquiorem dicunt, nec tamen ullus precisum tempus apponit, et ideo omittamus.

CAP. II

De < Diana > prima Jovis secundi filia.

Diana, omnium fere testimonio poetarum, Jovis et Latone fuit filia, et eodem partu cum Apolline edita, ut supra ubi de Latona monstratum est. Hanc veteres insignem virginitate perpetua voluere, et quoniam spreto hominum consortio silvas inhabitaret, venationibusque vacaret, eam arcu pharetraque accintam describere, et nemorum montiumque dixere deam, curruque uti voluere a cervis tracto, et nynpharum societate atque officiis et obsequio uti. De qua sic Claudianus ubi de laudibus Stylliconis: Dixit et extemplo frondosa fertur ab Alpe Trans pelagus, cervi currum subiere iugales, Quos, decus esse dee, primi sub lumine celi Roscida fecundis concepit luna cavernis, Par nitor intactis nivibus, frons discolor | auro Germinat, et spatio summas equantia fagos, Cornua ramoso surgunt pro-cera metallo. Opis frena tenet etc. Et paulo infra sequitur: Sexum nec cruda fatetur Virginitas, sine lege come, duo cingula vestem Crure tenus pendere vetant; precedet amicas Flava Leonthademe, sequitur nutrita Lyceo Neuopene telisque domat que Menala thoro, Ignea Cretea. properat Bythomartis

ab Yda, Et cursu Zephyris nunquam cessura Lycaste. Iungunt
 se gemine metuenda feris Agapente, Et soror optatum numen
 venantibus Opis, Progenies Scythye, divas nemorumque poten-
 tes Fecit Yperboreis Delos delata pruinis. He septem venere
 5 duces, exercitus alter Nynpharum incedunt, acies formosa
 Diana etc. Ait et hic idem: Opis frena tenet, fert retia rara
 Lycaste, Auratasque plagas etc. Hanc insuper viarum voluere
 presidem, et una cum luna multis vocavere nominibus. His
 igitur premissis, advertendum est que per ea sentienda sint.
 10 Fuit hec profecto femina Jovis hominis et Latone filia, et
 possibile est eam viraginem quandam fuisse, ut nonnulli sunt,
 omnino hominum abhorrentem consortium, et sic virginitate
 perpetua claruisse, et venationibus dedisse operam. Et cum
 hec lune convenire videantur, que suo frigore habet venereas
 15 frenare concupiscentias, et nemora montesque nocte suo lustrare
 lumine, ei ad lunam spectantia, tanquam si ipsa luna esset,
 iniunxere, seu ipsam potius insipidi credidere, eo modo quo
 supra sepius de quibusdam aliis dictum est. Et quoniam de
 his, ubi de luna nil fere dictum fuit, paululum latius prose-
 20 quemur. Accingitur ergo Diana arcu et pharetra, ut per hoc
 intelligatur luna et ipsa radiorum iaculatrix, qui loco sagittarum
 intelligendi sunt, et ideo sagitte, quia non nunquam nocui
 atque pestiferi. Nemorum montiumque ideo dea dicta est, quia
 lune videatur esse plantas herbasque suis humiditatibus fecun-
 25 dare, et in virorem servare, et etiam incrementa prestare. Cur-
 rus autem ideo illi additur, non solum ut ex hoc celi circu-
 mitio assumatur quam etiam velocius ceteris planetis peragit,
 quin imo ut et montium atque nemorum circumitiones venan-
 tium designentur. Qui a cervis idio trahi dicitur, eo quod a sil-
 30 vestribus animalibus venantium desideriam trahi videatur.
 Candidi autem ideo apponuntur, quia albedo inter colores lune
 a physicis tribuatur. Quod nynphas habet socias, accipi debet
 pro humiditate continua, qua habundat, cum nil aliud nynpha
 sit quam aqua, aut complexio humida, ut infra ubi de nyn-
 35 phis | clarius apparebit; quod nynphis sint officia attributa, ad
 decorem fictionis appositum est, seu velimus dicere humiditates

obsequium prestare influentiis lune. Viarum vero presidem ideo voluere, quia lumine suo nocturnas vincens tenebras illas reddit viatoribus expeditas, seu quia vie sint Diane virgini in sterilitate similes. Dianam vero vocari voluere, ut dicit Rabanus in libro de Origine rerum, quasi duanam, eo quod nocte et die appareat, et sic deservire videtur ambobus. Sed Theodontius aliter, ut alias dictum est; luna enim planeta iste vocatur quando de sero lucet, Diana autem, dum luce sua tendit in diem, et tunc est venationibus aptior et viatoribus; et virgo ille tunc dicitur, quia post excursum medium celi circulum, plantis nec affert nutrimentum validum, nec de novo plantatis prestat utile incrementum, uti facit dum in oppositum fertur discedens a sole. Cinthia autem dicta est a Cinthio monte, in quo precipue colebatur; de reliquis alibi dictum est.

CAP. III

De Apolline II^o Jovis secundi filio, qui XVI inter filias et filios genuit, quorum hec sunt nomina: prima Lapitha, II^a Eurinomes, III Mopsus, IV Lynus, V Phylistenes, VI Garamas, VII Brancus, VIII Phylemon, VIII Orpheus, X Aristeus, XI Nomius, XII Auctous, XIII Argeus, XIII Esculapius, XV^a Psyce, XVI Arabs.

Apollo eque Jovis et Latone fuit filius et eodem enixus cum Diana partu, ut prehabitu est, ubi de Latona. De hoc multa narrantur, que forsan non minus aliena fuere quam sua, cum preter eum tres alios fuisse Apollines scribat Cicero. Verum quoniam in hunc omnes sese inclinant poete, quasi solus ipse fuerit Apollo, et ob id que aliorum fuerint, non satis apparet, in hunc omnia deferre necesse est. Dixere ergo post nativitatis sue fabulam, hunc divinitatis et sapientie deum et medicine artis repertorem. Preterea dicunt eum Cyclopes interemisse, et ob id, aliquandiu privatum divinitate, armenta Admeti regis Thesalie pavisse. Voluere insuper, cum illi cytharam donasset Mercurius, eum Elyconicis preesse Musis, ut eo scilicet lyram tangente Muse canerent. Similiter et im-

berbem dixere, atque laurum arborem, et Yperboreas gryphes, et corvum, et buccolicum carmen illi sacrum fecere. Multisque illum vocavere nominibus, et plures illi filios ascripsere; longa fictionum series hec est, quarum si velimus sensum
5 excerpere, ante alia advertendum est; | quoniam aliquando eum hominem, ut fuit, aliquando solem intelligamus necesse est. Fuit igitur hic homo et secundi Jovis filius ex Latona, ut sepius dictum est. Verum Tullius, ubi de Naturis deorum, dicit eum Jovis Cretensis fuisse filium, et ab Hyperboreis
10 montibus venisse Delphos. Et si sic esset, multa frustrarentur ex dictis supra. Verum, salva semper Ciceronis reverentia, ego istud non credo, cum dicat Eusebius in libro Temporum Apollinem et Dianam ex Latona natos, regnante Argis Steleno, regnique eius anno IIII, qui fuit annus mundi III dcc xi, cum
15 longe post per eiusdem Eusebii scripta comprehendatur Jovem Cretensem fuisse. Theodontius vero dicit istum Jovis secundi fuisse filium, et apud Arcades regnasse, eisque novas adinvenisse leges, et Nomium fuisse vocatum, et ob severitatem nimiam legum a subditis regno fuisse pulsum, et ad < Admethum > regem Thesalie confugisse, atque ex concessione
20 Admeti quibusdam secus Amphrisium flumen populis imperasse, ex quibus nata fabula est, quod ob occisos Cyclopes divinitate privatus Admeti paverit armenta. Sane dicit idem Eusebius Apollinem ex Latona natum, non eum fuisse a quo
25 consueverunt antiqui responsa suscipere, sed eum qui servivit Admeto, et sic ille, ut dicit Tullius, qui Delphos ex Hyperboreis venit, filius potuit esse Jovis Cretensis. De nativitate autem huius et contingentibus circa eam, multa in precedentibus, ubi de Latona, dicta sunt, et longe plura legi possent
30 per Macrobius in libro Saturnaliorum scripta, que profecto utilia sunt, nec tamen multum a scriptis desuper discrepantia; et ideo non apposui. Fuit insuper hic, ut Theodontius asserit, primus qui vires herbarum noverit, et ad oportunitates hominum earum virtutes adaptaverit, et ob id non solum medicine
35 repertor habitus est, sed deus, cum egrotantes plurimi ex suis remediis sanitatem consequerentur. Et quoniam ipse pulso-

rum hominum concordantias repperisset, illi a Mercurio numerorum atque mensurarum principe cytharam concessam dicunt, volentes intelligere, uti per diversas cythare voces ex diverso fidium tactu surgentes una fit melodia, si rite tangatur, sic ex diversis pulsuum motibus, si rite ordinati sint, quod ad medicum spectat, una fiat sanitatis bene dispositi corporis concordantia. Et quoniam, visis egritudinum signis, multis mortem, et multis etiam sospitatem prediceret, divinationis illi deitas attributa est. Et sic illi laurus et corvus dicati sunt, cum ut alias dictum est, si lauri frondes dormientis capiti alligentur, somnia eum visurum | vera predicent, que divinitatis est species. Sic et corvum, ut etiam dictum est, habere LXIII vocum mutationes, ex quibus optime augures futura se comprehendere asserebant, quod etiam ad divinationem designandam apponitur. Albericus insuper dicebat ob id fictum eum occidisse Phitonem, quia Phytion fidem auferens interpretetur, que oblatio fidei tunc de medio tollitur, cum veritatis claritas referatur, quod per solis lumen efficitur. Sed tunc planeta est, non homo, per quem etiam, ut mathematici asserunt, multa futura mortalibus demonstrantur. Sapientie autem ideo deus est habitus propter consilia, que salubria circa morbos dabat poscentibus, preterea quia ubi de sole intelligatur, lumine suo vitanda demonstrat ac etiam imitanda, quod sapientis est. Imberbem autem solem planetam dicunt, quia semper iuvenis tanquam omni die novus exoriens. Lyra canere et Musis preesse eum ideo voluere, quia putaverint eum celestis melodie moderatorem et principem, et inter VIII sperarum circumitiones varias, tanquam inter VIII Musas notitia et demonstratione earundem modulos exhibentem. Nunc de nominibus. Dicitur Apollo, quod, ut ait Fulgentius, perdens interpretatur, et ideo Ethyopum quidam sunt populi, qui eum surgentem totis affectibus execrantur, eo quod fervore suo nimio apud eos cuncta disperdat; et hinc est, ut dicit Servius, quod Porphyrius, in eo libro quem Solem appellat, dicit, Triplicem esse Apollinis potestatem, eum scilicet apud Superos esse Solem; Liberum patrem in terris, et Apollinem apud Inferos, et inde tria, in-

signa simulacro eius ab antiquis apposita, lyram scilicet, pro qua celestis armonie ymaginem voluere, clipeum quo eum terre numen intelligi sensere, et sagittas quibus infernorum deus et noxius iudicatus est; et ob id Omerum dixisse videtur eundem tam pestilentie quam salutis autorem. Quod etiam sensisse videtur Oratius in Carmine seculari, dum dicit: Condito mitis placidusque telo Supplices audi pueros, Apollo etc. Vocatur et insuper Nomius, quod latine pastor sonat, inde sumptum quod pastor fingatur Admeti; et ideo tanquam pastori buccolicum illi carmen consecratum est, quia pastorale carmen est. Cynthius autem dicitur a Cynthio, in quo diligentissime colebatur.

CAP. IV

De Lapyta prima Apollinis filia.

Lapyta, ut Ysidoro placet in libro Ethymologiarum, filia fuit Apollinis, esto Papias virum fuisse testatur. Ab hac autem, ut Rabanus asserit, Lapyte populi Thesalie dominati sunt. Indicium quidem est | non parvi momenti, hanc scilicet insignem fuisse mulierem, postquam ab ea egregii denominati sunt populi. Quod autem Apollinis fuerit filia verum esse potest, tanquam hominis, si autem tanquam solis, ob formositatem, vel sapientiam, vel augurandi peritiam fictum arbitrari potest.

55 d

CAP. V

De Eurimone Apollinis secunda filia.

Eurimonem Paulus Perusinus affirmat Apollinis fuisse filiam, eamque Thalaoni nuptam, ac eidem Adrastum Argivorum regem, et Euridicem Amphyrai postea coniugem peperisse.

CAP. VI

De Mopso III^o Apollinis filio.

Mopsus, dicit Theodontius, filius fuit Apollinis et Ymantis, Iasoni summa atque fida amicitia iunctus, ut testatur Staius: 5
 Sapius in dubiis auditus Jasone Mopsus. Hic, ut placet Lactantio, divinandi peritissimus fuit et Gryneo nemori, ubi Apollinis oraculum erat, prefectus, ut ait Servius. Fuit enim homo evo suo venerabilis adeo, ut illi post mortem templa dicata sint, et ex eorum abditis a petentibus accepta responsa. Paulus autem dicit non Ymantis fuisse filium, sed Manthonis, filie 10
 Tyresie Thebani. Hunc preterea dicit Pomponius Mela Phase- lim civitatem in finibus Panphylie condidisse; nec multo post asserit idem Pomponius Manthonem fugientem Thebarum victores, Clarii fanum apud Lybedos Yonas statuisse, Caystro flumini proximum. Nec longe ab eo Mopsum eiusdem filium 15
 Colophonem condidisse. Eusebius autem dicit Mopsum apud Cilices regnasse, regnante Agamennone Mecenis, et ab eo Mopsicrene et Mopsistie dicti. Dicentibus Manthonem huius fuisse matrem, adversantur dicentes Manthonem post Thebanum bellum in Ytaliam transmigrasse, et in Cisalpinam 20
 Galliam devenisse.

CAP. VII

De Lyno IIII^o Apollinis filio.

Lynus, ut scribit Lactantius, ex Psamata filius fuit Apollinis, ex quo talem recitat fabulam. Quod cum interfecisset 25
 Apollo Phytone serpentem, et perquireret cedis acte piacula, a Crotopo rege Argivorum in domum susceptus est, ubi clam cum Psamata virgine et eiusdem Crotopi filia concubuit. Que cum concepisset et tempore debito secus Nemeum flumen occulte peperisset, filium illum Lynum appellavit, eumque 30
 ut placet aliquibus, exposuit, et sic repertus a canibus devoratus est. Alii vero dicunt, quia illum pastori cuidam alendum

tradidit, tamen dum quadam die incuria pastoris parvulus iaceret in herba, a canibus devoratus est. Quod Staius | testari 56 a
videtur dicens: Irradiant medio Lynus intertextus acanto
Letiferique canes etc. Apollo autem iratus filium fuisse a canibus devoratum, regioni monstrum immisit, cuncta devastans,
5 quod postmodum Corebus occidit. Arbitror fictioni huic causam dedisse aliquod pestiferum animal, quod forte eo tempore apparuit, quo puer iste a canibus discerptus est; quod cum impium visum sit, eo dictum monstrum immisum. Fuit in-
10 super et alter Lynus, qui Apollinis filius fuit, et in musica mirabilis habitus est, de quo Virgilius: Non me carminibus vincet nec Treycius Orpheus nec Lynus etc.

CAP. VIII

De Phylistene V^o Apollinis filio.

15 Phylistenes, ut Servio placet, Apollinis ex Cantilena filius fuit, quem ait Oaxem oppidum in Creta insula condidisse, et ex suo nuncupasse nomine, unde Varro: Quos magnos Cantilena partus adducta dolore Et genitus cupiens dolorem Oaxida palmis Scindere etc. Si ergo Oaxidem suo nomine
20 appellavit binomius de necessitate fuit. Ego existimo eum cantu valuisse, et inde tam Cantilene quam Apollinis filium a poetis fictum.

CAP. IX

De Garamante VI^o Apollinis filio.

25 Garamas, ut Rabanus ait in libro de Originibus rerum, filius fuit Apollinis, et ab eo, ut idem ait, Garamantes Ethyopie populi nuncupati sunt, et Garama oppidum apud Ethyopas constructum. Hunc ego ideo Apollinis filium fictum reor, quia ibidem imperavit, ubi profecto nimio estu sol omnia fere perimat, quas quia sedes elegit tanquam sterilitate et estu delectatus, filius Apollinis habitus est.
35

CAP. X

De Branco VII° Apollinis filio.

Brancus, ut ait Lactantius, Apollinis fuit filius, ex filia
 Jouis et Sucronis coniuge susceptus. Cuius talis est fabula,
 secundum Varronem, in libro Rerum divinarum. Cuius quidam 5
 Decimus ab Apolline genus ducens, cum peregrinando
 pranderet in litore, ac deinde forte minus sobrius proficisce-
 retur, oblitus, Sucronem filium puerum dereliquit. Qui Sucron,
 patre perduto, errans pervenit in saltum cuiusdam Jouis,
 receptusque cepit cum pueris illius capras in pascua ducere; 10
 contigit eos cignum capere, quem cum veste texissent, pueri
 pugnabant inter se, quisnam illum patrono muneris loco
 deberet offerre. Tandem fatigati certamine, reiecta veste, loco
 cigni compererunt mulierem, quo eventu territi, cepere fugam,
 56 b verum revocati ab ea moniti sunt, Joui | patrono suo dicerent, 15
 ut Sucronem puerum coleret. Illi vero et que contigerant, et
 que audiverant patrono recitant; tunc Jouis miratus, Sucro-
 nem habere loco filii cepit, eique filiam suam locavit uxorem,
 que, cum pregnans esset, vidit per quietem solem per fauces
 suas intrasse et exisse ex ventre. Post hec editus est filius, 20
 quem Brancum vocaverunt, qui cum Apollinis malas deoscu-
 latus fuisset, ab eo captus coronam accepit et virgam, cepitque
 vaticinari, et subito nusquam comparuit. Post hec illi templum
 ingens constructum est, quod Branchiadon nominatur, et
 Apollini Phylesio ob hanc rem consecrata sunt templa, que 25
 ab osculo Branchidis, sive certamine puerorum Phylesia nun-
 cupantur. Alibi vero scribit Lactantius Brancum fuisse Thes-
 salum adolescentem ab Apolline dilectum, quem interfectum
 acriter dolens sepulcro sacrauit, et templo et ibidem Bran-
 chiades Apollo dicitur. In precedenti fabula pueri, idest ignari, 30
 cignum capiunt, id est futuri vatis augurium; nam cignus avis
 soli dicatus est, eo quod propinquam sibi mortem precogno-
 scat et suavissimo cantu predicet. Ex augurio autem sumpto
 in loquacitatem itur, et ideo in mulierem, que loquax animal

est, cignum versum fingitur; ex hac loquacitate fit, ut Sucron carior efficiatur patrono, eiusque deveniat gener, videatque in somnis coniunx pregnans solem per guttur eius intrantem, id est celestem influentiam ad producendum procreatum aptum
 5 vaticinio, quod per solem intelligitur, qui demum ventrem egreditur, dum nascitur, qui Apollinis tunc mala deosculatur, dum delectatione absque qua nil perficitur, adheret studio vaticinandi, et tunc coronam et virgam ab Apolline suscipit, dum eruditus insignia doctoratus assummit. Nam per coronam,
 10 que capitis ornamentum est, preminetia designatur, quam quis perquesitam studiis scientiam consequitur. Per virgam autem potestas intelligitur exercendi, que studio quesita sunt. Eum autem nusquam comparuisse, eo factum est, quia morte de medio sublatus est.

CAP. XI

De Phylemone VIII^o Apollinis filio.

Phylemon Apollinis et Lychionis, ut testatur Ovidius, fuit filius. Nam, ut ipse refert, Dedalion Luciferi filius habuit speciosissimam filiam, quam cum Apollo et Mercurius eodem
 20 tempore dilexissent, et in eius ivissent concubitum, ex ambo- bus | concepit et Apollini peperit Phylemonem, qui carmine 56 c clarus fuit et cythara. Quod autem hic fictum est, ab eventu sumptum puto; nam Lychion uno partu duos enixa est, quorum alter fuit insignis fur, quem dixerunt genuisse Mercurium, eo
 25 quod circa talia videatur astrologis operari Mercurius; alter vero cytharista fuit egregius, circa quod solem arbitrantur operam dare, et ideo Apollinis filium vocavere.

CAP. XII

De Orpheo Apollinis filio VIII^o.

Orpheus Calyopis muse et Apollinis fuit filius, ut dicit Lactantius. Huic, dicit Rabanus, Mercurius lyram, nuper a se compertam, tradidit, qua tantum valuit, ut ea movere silvas et flumina sistere et feras mites facere posset. De hoc Virgilius talem recitat fabulam. Eum scilicet amasse Euridicem nympham, quam cum suo cantu in suam traxisset gratiam, eam sibi iunxit uxorem. Hanc cepit amare Aristeus pastor, et die quadam, dum secus ripas Hebri cum Dryadibus spatiaretur, eam capere voluit, que fugiens pede serpentem inter herbas latitantem pressit, qui revolutus in eam venenato morsu interemit. Quam ob causam gemebundus Orpheus descendit ad Inferos et lyra adeo dulciter canere cepit, orans ut sibi restitueretur Euridices, quod non solum ministros inferni in sui pietatem traheret, sed et umbras in oblivionem penarum suarum deduceret; ex quo factum est, ut illi a Proserpina Euridices restitueretur hac lege, ne illam, nisi perdere vellet, respiceret, donec devenisset ad superos; qui cum iam proximus esset, nimio videndi Euridicem suam desiderio tractus, oculos in postergantem flexit; ex quo factum est, ut evestigio dilectam iterum perderet. Quam ob causam diu flevit et celibem deducere vitam disposuit. Et ob id, ut ait Ovidius, cum multas suas nuptias postulantes reiecisset, aliisque hominibus celibem vitam ducere suaderet, mulierum incidit odium, et a celebrantibus matronis orgia Bachi secus Hebrum, rastris atque ligonibus cesus atque discerptus est; et eius caput in Hebrum projectum cum cythara in Lesbon usque delata sunt; ubi cum serpens quidam caput devorare vellet, ab Apolline in saxum versus est. Lyra autem, ut dicit Rabanus, in celum assumpta et inter alias celestes ymagines locata est. Pulchre equidem et artificiose fictiones he sunt, et ut incipiamus a prima, cur Apollinis et Calyopis dicatur filius videamus. Dicitur autem Orpheus quasi aurea phones, id est bona eloquentie vox, que

quidem Apollinis, id est sapientie, et Caliopis, que bonus interpretatur sonus, filia est. Lyra autem illi | a Mercurio data est, quia per lyram diversa vocum habentem discrimina, debemus intelligere oratoriam facultatem, que non una voce, id est demonstratione, conficitur, sed ex multis, et confecta non omnibus convenit, sed sapienti atque eloquenti, et bona voce valenti; que cum omnia in Orpheum convenirent, a Mercurio mensuratore temporum eidem concessa dicuntur. Hac Orpheus movet silvas radices habentes firmissimas et infixas solo, id est obstinate opinionis homines, qui, nisi per eloquentie vires queunt a sua pertinacia removeri. Sistit flumina, id est fluxos et lascivos homines, qui, nisi validis eloquentie demonstrationibus in virile robur firmentur, in mare usque defluunt, id est in perpetuam amaritudinem. Feras mites facit, id est homines sanguinum rapacesque, quos sepiissime eloquentia sapientis revocat in mansuetudinem et humanitatem. Hic insuper Euridicem habet in coniugem, id est naturalem concupiscentiam, qua nemo mortalium caret; hanc per prata vagantem, id est per temporalia desideria, amat Aristeus, id est virtus, que eam in laudabilia desideria trahere cupit; verum ipsa fugit, quia naturalis concupiscentia virtuti contradicit, et dum fugit virtutem a serpente occiditur, id est a fraude inter temporalia latente; nam apparet minus recte intuentibus temporalia virere, id est posse beatitudinem prestare, cui apparentie si quis credat, se in perpetuam deduci mortem comperiet. Sed quid tandem? Cum naturalis concupiscentia ad Inferos, id est circa terrena, omnino lapsa est, vir prudens eloquentia, id est demonstrationibus veris, eam conatur ad superiora, id est ad virtuosa, reducere. Que tandem aliquando restituitur, et hoc dum appetitus ad laudabiliora dirigitur; sed redditur pacto, ne retro suscipiens respiciat, donec ad superos usque venerit, id est ne iterum in concupiscentiam talium relabatur, donec, cognitione veritatis et Superum bonorum intelligentia roboratus ad damnandam scelestorum operum spurcitiem, oculos possit in concupiscentiam flectere. Quod autem ob id Orpheus ad Inferos descenderit, debemus accipere prudentes viros non

nunquam ratione contemplationis in perituras res et hominum ignavias oculos meditationis deflectere, ut, dum que damnare debeant viderint, que appetenda sunt ferventiori desiderio concupiscant. Fulgentius autem longe aliter sentit; dicit enim dilecte ac perditae et demum reassumptae Euridicis esse musice designationem, cum Orpheus dicatur quasi orenphone, quod interpretatur vox optima. | Euridices autem profunda diiudicatio, et ideo cum in musicis aliud sit armonia ptingorum, et aliud effectus tonorum virtusque verborum etc. ut ubi de Mitologiis. Sed ut ad ea veniamus, que ad Orphei videntur spectare mortem, est sciendum, ut dicit Theodontius, Orpheum primo Bachi sacra comperisse, et ea iussit apud Traces choris Menadum, id est mulierum patientium menstruum, ut illas illo tempore auferret a commixtione virorum, cum non solum abominabile sit, sed etiam perniciosum viris. Quod cum mulieres post tempus advertissent, et existimassent hoc adinventum ad turpitudinem earum viris detegendam, in Orpheum coniuravere, illumque nil tale suspicantem interfecere lignibus, et in Hebrum fluvium deiecere. Lactantius autem, in libro Divinarum institutionum, dicit de eo sic: Sacra Liberi patris primus Orpheus induxit in Greciam, primusque celebravit in monte Boetie Thebis, ubi Liber natus est, proximo; qui cum frequenter cythare cantu personaret, Cytheron appellatus est. Ea sacra etiam nunc Orphyca nominantur, in quibus ipse postea dilaceratus et carptus est etc. Quod caput eius et cythara Lesbos delata sint, dicebat Leontius fabulam non esse, quia sic fama ferebat, Lesbium quendam ex auditoribus eius ea secum devotionis causa Lesbos usque portasse. Quod autem serpens, qui caput Orphei devorare volebat, in lapidem versus sit, intelligo pro serpente annorum revolutiones, que caput, id est nomen Orphei, seu ea que ingenio Orphei composita sunt, cum in capite vigeant vires ingenii, consumere, ut reliqua faciunt, conate sint; sed in saxum ideo versus dicitur serpens, ut ostendatur nil illi posse tempus obsistere; quod quidem huc usque non potuit egisse, quin adhuc famosus existat cum cythara sua, cum ex poetis fere antiquior reputetur. Preterea sunt qui ve-

lint, et inter hos Plinius in libro Hystorie naturalis, huius
 inventum fuisse auguria ex ceteris animalibus sumi, que primo
 tantum ex avibus summebantur. Equo modo opinati sunt qui-
 dam eum primum cytharam excogitasse, quantumcunque Am-
 5 phioni aut Lyno attribuant alii. Fuit enim ex gente Cycona
 Tracie natus, que, ut Solinus de Mirabilibus mundi affirmat, in
 evum usque suum, in maximum sui decus sumebat. De tem-
 pore eius non videtur ambigi. Multi enim testantur quod inter
 Argonautas Colcos cum Iasone accesserit, ut Staius. De hoc
 10 tamen scribit Lactantius in libro Divinarum institutionum.
 Et fuit per eodem fere tempora quibus Faunus, sed quis etate
 processerit potest dubitari. Si quidem per eosdem annos Latinus
 Priamusque regnarunt, item patres eorum Faunus et Laomedon,
 quo regnante Orpheus cum Argonautis ad Yliensium
 15 litus accessit. Hec Lactantius. Eusebius autem in libro Tem-
 porum dicit eum fuisse | regnante Athenis Egeo. Que quidem
 satis convenire videntur. Leontius autem dicebat hunc non
 eum fuisse, qui orgica adinvenit, cum illum assereret longe
 antiquiorem.

57 b

20

CAP. XIII

De Aristeo Apollinis X^o filio, qui genuit Atheonem et Yolaum.

Aristeus filius fuit Apollinis et Cyrenis, filie Peney fluminis,
 ut testatur Virgilius in persona Aristei in Georgicis dicens:
 Mater, Cyrene mater, que gurgitis huius Ima tenes, quid me
 25 preclara stirpe deorum, Si modo, quem perhibes, pater est
 Tymbreus Apollo, Invisum fatis genuisti? etc. Quod etiam
 Iustinus in Epythomate Pompei Trogi confirmat, talem hysto-
 riam recitans. Quod Cyrus, scilicet rex Coramis insule, filium
 habuit, cui nomen Bathos propter lingue obligationem. Ve-
 30 rum cum Cyrus ad oraculum Delphos propter dedecus adolo-
 scentis filii deprecaturus venisset, habuit in responsis Bathos
 Africam petere, Cyrenem urbem condere, et ibidem lingue
 usum accepturum; quod ob solitudinem Coramis insule omis-

sum est, quasi non haberent unde colonos in Affricam deducerent. Tandem tractu temporis peste compulsi adeo paucos misere, ut vix navis completeretur una. Hi in Affricam venientes, montem Cyrum, loci amenitate et ubertate fontium capti, occupavere. Ibiq̄ue Bathos, solutis lingue nodis, dux eorum 5 loqui primum cepit. Quam ob rem oraculi promissis certi urbem condidere Cyrenem. Porro sic a posteris fictum est, Cyrenem eximie pulchritudinis Virginem a Pelio monte Thesalie ab Apolline raptam, perlatamque in eius montis iuga, cuius collem occupaverant qui filium secuti sunt, et ab eo 10 repletam IIII^{or} peperisse filios: Aristeum, Nomium, Auctoum et Argeum. Fictio autem hec ab hystoria non recedit. Nam ab Apolline ideo rapta dicitur nynpha, quia eius mandato, dum responsum dedit oratus, seu eius opera, dum pestis invasit insulam, in Cyrum montem delata est, ibidem et si non omnes 15 peperit, quia iam Bathos dux itineris fuerat, sed in etatem, sub fervido sole, id est Apolline, virilem forte deduxit. Verum a Speo Thesalie rege, qui apud Peneum fluvium regnum habuit patre Cyrenis, missi sunt qui perquirerent quonam abiisset filia. Qui, ea comperta, a loci amenitate detenti, in 20 iisdem terris aiunt cum Cyrene remansisse. Ex his tantum pueris tres aiunt adultos in Thesalian rediisse et avita regna recepisse. Inter quos dicunt Aristeum in Arcadia late regnasse, eumque primum apis et mellis usum et lactis coagulum tradidisse, atque trapetis oleas premere, oleum educere et eius 25 usum ostendisse, ut refert Plinius de Historia naturali. Preterea sciens factus, syderis solstitialis ortus primum invenisse.

57 c | Quibus consideratis, non absurde Virgilius fabulam Aristei, de recuperatione apium, in fine Georgicorum descripsit. Hunc insuper volunt Auctonoem Cadmi filiam in coniugem accepisse, et ex ea suscepisse Actheonem. Sane, ut Salustio placet, matris consilio relictis Thebis, in Cheam insulam illo usque ab hominibus inhabitatam abiit, eamque tenuit, esto reliquerit postea, et cum Dedalo in Sardiniam abierit, in qua, ut dicit Solinus de Mirabilibus, urbem Caralim condidit. Quid inde 35 ex eo contigerit legisse non memini.

CAP. XIV

De Actheone filio Aristei.

Actheon filius fuit Aristei ex Auctonoe coniuge, Statio
teste: Nec dum ille habitus aut verse crimina forme Mutat
5 Aristeo genitus fraus aspera cornu Tela manu reicitque canes
in vulnus Hyantes. Hic etiam, ut ait Ovidius, Yanthius appel-
latus est; scribit enim: Cum iuvenis placido compellat Yan-
thius ore. Et sunt qui dicant hoc illi nomen a puella sepulta
eo in loco in quo natus est. Hic, ut ostendit idem Ovidius,
10 venator fuit, et cum die quodam venatione fessus in valle
Gargaphie descendisset, eo quod in ea fons esset, recens et
limpidus, et ad eum forte potaturus accederet, vidit in ea
Dianam nudam se lavantem. Quod cum egre Diana tulisset,
sumpta manibus aqua, in faciem eius proiecit dicens: Vade et
15 dic si potes. Is autem repente in cervum conversus est, quem
cum canes eius vidissent, confestim irruerunt in eum, illumque
in mortem coactum atque dentibus laceratum comederunt.
Circa quod figmentum sic scribit Fulgentius: Anaximenes, qui
de picturis antiquis disseruit, ait libro II^o venationem Actheo-
20 nem dilexisse, qui cum ad maturam pervenisset etatem, consi-
deratis venationum periculis, id est quasi nudam artis sue ratio-
nem videns, timidus factus est. Et paulo post: Sed cum venandi
periculum fugeret, affectum tamen canum non dimisit, quos
inaniter pascendo, pene omnem substantiam perdidit. Ob hanc
25 rem a canibus suis devoratus dicitur. Hec Fulgentius.

CAP. XV

De Yolaio Aristei filio.

Yolaum dicit Solinus de Mirabilibus filium fuisse Aristei,
et post eum in Sardinia dominium tenuisse. Supra autem dixit
30 in suo volumine Yolaum filium fuisse Yphyctei, filii Anphy-
trionis, et eque in Sardinia imperasse, nescio an idem sit
vel alius.

CAP. XVI

57 d

De Nomiō Apollinis XI^o filio.

Nomius, ut scribit Iustinus in Epythoma, filius fuit Apollinis et Cyrenis. Hunc dicit Leontius Apollinem nominatum, quicquid supra dixerit Theodontius, eumque Arcadibus imperasse, eisque leges dedisse, que quoniam quosdam ex optimatibus viderentur offendere, orta seditione inter Arcades, Aristeo favente, pulsus est, et loco eius regnavit Aristeus. Is autem ad Admethum Thesalie regem confugit, et eius armenta VII annis pavit, tandem viribus reassumptis, Aristeum fugavit et Archadum verum obtinuit principatum, cum abiisset Aristeus in Ceam insulam; et quoniam armenta pavisset, Nomius appellatus est, quod apud Arcades pastor sonat. Et hinc dicit fictionem traxisse locum, Apollinem scilicet ob occisos Ciclopes divinitate spoliatum, Admeti regis armenta pavisse. Ego autem nescio quid credam potius, cum et vetustate et ignavia librariorum adeo periire codices, ut subtractum sit, posse de quam plurimis veritatem cernere, et hinc amplissimus vagandi locus mendacio relictus est, cum scribat de antiquis unusquisque quid libet.

CAP. XVII

De Aucthoo XII^o Apollinis filio.

Aucthous filius fuit Apollinis et Cyrenis, ut supra monstratum est. Hunc sunt qui dicant, discedentibus fratribus ex Affrica, et in Greciam venientibus, Cyrene remansisse, et his imperasse, qui una secum ibidem remansere.

CAP. XVIII

De Argeo XIII^o Apollinis filio.

Argeus, ut supra a Iustino monstratum est, Apollinis fuit
 filius et Cyrenis. Hic de se, quod ego noverim, nil preter
 5 nudum nomen posteritati reliquit.

CAP. XIX

De Esculapio XIII^o Apollinis filio, qui genuit Macaonem.

Esculapius, ut fere prisci testantur omnes, Apollinis et
 Coronidis nynphe fuit filius. Dicit enim Ovidius hanc ex
 10 Laryssa fuisse et Flegie filiam; quam cum summe Apollo
 diligeret et in eius ivisset concubitum, pregnans effecta est;
 porro corvus Apollinis avis ad Apollinem detulit, quia com-
 perisset eam iuveni cuidam Hemonio commisceri; quam ob
 causam turbatus Apollo eam sagittis occidit, et facti tandem
 15 penitens, cum remediis suis illam nequiret ab Inferis revocare,
 secto eius utero, conceptum ex se eduxit infantem, eumque
 Esculapium appellavit, et, ut fertur, Chyroni centauro tradidit
 educandum. Quem cum vidisset Alchyroe Chyronis filia, vati-
 cinii docta, vaticinata est: Quia mortuum hominem ab | Inferis 58 a
 20 revocaret in vitam, et ipse fulminatus deiceretur ad Inferos.
 Quod effectu non caruit. Aiunt enim hunc arte sua cum exi-
 mius evasisset medicus, Diane precibus, Ypolitum, membris
 collectis undique, in vitam revocasse et pristinae restituisset
 25 sanitati; quam ob causam turbatus Iuppiter, eum fulmine in-
 teremit, ut liquido testatur Virgilius dicens: Peoniis revocatum
 herbis et amore Diane. Tum pater omnipotens, aliquem indi-
 gnatus ab umbris Mortalem infernis ad limina surgere vite,
 Ipse repertorem medicine talis et artis Fulmine Phebigenam
 Stygias detrussit in undas etc. Que huc usque dicta sunt, ut
 30 satis patet, hystoria mixta poeticis est. Ast ut pura consistat
 hystoria, excutiende sunt fictiones. Et ideo corvum accusasse

Coronidem sic accipiendum arbitror, Apollinem scilicet augu-
 randi peritia fornicationem novisse Coronidis, et iratum inter-
 fecisse pregnantem. Quod autem Ypolitum, seu ut placet Plinio,
 Castorem Tyndari filium, ob raptas Lynceo et Yde sponsas a
 Lynceo seu Yda occisum, in vitam herbis et arte revocaverit, 5
 taliter contigisse puto. Hos, seu eorum alterum, non mortuos,
 quia a morte in vitam aliquem revocare solius Dei est, sed
 vulnerum immanitate, et ob perditum sanguinem mortuos exi-
 stimatos, quos cum arte et sollicitudine sua in sanitatem re-
 vocasset pristinam, dictum est eum illos ab Inferis in vitam 10
 retraxisse. Quod autem ob id a Iove fulminatus sit, non est
 credibile, sed ideo fictum credo, quia possibile est ob eam
 curam eum laborasse plurimum in exquisitione herbarum et
 aliarum oportunitatum, et sic propter vires fatigatus in febrem
 incidisse, que profecto letale fulmen et ignitum est, et ex ea 15
 febre defecerit; seu forte casu fulminatus est, et opinatum ab
 ignaris hoc illi contigisse ob revocatos ab Inferis mortuos, et
 hinc fabule datum principium. Sane Theodontius negat Apol-
 linem dilexisse Coronidem, et ex eo Esculapium fuisse con-
 ceptum, asseritque eum ex Hemonio iuvene et Coronide natum, 20
 sed Apollinis filius dictus est, altera ex duabus causis, seu
 quia matre mortua ante partum et eius secto utero eductus
 est, quod non absque opere medici sit, per quem fingitur
 Apollo, quia medicine repertor; et sic Apollinis filius, quia
 Apollinis opere natus sit. Seu quia qui sic nascuntur, Apollini 25
 sacros fore voluere veteres, eo quod, ut dictum est, Apollinis
 opere lucem sortiti videntur; et ob id aiunt | Cesarum fami-
 liam sacra Apollinis observasse, quia primus eorum, qui ex
 familia Iulia Cesar dictus est, ob eam causam cognomen
 adeptus est, et factus Apollini sacer, quia execto matris utero 30
 in lucem venerit. Preterea potuit Apollinis haberi filius, quia
 clarissimus evaserit medicus. Theodontii autem opinio aliqua-
 liter dictis roboratur Lactantii, qui de Esculapio in libro Divi-
 narum institutionum dicit sic: Hunc Tarquitius, de illustribus
 viris disserens, ait incertis parentibus ortum, expositum, et a 35
 venatoribus inventum, canino lacte nutritum, Chyroni tradi-

58 b

tum, didicisse medicinam. Fuisse autem Messenium sed Epydauri moratum etc. Post hec dicit Lactantius, hunc enim fuisse, qui Ypolitum curavit. Ceterum ne ob diversitates relatorum, ubi minime oportunum est, mendaces credantur scriptores, est
5 advertendum, ut placet Tullio De naturis deorum, quia tres fuere Esculapii. Quorum primum dicit ipse filium fuisse Apollinis, eumque speculum invenisse, et primum obligasse vulnus, et hunc ab Arcadibus asserit summe coli. Secundum vero dicit fratrem fuisse secundi Mercurii ex Valente patre atque
10 Coronide matre natum, eumque percussum fulmine interisse, et Cynosuris humatum. Tercium vero filium fuisse dicit Asyppei et Arsynoe, eumque primum alvi purgationem et dentis evulsionem comperisse, eiusque sepulcrum esse in Arcadia, non longe a Lusio flumine, circa quod et lucus ostenditur eius.
15 Et sic erit possibile ex his aliquem ex matris utero cesum, aliquem ex incerto patre natum atque expositum, nec obstat omnium parentes a Tullio nominari. Vidi ego in patria et nonnunquam ex principibus patrie hominem, qui infans fuit expositus, et demum a nutritore tanquam a patre cognominatus.
20 Sed quid multa? Qualiscunque seu quicunque fuerit ex istis, tanta veneratione apud Epydauros habitus est, ut etiam Romani iam fere omni Ytalia occupata, pestilentia egretudinum agitati, quasi pro singulari et certo subsidio legatos ad Epydauros mitterent, orantes, ut illis de oportuno remedio subvenirent, permetterentque ut Esculapium tanquam salutare subsidium Romam deferrent, concessumque in forma serpentis, dyabolo operante, Romam in navi deveherent, illique templum
25 insigne in insula Tyberis construerent, et loco salutaris dei diu colerent, dato illi impune Dyonisius Syragusanus novacula | auream abstulerit barbam. Esculapius autem dure agens
30 interpretatur, quod forsan nomen labori suo circa curam Ypolitum conforme fuit.

CAP. XX

De Macaone Esculapii filio, qui genuit Asclepio.

Macaon, ut dicit Papias, filius fuit Esculapii, evo suo insignis medicus, quod ego utrum credam nescio, eum saltem fuisse medicum, cum scribat Ysidorus post fulminatam Esculapium interdictum fuisse medendi exercitium, et ut ait Plinius ubi de Hystoria naturali: cum claruissent opera Esculapii temporibus Troianis sequentia eius in nocte densissima latuere usque ad Peloponnesiacum bellum, et tunc ea revocavit in lucem Ypocrates etc. Quod tempus, ut dicit Ysidorus, fuit annorum fere quingentorum. Hinc ego sumptum puto quod fictum est, Solem ob fulminatam Esculapium noluisse aliquandiu lucis currum ducere, ut ostenderetur Solis inventum, scilicet medicinam, eclipsim passum per secula plura, et tandem in lucem revocatum. Ego hunc Machaonem autoritate Papie non apposuissem, cum eum in multis circa talia minus curiosum sepissime invenerim scripsisse dissona veritate, sed ut ponerem me traxit solertia Pauli, qui non solum Macaonem Esculapii filium scribit, sed et Asclepium quendam Macaonis filium fuisse confirmat.

CAP. XXI

De Asclepio (Macaonis) filio.

Asclepius, ut dicit Paulus, fuit filius Macaonis, credo, Augustinum secutus, qui hunc Esculapii nepotem videtur dicere, scribens, ubi de Civitate dei, Hermetem Trimegistum Asclepio loquentem sic: avus enim tuus, o Asclepi, medicine primus inventor, cui templum consecratum est in monte Lybie, circa litus Cocodrillorum, in quo eius iacet mundanus homo, id est corpus; reliquus vero, vel potius totus in sensu vite melior remeavit in celum, omnia etiam nunc hominibus adiumenta prestans, infirmis numine nunc suo, que solet medicine arte prebere. Et paulo infra idem sequitur Augustinus:

Ecce duos deos dicit homines fuisse Esculapium et Mercurium etc. Verum ego librum hunc Hermetis Trimegisti, quem de Ydolo intitulat, vidi, nec tamen, qualiter Esculapius fuerit Asclepiadis avus, per verba Hermetis precedentia atque sequentia dictis ab Augustino percipere queo, certus tamen quoniam potius ingenium deficiat meum, quam accusari possit animadversio Augustini.

CAP. XXII

De Psyce XV^a Apollinis filia.

10 Psyces, ut dicit Martialis Capella in libro, quem De nuptiis Mercurii et phylologie scripsit, filia fuit Apollinis et Endilichie. Ex qua Lucius Apuleius, in libro Methamorphoseon, qui, vulgariori | vocabulo, Asinus aureus appellatur, longisculam recitat fabulam talem: Regem scilicet fuisse et reginam, quibus 58 d
15 tres fuere filie, quarum due maiores natu, etsi forma spectabiles essent, iunior, cui Psyces nomen erat, in tantum pulchritudine ceteras excedebat mortales, ut non solum admiratione teneret spectantes, sed infigeret animis ignaris rei miraculo credulitatem, ut Venus esset que descendisset in terris, et fama
20 longe lateque vulgata invise formositatis egit, ut non solum cives sed exteri ad visendam Venerem et sacris honorandam accederent, templis vere Veneris neglectis. Quod egre Venus ferens, in Psycen accensa, Cupidini filio iussit, ut eam amore ferventissimo hominis extreme sortis incenderet. Interim pater
25 de nuptiis virginis Milesium Apollinem consuluit. Qui respondit, ut illam in vertice montis deduceret, ibique divina stirpe creatum, esto pessimum et vipereum, nancisceretur virgo maritum. Quo responso parentes affecti, cum lacrimis et merore totius civitatis, virginem in predestinatum deduxere culmen,
30 ibique solam liquere. Que et si solitudine et incerto timore futuri coniugis anxietur, non tamen diu perstitit, et venit Zephyrus mitis, et suavi spiritu eam summens, in floridam detulit vallem; in qua cum aliquali somno lenisset erumnam,

surgens vidit gratum oculis nemus et argenteis undis manan-
 tem fontem, atque palatium non solum regium sed divinum,
 miris ornatum divitiis; quod cum intrasset et ingentes invenisset
 thesauros absque custode, et miraretur plurimum, obsequentium
 vocibus absque corporibus auditis, intravit lavacrum, invisus 5
 sibi assistentibus obsequiosis. Inde cena divinis conferta da-
 pibus sumpta, cubiculum intrans, conscendit genialem thorum,
 et soporate maritus affuit. Qui cum eam sibi fecisset coniugem,
 veniente luce invisus abiit; et sic sepius magna Psycis con-
 solatione continuans, factum est ut sorores, eiusdem audito 10
 Psycis infortunio, e domibus maritorum ad lugubres parentes
 accederent, et una cum eis sororis infelices nuptias deflerent.
 At Cupido presentiens quid invidia sororum pararetur Psyci,
 eam premonuit, ut earum omnino flocci faceret lacrimas, nec
 in suam perniciem pia atque credula esset. Quod cum spon- 15
 disset Psyces, se cepit deplorare captivam et quod sorores
 videre et alloqui non posset, et venientem atque redarguen-
 tem Cupidinem precibus in eam sententiam traxit, ut cum eis
 loqui posset, Zephy[ro]que iuberet, ut eas ad se leni deferret
 flatu. Qui cum fecisset, concessit etiam ut ex thesauris, quos 20
 liberet, asportare permetteret, sed earum suasionibus nullo modo
 crederet, nec suam videre formam alicuius consilio exoptaret.
 Tandem complorata domi Psyce a sororibus, scopulum conscen-
 dere, et ululatu femineo redintegrato a Psyce audite sunt, atque 25
 paucis consolate verbis, et postremo illas Zephyrus Psycis im-
 perio in vallem detulit amenam. Ibi a Psyce festiva caritate
 suscepte, divinum nemus et regiam, thesaurosque mirate, et
 lavacro atque cibo refecte, percontari scrupulose cepere, quisnam
 eius vir ac tantarum rerum dominus esset. Illa autem memor
 precepti coniugis, iuvenem finxit venationibus intentum; et con- 30
 cassis eis que vellent ex thesauris, a Zephyro illas in summi-
 tate montis iussit deferri. Que, post longas infortuniorum suorum
 querelas, felicitati Psycis invidentes, celatis thesauris fictisque
 lacrimis ad parentes rediere, et inde inito de pernicie Psycis
 consilio abiere ad viros. Psyces autem iterum premonetur a 35
 viro, ut sororum evitaret insidias, et nullius consilio eum videre

conetur. Revertuntur interim sorores invidie, et obsequio Zephyri ex vertice montis deferuntur ad Psychem, et letanter suscepte felicitati et pregnationi congratulantur sue; captamque verbis mellifluis aggrediuntur venenosis colloquis, inquirentes iterum
 5 quisnam vir eius esset. Psyces autem pridiani oblita mendacii, in fictionem alteram devertit, eumque dixit mediocris etatis hominem et vacantem negociationibus, datisque muneribus iussit illas Zephyro reportaret. Que cum advertissent eam, non ea forma qua pridie dixisset, virum designasse, illum ab ea
 10 invisum, et perconsequens arbitrate deum sunt, et sic acrius exarsere. Et inde die redeuntes sequenti, affectu pio verbis se maximam salutis eius curam gerere monstravere, asseverantes post multa se pro comperto habere a circumvicinis incolis, non hominem, sed serpentem tortuosum illas edes incolere, eiusque virum esse, nec illum aliud expectare quam
 15 maturitatem eius quem gerebat in utero, ut ex ea illoque se ampliori sagina saturaret. Quibus terrefacta Psyces et eis ultro aures prebens, eo quod ille adeo se videri recusaret, eis remissis ad scopulum, consilio earum novaculam paravit, et lucernam abscondit sub modio, nocte sequenti visura, quisnam
 20 esset is cuius uteretur concubitu, et ut illum perimeret | si
 59 b verbis, responderet forma, sororum. Intrat igitur more suo lectum Cupido, et in somnum solvitur. Psyces vero, aperto lumine, vidit illum mira formositate conspicuum iuvenem, alis
 25 pernicibus insignitum, et ad eius pedes arcum et pharetram sagittis confertam; e quibus cum unam mirabunda eduxisset, expertura aciem, adeo digito impressit suo, ut aliqualis scaturiret e vulnere sanguis. Quo facto, miro dormientis adhuc amore flagravit. Dumque illum mirabunda conspiceret, favillula
 30 ex lucerna prosilivit in dexterum dormientis humerum; quam ob rem expergefactus Cupido repente fugam arripuit. Verum Psyces cum illum cepisset crure atque fortiter teneret, tam diu ab eo per aerem delata est, donec fessa, eo dimisso, caderet. Cupido autem in vicinam cupressum evolans, longa querela eam
 35 redarguit, seipsum damnans, quod a matre missus, ut illam extremi hominis amore incenderet, et ipse se ipsum ob eius pulchri-

tudinem vulnerasset; et inde evolavit. Psyces vero postquam
 illum videre non potuit, se in propinquum deiecit fluvium mor-
 tem cupiens. Fluvius autem aspernatus eam deduxit in ripam,
 ubi a Pane deo verbis solata aliquantisper est. A quo tandem
 discedens in civitatem venit, in qua altera sororum nupta; quam
 cum convenisset illi casum suum recitavit omnem, verum vin- 5
 dicte avida, in perniciem sororis consultricis astutule mentita
 est circa extremum verborum Cupidinis, asserens eum dixisse:
 abi hinc et res tuas affer, postquam imperium meum servare
 nequisti, ego autem sororem tuam, teque nominavit, meis nuptiis 10
 coniugabo, et me fecit inde confestim a Zephyro deferri in
 culmen ex quo sustulerat. Quod cum audisset illa, confestim
 evolavit in montem, et alio flante vento inquit: Accipe Zephyre
 dominam tuam meque deducito in viri cubiculum, et cum ver-
 bis sumpto saltu maximo, se in ingens precipitium dedit, quas- 15
 satoque corpore toto, alitibus esca effecta est. Psyces inde equo
 modo et aliam sororem misit in saltum. Demum cum primo
 cereris inde Iunonis precibus exquisisset subsidium, et ab
 utraque repulsam] habuisset, audissetque, iubente Venere, Mer-
 curium voce preconia mortalibus cunctis iussisse, ut nemo eam 20
 occultaret, et dona indicanti preponeret, se ad fores Veneris pre-
 sentavit. A qua obiurgata diu et capillis tracta, sollicitudini
 et tristitie ancillis suis ut excrucicaretur tradita est. A quibus
 cum esset verberibus lacessita, eidem a Venere cumulus segetum
 59 c multiplicium appositus est, iussumque ut in sequenti | vespere 25
 grana seminum omnium discreta representaret eidem. Quo iussu,
 abeunte Venere, obstupefacta Psyces riguerat, sed advenien-
 tibus formicis ab eis confestim iussa Veneris peracta sunt.
 Secundo autem Venus precepit eidem, ut floccum aurei velleris
 ostensi pecoris eidem portaret; quod Psyces, secuta monitum 30
 palustris arundinis, cum obtinisset, imperanti reportavit. Tercio
 Venus, urnulam tradidit iussitque, ut plenam ex undis Stigiis
 ei deferret confestim. Que cum locum videret inaccessibilem,
 aquile volantis subsidio mandatam dire socrus implevit. Quarto
 Venus, data ei pixide, iussit illi ad Inferos descenderet Proser- 35
 pineque, sua ex parte, paululum sue formositatis exposceret.

Que cum iret ad turrin se precipitatura, ab eadem monita
 descendit ad Inferos, et legationi peracta, pixidem plenam atque
 coopertam assumpsit, et ad superos remeavit, sed immemor
 mandatorum turris, sumptura aliquantulum divine formositatis,
 5 ut amanti suo pulchrior videretur, aperuit pixidem ex qua pro-
 silivit somnus infernus, qui in eam iniectus, eam non aliter
 quam corpus mortum soporavit. Sed Cupido iam convalescens
 a vulnere, casum sue Psycis advertens, per fenestram cubiculi
 evolavit ad dormientem, detersoque ab ea somno et in pixidem
 10 redacto, redarguit eam presuntionis adversus monitus habite,
 dixitque ut mittenti deferret, quod et factum est. Cupido autem
 impatiens infelicitatum et laborum puelle a se dilecte, Iovem
 oravit, ut pateretur illam sibi coniugem fore. Qui precibus
 annuens, congregatis diis, eorum in presentia iussit ut Psyces
 15 coniunx esset perpetua Cupidinis. Quam Mercurius Iovis iussu
 devexit in celum et ibidem, immortalis effecta, nuptie celebrate
 sunt. Ipsam autem Cupidini peperit voluptatem filiam. Serenis-
 sime rex, si huius tam grandis fabule ad unguem sensum
 enucleare voluerimus, in ingens profecto volumen evaderet,
 20 et ideo cur Apollinis, et Endelichie filia dicatur Psyces, que
 eius sorores, et cur Cupidinis dicatur coniunx, cum paucis ex
 contingentibus dixisse satis sit. Psyces ergo anima interpreta-
 tur. Hec autem Apollinis, id est solis, filia dicitur, eius sci-
 licet qui mundi vera lux est deus, cum nullius alterius po-
 25 tentie sit rationalem creare animam, nisi dei. Endelichia
 autem, ut dicit Calcidius super Tymeo Platonis, perfecta etas
 interpretatur; cuius ideo rationalis anima | dicitur filia, quia et 59 d
 si in utero matris illam a patre luminum suscipiamus, non tamen
 eius apparent opera, nisi in etate perfecta; cum potius naturali
 30 quodam instinctu usque ad etatem perfectam feramur, quam
 iudicio rationis; etate vero perfecta agere incipimus ratione;
 ergo bene Apollinis et Endelichie filia dicitur. Sunt huic due
 sorores maiores natu, quarum una est anima vegetativa, altera
 vero sensitiva, sed Psyces pulchritudine illas excedit, et hoc
 35 ideo quia vegetativa anima communicamus cum plantis, sen-
 sitiva autem cum brutis, rationali quidem cum angelis et Deo,

quo nil pulchrius. Psyces vero ideo dicitur iunior, quia longe
 ante eam vegetativa conceditur fetui, et inde tractu tempo-
 ris sensitiva, postremo a deo rationalis infunditur. Ille ante
 nubunt, quod ideo dictum est, quia corporeis sunt annexe
 virtutibus. Huius autem coniugium divine stirpi servatur, id 5
 est amoris honesto, seu ipsi Deo, cuius inter delicias a Zephyro,
 id est a vitali spiritu, qui sanctus est, defertur et matrimonio
 iungitur. Hic coniugi prohibet, ne eum videre cupiat, ni per-
 dere velit, hoc est nolit de eternitate sua, de principiis re- 10
 rum, de omnipotentia videre per causas, que soli sibi nota
 sunt; nam quotiens talia mortales perquirimus, illum, imo
 nosmet ipsos deviando perdimus. Sorores autem non nunquam
 ad methas usque primas deliciarum Psycis deveniunt, et ex
 thesauris eius reportant, in quantum penes rationem viventes
 melius opus suum vegetatio peragit, et sensitive virtutes cla- 15
 riores sunt, et longius perseverant. Sane invident sorori, quod
 minime novum est sensualitatem cum rationem discordem, et
 dum illi blandis verbis suadere non possunt, ut virum videat,
 id est velit naturali ratione videre quod amat, et non per fidem
 cognoscere, eam terroribus conantur inducere, asserentes eum 20
 immanem esse serpentem, seque eam divoraturum; quod quidem
 totiens sit, quotiens sensualitas conatur rationem sopire, et
 ostendere anime contemplationes incognitarum rerum per cau-
 sam, non solum delectationes sensitivas auferre, sed labores
 maximos et angores minime oportunos ingerere, et nil demum 25
 placide retributionis afferre. Anima autem, dum minus prudens
 talibus demonstrationibus fidem adhibet, et quod negatur vi-
 dere desiderat, occisura, si voto non conrespondeat forma,
 videt effigiem viri pulcherrimam, id est extrinseca Dei opera,
 formam, id est divinitatem, videre non potest, quia Deum nemo 30
 vidit unquam; et cum favillula ledit et vulnerat, id est superbo
 desiderio, per quod inobediens facta, et sensualitati credula,
 bonum contem|pationis amittit, et sic a divino separatur
 coniugio. Tandem penitens et amans, perniciem sororum curat 35
 astutia, easque adeo opprimit, ut adversus rationem nulle sint
 illis vires, et erumnis et miseriis purgata presumptuosa su-

perbia atque inobedientia, bonum divine dilectionis atque contemplationis iterum reassumit, eique se iniungit perpetuo, dum perituris dimissis rebus in eternam defertur gloriam, et ibi ex amore parturit Voluptatem, id est delectationem et letitiam
 5 sempiternam.

CAP. XXIII

De Arabe XVI° Apollinis filio.

Arabs, ut placet Plinio in libro Naturalis hystorie, Apollinis et Babillonie fuit filius, quem medicine artis dicit etiam re-
 10 pertorem. Puto ego hunc seu Babilonem fuisse hominem, et ibidem medicinam ostendisse prius, seu apud Babilonios didicisse, et ad Arabes primum detulisse; et hinc Apollinis filius dictus, quia medicus, et Babillonis, quia in Babillonia natus vel eruditus sit.

CAP. XXIV

De Tytio filio Jovis tertio.

Postquam Apollinis longa posteritas expedita est, ut ad Iovis filios revertamur ordo postulat. Ex quibus sese ante alios Tytius offert. Quem dicit Leontius filium fuisse Iovis ex
 20 Hellare Orcomeni filia, quam pregnantem Iuppiter, iram Iunonis timens, occultavit in terram, ex quo factum est, ut nascens puer ex terra natus videretur, ut Servius asserebat. Que quidem terra postmodum eum enutrivit, et sic non mater, sed nutrix. Is tamen cum ad integram venisset etatem, Lato-
 25 nam Apollinis matrem amavit, eamque de stupro interpellavit. Quam ob rem turbatus Apollo eum sagittis occidit, et apud Inferos religavit, atque eius iecur vulturibus laniandum apposuit hac lege, ut consumptum restauraretur illico, et sic nunquam vultures a discerpendo cessarent, nec ipse a patiendo.
 30 Restat nunc huic fictioni velum eripere, ut quod contegat vi-

deamus. Dicit enim primo Iovem pregnantem in terris abscondisse; nil enim occultius tegitur, quam quod infoditur, et ideo debemus intelligere hanc secretissime fuisse servatam, et hoc timore Iunonis, id est maioris potentie, cum dea regnorum sit Iuno. Terram autem aluisse Tytium non est novum, cum omnes alamur a terra. Quod Latonam Apollinis matrem amaverit, ingentem eius demonstrat animum, celsitudinem enim appetiit, que claritatis mater est, sed ab Apolline, id est a regio splendore, deiectus est apud Inferos, id est apud plebeios, quos penes semper curarum plenus fuit, qualiter posset in gradum, ex quo deciderat, reascendere. Recitat ex isto Tytio Leontius brevem hystoriam, et dicit hunc apud Boetios magnum fuisse hominem, et viribus temptasse ex Delpho Apollinem eicere, a quo ipse eiectus est, et fere ad privatam vitam redactus. De pena autem illi apposita dicit ubi, de Somnio Scipionis Macrobius sic: Vulturem iecur immortale tondentem, nichil aliud intelligi volentes, quam tormenta conscientie obnoxia flagitio viscera interiora rimantis, et ipsa vitalia indefessa admissi sceleris admonitione laniantis, semperque curas, si requiescere forte tentaverint excitantis, tanquam fibris resuscitentibus inherendo, nec ulla sibi miseratione parcentis, lege hac, qua se iudice nemo nocens absolvitur, nec de se suam potest vitare sententiam. Hec Macrobius.

CAP. XXV

De Bacho secundi Iovis IIII^o filio, qui genuit Hymeneum, Thyoneum et Thoantem.

Bachus Iovis filius et Semeles ab Ovidio et reliquis omnibus poetis dicitur. Ex cuius origine talis recitatur fabula. Cum amaret Iuppiter Semelem Cadmi filiam, et ipsa concepisset ex eo, accessit ad eam Iuno, formam gerens Beroe Epydaurie anus, et inito cum <ea> colloquio, perquisivit, numquid diligeretur a Iove. Cui dixit Semeles arbitrari se diligi; tunc Iuno: non potes, filia, nisi uno modo cognoscere, scilicet si, Stygis

interposito iuramento, promittat tecum eo pacto coniungi, quo
 Iunoni iungitur. Semeles experientie avida, venienti iuramen-
 tum et inde munus poposcit. Iuppiter autem dolens, eam, ne
 adversus iuramentum ageret, fulminavit et mortue filium traxit
 5 ex utero, suoque apposuit femori, donec tempus perficeretur,
 quod eum esse in ventre matris oportunitas exigebat. Hunc
 primo clam nutrit Yno matertera eius, postmodum nynphis
 tradidit, que etiam ei alimenta dederant, ut ait Ovidius: Furtim
 illum primis Yno matertera cunis Educat, inde datum nynphe
 10 Nyseides antris Occuluere suis lactisque alimenta dedere. Et
 alibi. Nysiadas nynphas, puerum querente noverca, Hanc fron-
 dem cunis apposuisse ferunt, scilicet ederam; que, ut idem
 dicit Ovidius, fuit postea gratissima Bacho. Huic insuper
 alumnum dicunt fuisse Sylenum, qui captus a rusticis, a Myda
 15 Bacho restitutus est, ut ait Ovidius. Rex venit et Iunoni Syle-
 num reddit alumno. Hunc preterea curru et sociis honorant;
 de quibus sic refert Statius: Promovet, effrene dextra levaque
 sequuntur Lynces, et uda mero lambunt retinacula tygres. Post
 exultantes spolia armentalia portant, Seminecesque lupos, scis-
 20 sasque Mimallones ursas. Nec comitatus iners, sunt illic Ira
 Furorque Et Metus, et Virtus et nunquam sobrius Ardor, Succiduique
 gradus et castra simillima regi etc. Dicuntur insuper
 eum primum vitem plantasse, ut ait Accius in Bachis: | o Dyo- 60 c
 nise, pater optime, vite sator, Semela genitus euhia. Et hinc
 25 vini deum asserunt. Ederam ei sacram et vannum et Marsyam
 in tutelam eius ascribunt. Eique Adryanam Mynois filiam
 coniugem copulant. Baculum ab eo repertum atque denomi-
 natum affirmat Rabanus, ut eo homines vino graves uterentur.
 Multis et illum nominibus vocant, de quibus Ovidius: Tura
 30 dabant, Bachumque vocant Bromiumque Lyeum Ignigenamque,
 satumque iterum, solumque bimatrem. Additur his Nyseus in-
 tonsusque thyones, Et cum Leneo genialis consitor uve, Nicti-
 liusque Eleusque parens et Yacus et Euan, Et que preterea
 per Graias plurima gentes Nomina, Liber, habes, tibi enim
 35 [in]consumpta iuventa est, Tu puer eternus et formosissimus
 alto Conspiceris celo, tunc cum sine cornibus astas etc. Addit

etiam alia nomina Albericus, vocatumque dicit: Euchium, Bryseum et Bassareum. Lactantius etiam eum vocari dicit Dytirambum. Dicit insuper Servius, Orpheum dicere hunc a Gigantibus membratim discerptum. Quod Albericus affirmat, addens quod ab eis ebrius sit inventus, eumque dicit sepultum et postea surrexisse integrum. Pingebant etiam eum antiqui in habitu muliebri, et nudum atque puerulum, ei nocturno tempore tibiis, et cymbalis, et clamore sacrum, quod orgia vocabant, celebrantes. Preterea hec alia etiam recitantur, sed quoniam non comperta sunt omnia que queruntur, que videri possunt de appositis videamus. Primo igitur, et ante omnia, pro constanti videntur tenere hystoriographi Dyonisium hominem ex Iove et Semele natum, adeo, ut de tempore inter antiquos plurima fuerit varietas. Ex quibus alii Dyonisium, alii Liberum patrem vocant; et quoniam non constat cuius Iovis fuerit filius, ego secundo ascripsi Iovi, eo quod eius evum melius videatur convenire cum secundo, quam cum aliquo aliorum. Dicit enim Eusebius in libro Temporum, a quibusdam arbitrari, Danao Argis regnante, Dyonisium in Yndia Nysam condidisse, et suo nomine nuncupasse, et eodem tempore eum in Yndia militasse, et eius in exercitu fuisse mulieres Bachas cognominatas ob furorem potius quam ob virtutem; quod quidem fuit circa annos mundi $\overline{\text{III}}\text{dcccxxviii}$. Paulo post idem Eusebius dicit, regnante Danao Argis, Cadmus regnavit Thebis, ex cuius filia Semele natus est Dyonisius, id est Liber pater, quod secundum eius annorum descriptionem comprehenderetur fuisse circa annos mundi $\overline{\text{III}}\text{dcccclxvi}$. Nec multo post dicit anno XXXV° Lycei regis Argivorum, Dyonisius, qui latine dicitur Liber pater, nascitur ex Semele, quod contigisse videtur anno mundi $\overline{\text{III}}\text{dcccxiii}$. Inde subsequitur, Acrisio regnante Argivis, Dyonisius qui et Liber pater, adversus Yndos dimicans, Nysam urbem iuxta Yndum flumen condidit, quod factum colligitur anno mundi $\overline{\text{III}}\text{dcccclxx}$. Quanta hec sit temporis diversitas, ab Eusebio ex comentariis veterum collecta, facile comprehendi potest; nostrum autem est per coniecturas arbitrari, quod verius potuerit ex dictis tempus attribui evo

Bachi. Ego autem, omissis causis me moventibus, arbitror Bachi
 dies fuisse circa antiquius horum tempus, seu saltem quod de
 proximo sequitur, eumque ea tempestate natum egisse que ab
 eo gesta narrantur. Sed his curiosioribus derelictis, ad figmenta
 5 tendamus. Fulminatam Semelem a casu sumptum credo, eam
 scilicet a fulmine, seu ab ignita febre in mortem deductam,
 quarum utramque a Iove, id est ab elemento ignis, emissam
 non mirabitur eruditus. Evulsum ab utero mortue matris fetum,
 et Iovis femoribus applicitum, notissimum obstetricibus officium
 10 designatur; necesse enim est, ut caloribus extrinsecis, qui per
 Iovem debent intelligi, faveatur qui ante tempus intrinsecis
 aufertur. Sed cum sit hec expositio physica, hystoricam recitat
 Pomponius Mela in *Cosmographia*, dicens: Urbium quas inco-
 lunt Yndi, sunt autem plurime, Nysa est clarissima et maxima,
 15 montium Meros Iovi sacer, famam hinc precipuam habent in
 illa genitum, in huius specu Liberum arbitrantur esse nutri-
 tum, unde Grecis autoribus, ut femori Iovis insitum dicerent,
 aut materia ingressit aut error. Hec ille. Albericus autem ad-
 dit, dicens a Remigio affirmari apud Nysam Liberi patris
 20 haberi crepundia in testimonium quod ibidem altus sit. Quod
 si sic est, autumo de altero intelligendum sit, quam de eo, qui
 ex Semele natus est; ex quo etiam sequi posset temporum
 diversitates a diversis Dyonisiis exortas esse. De hoc enim, si
 is fuit, dicit Orosius sic: Subactam Yndiam Liber pater san-
 25 guine madefecit, cedibus opplevit, libidinibus polluit, gentem
 utique nulli hominum unquam obnoxiam, vernacula tantum
 quiete contentam. Ceterum, ut ad sensus physicos tectos sub
 fabula redeamus, dico, quod nonnulli volunt pro Bacho vi-
 num intelligi, et sic Semeles pro vite sumetur; que ex Iove,
 30 id est ex calore, in altum humorem terre immixtum per
 <vitis> poros trahente se pregnantem, id est turgidam facit, et
 in palmites botrosque sucos, tanquam in conceptum fetum
 emittit, tunc autem fulminatur, cum adveniente autumnali ca-
 lore non in ampliorem maturitatem, sed potius in corruptio-
 35 nem et putredinem fructum conceptum deduceret, ut auferatur
 necesse est, et femori Iovis, id est calori altero, applicetur.

61 a Quod quidem sit, dum pressum ex uvis vinum | aut igni ipsis-
 met pressis bulliendum concedimus iterum, donec defecatum
 tali bullitione reddatur potui aptum. Deinde Yno, id est vas,
 illud servat occultum, id est contectum, ne a Iunone inve- 5
 niatur, id est ne ab aere corrumpatur. Seu pregnantem tunc
 Semelem dicimus ex Iove, cum vitem agente calore turgidam
 cernimus vere primo; verum tunc fulminatur, dum estivo ca-
 lore preter consuetum exuritur; tunc autem apertis poris
 conceptum emittit in botros, quod femori Iovis, id est diurno 10
 calori, applicatur, ut quam ex matre non habuerat, a patre
 maturitatem accipiat; et tunc Yno illud servat occulte, dum a
 pampinis tegitur, ne ab aere nimis calido offendatur; et illud
 tunc nutriunt nynphe, dum nocturnis humiditatibus restauratur,
 quod calore diurno fuerat exhaustum. Sylenus senex eius 15
 alumnus dicitur, eo quod senes fere potu magis quam cibo
 sustententur. Qui illi a Myda avarissimo homine ideo restitui-
 tur, quia avarus potationibus non delectatur. Curru et sociis
 uti ideo a poetis dictum est, ut nonnulli ex suis demonstrantur
 effectus. Nam pro curru ebriorum volubilitas assumenda est.
 Lynces autem illi attribuuntur, ut intelligatur vinum moderate 20
 sumptum vires, audaciam et perspicaciam augere. Tigres autem
 ideo currum trahunt, ut ebriorum ostendatur sevitia. Nemini
 enim parcit onustus vino. Sunt preterea temulenti temerari
 adeo, ut in quodcumque periculum inconsiderate irruant, quod
 per semineces lupos, et scissas ursas, que in predam Bachi 25
 deportantur intelligo. Quod irascantur facile et inde veniant
 in furorem, satis liquido patet, et sic non sobrio comitantur
 ardore. Meticulosi etiam sunt vinolenti, quia perditio recto
 rationis iudicio sepissime non timenda pavescent. Virtus autem,
 cur currui Bachi iungatur, pretactum est, ubi de lyncibus dixi- 30
 mus. Succidui gradus ideo inter Bachi numerantur comites, ut
 ebriorum titubantia designetur, qui adeo titubando incedunt, ut
 cadere credantur continue. Superadditur Bacho castra esse
 simillima regum, nec immerito; nam si cernamus tabernas
 meritorias, ibidem tabernacula frondium, cupidinarios, lurcones 35
 et edulia, potationes hinc inde, atque tumultuantes rixantesque

videbimus, que castris regum simillima sunt. Bachum autem apud Grecos primum plantasse vitem, seu vineam, et vinum fecisse, possibile est, cum longe ante apud Hebreos id fecisse Noe certissimum habeamus. Dicunt tamen aliqui | Bachum
5 vitem non plantasse, sed incognitum Thebanis vini usum in-
troduxisse, atque illud variis liquoribus immiscuisse, ut amabi-
lius foret; quod quoniam mirabile visum est, deus vini apud
rudes primo creditus est. Ederam preterea Bacho sacram di-
cunt, credo quia vites, edere tramites luxuriantes plurimum,
10 et botros uvarum imitentur corimbi, nec non quia vireat viri-
ditate perpetua, per quam ostenditur vini iuventus continua;
nunquam enim quantum ad vires senescit vinum. Hac etiam
poete coronari consuevere, eo quod Bacho ob facundiam sacri
sint, et ad perpetuitatem carminum demonstrandam. Vannus
15 autem illi sacer est mistica ratione. Ait autem Servius Liberi
patris sacra ad purgationem anime pertinere, et sic homines
eius misteriis purgabantur, sicut vanno frumenta purgantur.
Fuere tamen qui voluere hec purgamina viventibus hominibus
fieri per extremam ebrietatem, que sacrum Bachi est; asserentes,
20 si quis in tantam ebrietatem procederet, ut in vomitum usque
veniret, post preteritum cerebri stuporem, animum, exutis curis
tediosis atque eiectis, remanere tranquillum; cui opinioni Se-
neca phylosophus in libro, quem De tranquillitate animi scripsit,
adhesisse videtur. Marsiam in suam tutelam positum ideo vo-
25 luisse reor, quia audax imo temerarius in Apollinem fuit, per
quam temerarietatem, vinolentorum loquacitatem in quoscun-
que tendentem intelligo, qua in conspectu rudium sepe pru-
dentes ab ignaris confundi videntur, non advertentium, quia
nullo talium oratio incedat ordine, sed more satyri, uti Mar-
30 sias fuit, huc illuc saltitando procedat, tandem in conspectu
eruditorum nudatus Marsia, id est patefacta calefactorum pre-
sumptione, in flumen vertitur, id est in lapsum, quasi nil
dixerint talium sermo solvatur. Quod ad Adrianam coniugem
pertinet, in sequentibus, ubi de ea scribetur. Hunc autem a
35 Gigantibus fuisse discerptum et inde sepultum, ideo dictum reor,
quia ab Eusebio in libro Temporum scribitur, quod regnante

Athenis Pandione, anno scilicet mundi $\overline{\text{m}}\text{ dccc xcvi}$, Marco
 Varrone poeta teste, hic Liber pater adversus Perseum pu-
 gnans in prelio occisus sit, eiusque videri sepulcrum apud
 Delphos, iuxta Apollinem aureum; et hoc quantum ad hysto-
 riam dictum sit. Sed fictioni superadditur a quibusdam, eum 5
 scilicet quantuncumque discerptum sepelierint, integrum sur-
 rexisse; quod ego arbitror debere intellegi, quod ex pluribus
 61 c ingurgitationibus ab elatis calore vini bibionibus | factis, una
 consurgat ebrietas, per quam Bachum vivere et aliquid satis
 patet. Dicebat tamen circa hoc Albericus Bachum [animam 10
 mundi intelligendum, que quamvis membratim per mundi cor-
 pora dividatur, tamen se reintegrare videtur de corporibus
 emergens, et se reformans, et semper una eademque perseve-
 rans, nullam simplicitatis sue patiens sectionem. Hec ille. Ast
 ego puto hunc Bachum Alberici, Solem intelligendum Macrobbii, 15
 in quem ipse Macrobius transfert deorum omnium deitates.
 Pictus autem in habitu muliebri est, quia in expeditione adver-
 sus Yndos secum habuit mulieres, ut predictum est, vel quia
 continuate potationes, debilesque reddant ad ultimum potatores.
 Nudus vero ideo fingitur, quia ebrius omnia pandat secreta, 20
 vel quia multos iam ad inopiam et nuditatem deduxerit, vel
 quia calorem potationis ingerant. Puer quidem dicitur, quia non
 aliter sint lascivi ebrii quam pueri, quibus nondum integer est
 intellectus. Restat nunc de nominibus videre. Dicitur igitur
 primo Bachus, quod idem sonat quod furor, eo quod vinum 25
 et potissime novum tam ferventis furoris est, ut nullo queat
 claustro continere, et immoderate sumentes, ut predictum est,
 facit etiam furiosos. Dicitur etiam Bromius a bromin, quod est
 consumere; modesta quidem boni vini potatio consumit super-
 fluitates ciborum, et digestionem adiuvat, ut physicis placet, 30
 sed intemperate sumptum humiditatem bonam desiccat, et
 nervorum hebetat vires, adeo ut plurimum ingurgitatores tre-
 mulos effetosque reddat. Vocatur insuper et Lyeus a lyen, quod
 est tractus, tractim enim bibitur. Vel dicitur Lyeus a ligo ligas;
 modeste autem sumptum dispersas vires colligit augetque, im- 35
 moderate sensus ligat et rationem. Vel secundum Fulgentium

Lyeus dicitur, quia lenitatem prestat; sumus enim post aliqualem
 potationem magis exorabiles. Nuncupatur et Ignigena, seu quia
 ex igne genitus sit, seu quia ignem, id est calorem generat;
 videmus enim capita potantium fumantia, eosque ob calorem
 5 vestimenta quandoque deponere. Appellatur etiam Satus iterum,
 et ob id eum vocari Dytirambum, quod idem sonet, dicit La-
 ctantius; quia autem iterum natus sit, supra monstratum est, et
 inde merito bimater. Nyseus preterea a Nysa civitate, in qua
 colitur, vel a Nysa, uno ex verticibus Parnasi eidem consecrato,
 10 vocatus est. Thyoneus quod intonsus sonat, ideo dicitur, quia
 vites ex quibus | oritur longas habent palmites; vel quod me- 61 d
 lius puto, ad suam pueritiam ostendendam, quia intonsi sint
 pueri. Consitor uve dicitur a vite a se primo plantata. Nictilus
 vero vocitatur, quia noctem, id est tenebras sensibus ingerat.
 15 Eleus ab Ellea civitate, in qua potissime colebatur. Yacus
 autem ea de causa nominatus est, quia homines hyare faciat.
 Euan interiectio laudantis Bachum est, et sonat bonus puer.
 Briseus ideo dictus, ut ait Albericus, quia primus vinum ex
 uva pressit; vel Briseus, quasi hirsutus, id est superbus. Hinc
 20 aiunt eum apud veterem Greciam duas habuisse statuas, unam
 hirsutam Briseim vocatam, alteram vero lenem, Lenei vocit-
 atam. Bassareus autem appellatus est a specie vestium, quibus
 ministre eius utebantur in sacris, et ab eisdem ministre Bas-
 sarides nuncupate. Liber autem pater dicitur, quia hominibus
 25 libertatem videatur inferre; nam potati servi, etiam ebrietate
 durante, arbitrantur se fregisse vincula servitutis; liberat pre-
 terea a curis, et in agendis securiores facit, pauperes ab
 oportunitatibus reddit immunes, deiectos extollit etiam in su-
 blime. Et dicit Albericus, quod, cum inter initia condendarum
 30 civitatum, diis ceteris pro auspiciis ceptorum fierent sacra,
 Libero patri fiebant, ut libertatem future patrie conservarent.
 Preterea civitates imperantibus orbi Romanis aut stipendiarie
 erant, aut federate, aut libere; in liberis autem civitatibus in
 signum libertatis simulacrum Marsie habebatur, quem supra
 35 diximus in tutelam esse Liberi patris. Insuper mos fuit Romanis
 liberam togam adolescentibus in festis Liberalibus exhibere, ad

significationem liberioris vite in posterum concessit. Cuius quidem sacra dicit Servius a Julio Cesare Romam primum translata, in quibus hyrcus immolabatur, et hoc ideo, quia aliquando capelle palmites vitium crescentes vastassent. Dicit enim M. Terentius Varro, ubi de Agricultura, eidem tanquam repertori vitis hyrcos immolari, ut penas capite pendant. Ego autem huius sacra non puto a Julio primum in Romam translata, sed eius Liberi patris, de quo intellexisse videtur Tullius, dum ubi de Naturis deorum dixit: Hunc dico Liberum Semele natum, non eum, quem nostri maiores auguste sancteque censent Liberum etc. Quem ego arbitror iuxta sententiam Macrobbii Solem, quem arbitrati sunt rerum omnium patrem, et hinc Liberum patrem dictum. Et sic etiam intellexisse Virgilium puto dum dixit: Vos, o clarissima mundi | Lumina, labentem celo que ducitis annum; Liber et alma Ceres etc. Non enim Bachus labentem annum celo ducit, sed sol; et hec equidem ea duo fuerunt numina, que Etrusci potissime coluerunt. Sed quicumque hic fuerit Liber, ostendit Augustinus in libro de Civitate dei, ei a priscis obscena celebrata sacra, et inter alia dicit, quod eius in honorem pudenda virilia colebantur in patulo, adeo ut festis diebus Liberi membrum virilem elevatum ex compitis defferretur in urbem, verbis <flagitiosissimis> omni concessa licentia, inde per forum transvectum, et in locum eidem deputatum depositum, oportebat, ut honestissima omnium mater familias illi coronam imponeret. Insuper et Dyonisius appellatur Bachus, de quo ubi de Dyonisio.

CAP. XXVI

De Hymeneo filio Bachi.

Hymeneum dicit Albericus filium fuisse Bachi et Veneris, et sequitur autoritate Remigii ob id habitum, quia ex nimia petulantia libido soleat excitari. Hymen autem grece dicitur membrana, que est proprie muliebris sexus, in qua puerperia fieri dicuntur, inde Hymeneus nuptiarum deus dictus est. Sane

Lactantius ab hystoria tractum dicit, scribens quia Hymeneus puer fuerit Atheniensis mediocri genere natus, qui cum annos puerilis etatis excederet, nec dum virum posset implere, ea pulchritudine fuisse peditum dicitur, ut feminam mentiretur.

5 Istum cum una ex civibus suis virgo nobilis adamasset, is quia nuptias desperabat, puellam tamen versa vice diligebat extreme, et animo saltem aspectu satisfaciebat suo. Cumque nobiles femine cum virginibus sacra Cereris Eleusine celebrarent, subito adventu pyrratarum rapte sunt, inter quas

10 etiam Hymeneus, qui illo a se dilectam secutus fuerat. Cum igitur per longinqua maria predam pyrrate vexissent, ad quandam tandem regionem devoluti, et ibi somno oppressi, ab insequentibus interempti sunt omnes. Hymeneus autem, relictis virginibus, evolavit Athenas, pactus a consaguineis dilecte sue

15 nuptias, si illis filias nuper raptas restitueret, quas ubi pro voto restituit, exoptatam accepit uxorem. Quod coniugium quia felix fuerat, placuit Atheniensibus nomen Hymenei misceri nuptiis. Sunt tamen, qui dicant eum die quadam nuptiarum ruina oppressum, et piationis causa id adinventum, ut nomen

20 eius celebraretur in nuptiis. Quod omnino | Servius damnat. Ego autem eum ob id Bachi et Veneris filium dictum reor, quia propter duo fiant nuptie, seu duo interveniunt in nuptiis, festum et carnalem copulam. Per festum Bachus intelligendus est, ut per Virgilium patet, dum dicit: Assit letitie Bachus

25 dator etc. Per Venerem autem carnalem copulam, cum ad eam spectare videatur ad procreandam prolem marem et feminam copulare, et ex his duobus conficiuntur nuptie, seu Hymeneus, qui pro nuptiis intelligendus est.

62 b

CAP. XXVII

De Thyoneo Bachi filio.

Thyoneum Bachi filium dicit Ovidius, et de eo brevem recitat fabulam. Dicit enim, quod cum bovem fuisset furatus, et ob id opprimeretur a rusticis, invocato forte patris auxilio,

factum est, ut a Bacho Thyoneus in venatorem converteretur, et bos permutaretur in cervum. Arbitror ego hunc fuisse furem, et potatis optime rusticis, bovem suum repetentibus facile ostendisse eis, et se venatorem et bovem cervum fuisse.

CAP. XXVIII

De Thoante Bachi filio, qui genuit Ysiphilem.

Thoantem Bachi fuisse filium carmen demonstrat Ovidii dicentis: Tum primum sese <trepidus> sub nocte Thyoneus Detexit nato portans extrema Thoanti Subsidia etc. Paulus autem eum ex Adriana Minois susceptum testatur. Sed miror qualiter hoc fieri potuerit, cum Thoas, ut infra monstrabitur, genuerit Ysiphylem, que tempore Thebani belli nutrix Opheltis Lyurgo Nemeo serviebat. Et Adriana antequam Bacho nupserit, a Theseo rapta est, post Ypolitum susceptum, qui paulo ante initium suscepti belli Thebani in Ytaliam abiit; et sic longe antiquior fuit Theas quam Adriana. Is quidem, ut testatur Staius, iam senex, cum Lemniades, apud quos rex fuit, a seminis sui communi consilio occisi sunt, a filia Ysiphyle ficto rogo salvatus est, et in Chyum insulam nocte transmissus.

CAP. XXIX

De Ysiphyle Thoantis filia.

Ysiphyles filia fuit Thoantis, teste Statio, dum dicit: Cui regnum genitorque Thoas et lucidus Euan Stirpis avus etc. Hec autem, ut idem refert Staius, cum adhibuisset consensum in publico mulierum Lemniadum consilio de occidendis masculis suis, et suis legibus vivere, ea nocte, qua scelus a ceteris feminis perpetratum est, Thoantem patrem navi imposuit, eumque Bacho patri commendavit, et | in insulam Chyum transmissit, et constructo in regia rogo, se patrem interemisse monstravit, eiusque loco homicidis mulieribus imperavit. Qua

regnante, ut altisono carmine ostendit Statius, factum est, ut tendentibus cum Iasone Argonautis in Colcos ad Lemni litus applicarent, et seu qui non reciperentur, seu quia ultores criminum accessissent, vi insulam cepere, et sic suscepti inter alios
 5 Iason ab Ysiphyle receptus est, et eius amicitia usus, sociis orantibus et exigente tempore reditu promisso, navem conscendens, eam pregnantem reliquit, que postea geminos peperit, Thoantem scilicet et Euneum; et cum minime reverteretur Iason, et casu cognitum foret a Lemniadibus eam Thoanti
 10 pepercisse patri, regno pulsa est, et a pyrratis capta in litore in servitium regis Nemee deducta est. Qui eidem Opheltem parvum filium suum alendum exhibuit. Que dum operi vacaret, venientibus Argivis in Thebanos in Nemea silva siti pereuntibus, ab his qui aque exploratores venerant, seu ab
 15 ipso Adrasto rege comperta et interrogata est. Que evestigio Langiam fluvium ostendit, ubi sitim posuere reges, et qui illos sequebantur populi, et cum quenam esset explorassent, et ea casus recitasset suos, contigit ut medio ex agmine Thoas et Euneus iuvenes filii eius prosilirent, matre cognita, eiusque
 20 solarentur dolores; sed dum ipsa fortunas suas recitat, alumni oblita, quem inter herbas floresque ludentem liquerat, infelici eventum contigit, ut is a serpente caude repercussione occideretur; quam ob rem turbatus exercitus est. Vere Lygurgus egre filii necem ferens, dum in eam impetu ageretur, ab Adrasto
 25 reliquisque regibus, et a filiis suis servata est. Quid tandem ex ea contigerit nusquam legisse memini.

CAP. XXX

De Amphyone rege Thebarum, V^o Iovis secundi filio,
 qui VII genuit filios et totidem filias.

30 Anphyon filius fuit Iovis et Anthiope, ut in Odissea testatur Omerus. Ex cuius creatione, ubi de Anthiopa scribitur, fabula recitatur. Dicit tamen Ovidius quod ibidem non scribitur, a Iove in taurum verso oppressam Anthiopam et gravidam

factam. Et alibi dicit: Addidit et satyri celatus imagine pulchram Iuppiter implevit gemino Nictēda fetu etc. Omerus præterea, ubi supra, dicit Iovem tres ex Anthyopa suscepisse filios, Anphyonem scilicet et Zethum, atque Calatham. Hos præterea volunt expositos a matre, pulsa a Lyn | ceo rege Thebarum, ob stuprum cum Epapho, seu Iove commissum, et grandes tandem a pastore quodam nutriti, insurrexisse in Lynceum et eum occidisse, atque Dyrce[m] coniugem eius, et demum, pulso Cadmo sene, apud Thebas regnasse. Ex istis autem, secundum Servium, Anphyon musice artis adeo peritus fuit, ut iuxta Lactantium a Mercurio cytharam meruerit, cum qua Thebanos muros construxit, ut Seneca poeta in tragedia Herculis furentis dicit: Cuiusque muros natus Anphyon Iove Struxit canoro saxa modulatu trahens etc. Eumque Lydios modulatos invenisse scribit Plinius. Huic insuper coniunx fuit Nyobes Tantali filia, ex qua, secundum Omerum in Yliade, XII suscepit filios, secundum vero Latinos poetas, et Ovidium potissime, suscepit XIII. Quos cum ob superbiam Nyobis ab Apolline et Diana vidisset occisos, se ipsum gladio interemit. Nunc autem declarande fictiones veniunt. Dicunt igitur hunc a tauro Iove, seu satyro conceptum, quod fictum puto ad fervorem libidinis opprimentis demonstrandum, cum scribatur alibi Anthiopam violenter oppressam. Theodontius tamen dicit Anphyonem et fratres non Iovis sed Epaphi fuisse filios ex Anthyopa, et ob hoc a Lynceo Thebarum Egyptiorum rege Anthiopam repudiatam, in quem Lynceum iam adulti iuvenes insurgentes, eum interfecere, et aufugerunt in Greciam, et a Cadmo suscepti eum senem regno privaverunt, et se Iovis dixere filios. Floruit enim, ut dicit Eusebius in libro Temporum, in musicis, Lynceo regnante Argis. Eum autem cythara movisse saxa in muros Thebanos construendos dicit Albericus, nil aliud fuisse, quam melliflua oratione suasisse ignavis, atque rudibus et duris hominibus, et sparsim degentibus, ut in unum convenirent, et civiliter viverent, et in defensionem publicam, civitatem menibus circumdarent, quod et factum est. Quod autem a Mercurio cytharam susceperit, est quod eloquentiam ab influenza Mercurii habuerit, ut mathematici asserunt.

CAP. XXXI

De XIII filiiis Amphyonis.

Anphyoni ex Nyobe VII fuere filii, et filie totidem, quorum
 hec fuere nomina: Archemorus, Anthegorus et Tantalus, nec
 5 non et Phadimos, Sypilos et Semarcus atque Epynithos. Demum
 filie sic dicte sunt: Asticratia, Pelopia et Cheloris, et post has
 Cleodoxe ac Ogune et Phythia atque Neera. Horum ludentes
 masculi, dicit Ovidius, ob superbiam Nyobis in Latonam oblo-
 10 quentem ab Apolline occisi sunt; femine autem a Diana, Niobe
 a Lactantio; nam pro Archemoro, Anthegoro, Xemarco atque
 Epynitho, ponit Ovidius Ismenum, Alphenorem et Damasyco-
 nem et Ylioneum. Ex his autem omnibus nescio quem Omerus
 15 vocabat Amaleam. Qui hos dicit sic occisos novem annis se-
 pulcro caruisse; tandem conversis a Iove populis in lapides, eos
 contexisse, esto alibi dicat eos in Sypilo monte conditos exti-
 tisse. Quod autem isti tam repente perierint peste factum
 credo, cum sit exterminator Apollo; et hinc contigisse deficien-
 20 tibus hominibus deficisse qui illos sepelirent, qui mortui homi-
 nes, et in lapidem, id est pulverem conversi, eos etiam resolutos
 texere, aut texisse creditum. Vel, quod melius dictum puto,
 populos lapideos factos, id est malis duratos, illos adinventis
 urnis, ut ait Homerus, apud Sypilum sepelisse; non enim ali-
 quando ob pietatem nimiam possumus, quod debemus.

63 a

CAP. XXXII

De Zetho secundi Iovis filio VI^o, qui genuit Ythilum et Thyim.

Zethus filius fuit Iovis et Anthyope, ut ubi de Anphyone
 satis dictum est. Hunc dicit Lactantius super Achilleide, et
 Servius similiter, rusticum fuisse hominem, esto cum fratrem
 30 regnaverit.

CAP. XXXIII

De Ytilo et Thyi filiis Zethi.

Ytilus et Thyis, ut testatur Omerus in Odissea, filii fuerunt Zethi regis ex Aydona coniuge. Ythilum autem per errorem nocte Aydona mater interfecit, putans eum Amalea Anphyonis filium; invidebat quidem uxori Anphyonis, eo quod sibi sex essent filii masculi. Que, ut ait Leontius, crimen suum cognoscens, optavit mori; miseratione tamen deorum in carduelem versa Ythilum deflet. De Thyi autem nudum superest nomen.

CAP. XXXIV

De Calatho secundi Iovis filio VII^o.

Calathus filius fuit Iovis et Anthiope, ut Omerus in Odissea describit. De quo nil preter nomen legisse memini.

CAP. XXXV

De Pasythea et Egyale et Euprosyne gratiis secundi Iovis filiabus.

Pasythea, Egyales et Euprosyne, que Gratie seu Carites appellantur, ut placet Lactantio, Iovis et Authonoy fuere filie. Has dicunt Veneris esse pedissequas, affirmantque quia se lavent in Acydalio fonte, qui in Orcomeno Boetie civitate est, et inde nudas incedere, et invicem iunctas; ac ex eis duas facie ad nos esse conversas, cum tergum tercia vertat. Quid autem in hoc senserint veteres, excutiendum est. Cum enim gratia semper | in bonum sonet, merito Iovis dicentur filie, cuius effectus semper in bonum tendunt. Et cum coniunctionum omnium ex attributa potentia causatrix Venus sit, ut supra dictum est, illi merito obsequuntur, cum semper videatur, aliquali Gratia precedente, quis in unionem seu amicitiam ire

alterius, ut puta ratione benefici inpensi, vel complexionis et morum conformitate, seu studiorum similitudine et huiusmodi. Et ideo, ut placet Fulgentio, Pasithea, que Gratiarum prima est, interpretatur attrahens, eo quod ante alia quacunque moveamur causa, ad aliquam rem desiderandam attrahimur. Secunda autem Egyales interpretatur demulcens, et hoc ideo, quia nisi delectaret in processu, quod appetivimus ante, non iretur in perseverantiam amicitie, imo dissolveretur illico, et id circo, ut demulceat et delectet necesse est, quod attraxerat ante. Tercia autem Euprosines appellatur, quod retinens sonat, ut per hoc intelligatur in vacuum quis in dilectionem alicuius rei attrahi, atque se attractum delectari, nisi quis opere suo teneat quod attraxerat et delectat; et hinc potes advertere duas in te Gratas venientes; terciam vero a te in illas euntem, et sic due in nos faciem, tercia tergum vertit. Vel aliter, si quid enim in hominem gratum miseris, ab eo in te duplum, seu maius redire videbit, et ob id dicit Ylioneus Didoni: Nec te certasse priorem peniteat, quasi velit intelligi, si nobis boni aliquid feceris, et vivat Eneas, duplicatum ab eo recipies. In Acidalio autem fonte ideo balneari dicuntur, quia acida grece latine cura est, et hoc ideo fictum, ut sentiamus quia, dum trahimur, dum mulcemur, dum retinere conamur, variis curis angimur. Nudas autem eas incedere non ob aliud voluere, nisi ut videremus, quia in captandis amicitiiis, nil fictum, nil fucatum, nil palliatum intervenire debeat, quin imo simplici et pura mente, atque aperta in hoc debemus incedere; nam qui aliter exquirunt, amicitiarum mercatores potius quam factores dici possunt.

CAP. XXXVI

De Lacedemone XI^o secundi Iovis filio, qui genuit Amiclatem.

Lacedemon, ut scribit Ditis Cretensis eo in libro, quem de Expeditione Grecorum in Troianos composuit, filius fuit Iovis ex Taygeta, filia Agenoris Phenicum regis, esto Euse-

bius in libro Temporum dicat eum filium fuisse Semeles, patre non nominato, eumque, Crotopo Argivis regnante, Lacedemonem condidisse civitatem.

CAP. XXXVII

De Amiclate filio Lacedemonis, qui genuit Argulum. 5

Amiclas, ut predictus Ditis asserit, filius fuit Lacedemonis, esto sint libri in quibus legatur Lacedemonam feminam fuisse, et ex ea Amiclatem natum. Ego tamen hominem fuisse puto.

CAP. XXXVIII

De Argulo filio Amiclatis, qui genuit Oebalum. 10

63 c

| Argulus, ut idem Ditis dicit, filius fuit Amiclatis, quem Theodontius dicit primum iunxisse apud Acheos quadrigam, sed timeo ne similitudine fere nominis deceptus sit. Is enim, qui primus quadrigam iunxit in Grecia, Arogilus dictus est, et id adinvenit, regnante Argis Phorbante, qui diu ante Argulum fuit. 15

CAP. XXXIX

De Oebalo Arguli filio, qui genuit Tyndarum et Ycarum.

Oebalus, ut dicit Ditis et Theodontius, filius fuit Arguli, quem regnasse dicit Paulus apud Laconas, quos a se Oebalos nominavit. Huic duos fuisse filios comperimus, Tyndarum scilicet et Ycarum. 20.

CAP. XL

De Tyndaro Oebali filio.

Tyndarus, ut Ditis scribit et Theodontius, filius fuit Oebali, illique successit in regno, ex quo, et si nil aliud habeamus, hoc saltem legimus, eum Ledam habuisse coniugem, que, si 25

non ex eo, ex Iove tamen eius in regia Castorem et Pollucem et Helenam et Clitemestram peperit, dato sint, qui Castorem et Clitemestram non Iovis, sed Tyndari filios dicant. Ego omnes quattuor Tyndari fuisse arbitror, sed absit ut auferam
 5 tam pudicissimo deo filios, quos illi liberalis dicavit antiquitas.

CAP. XLI

De Ycaro Oebali filio, qui genuit Erigonem, Ypthimam et Penelopem

Ycarus, ut dicit Leontius, Oebali fuit filius. Hunc Lactantius dicit comitem fuisse Liberi patris, et ab eo accepisse,
 10 uti vinum exhiberet mortalibus. Qui cum pastoribus seu, secundum alios, messoribus suis exhibuisset, et hi, seu quia ultra debitum, seu quia insueti potassent, ebrii facti, et inde existimantes sibi venenum exhibitum, Ycarum apud Marathonem venationi vacantem interemerunt. Quem dicit Servius a cane
 15 suo diu servatum; tandem, ut dicit Theodontius, cum canis fame impulsus domum redisset, eique Erigones virgo, Ycari filia, panem dedisset, et ipse illico ad cadaver reverteretur domini, Erigones eum secuta, patrem occisum comperit. Cuius tandem precibus in celum Ycarus assumptus est, et in Boöthem conversus, et cum eo canis, qui Assyrius nuncupatur. Possibile est, cum in VIII^a spera ab antiquis astrologis multe
 20 sint ymagines, quadam stellarum designatione figurate ex his aliquas in consolationem remanentium post Ycarum nomine Ycari et canis sui denominatas. Verum ego non credo hunc
 25 eum Ycarum fuisse, qui Oebali filius fuit aut Penelopsis pater.

CAP. XLII

De Erigone filia Ycari.

| Erigones filia fuit Ycari, ut Lactantius affirmat et Servius. Que cum Bacho placuisset, ab eo in specie uve, ut dicit
 30 Ovidius, decepta atque oppressa est. Hec tamen, ut dicit Ser-

vius, cum ductu canis in Marathoniam silvam patrem a rusticis
 occisum comperisset, flevissetque diu; tandem doloris impa-
 tiens in arborem laqueo se suspendit. Sed seu corporis pon-
 dere nimio, seu laquei vel rami debilitate factum sit, in terram
 cecidit. Cuius tamen miseri dii eam inter sydera transtulerunt, 5
 feceruntque ex ea in zodiaco signum illud, quod adhuc Virgi-
 nem appellamus. Tractu tamen temporis, cum secundum La-
 ctantium umbra eius regionem illam infestaret, ad eius iram
 mitigandam compertum est ex cera humanam formare speciem,
 et in eadem arbore appendere, et a pastoribus canibusque diem 10
 illam celebrem facere, ex quo Virgilius: Tibique Oscilla ex
 alta suspendunt mollia pinu. Sane Servius aliter; dicit enim,
 quod cum post aliquantum temporis Atheniensibus morbus
 esset immissus talis, ut etiam virgines furore quedam com-
 pellerentur ad laqueum, essetque ab oraculo responsum, se- 15
 dari posse pestem illam, si requirerentur Erygonis et Ycari
 cadavera. Qui illa quesivere diu, et cum reperiri non possent,
 ad ostendendam devotionem suam Athenienses, quasi in ele-
 mento etiam alieno querere viderentur, suspendebant in arbo-
 ribus funes, ad quas se tenentes homines hac atque illac agi- 20
 tabantur, ut quasi per aerem illorum cadavera petere videren-
 tur. Sed quia plurimi cadebant, invenere formas ad sui oris
 similitudinem, et eas pro se suspensas movebant; unde oscilla
 dicta sunt ab eo, quod in his cillarentur, id est moverentur
 ora, et eo modo pestis purgata est. A Bacho autem eam in 25
 specie uve deceptam, ideo dictum credo, quia possibile fuit
 insuetam, dum uvas comederet, ebrietatem incidere.

CAP. XLIII

De Yphtima filia Ycari.

Yphtima filia fuit Ycari, ut in Odissea testatur Omerus 30
 dicens: Ἰφθίμη κόρη μεγαλήτορος δ' ἦϊκτο γυναικὶ Τὴν Ἐυμηλοῦ
 ὄπιε Φερῆς. [Que latine sonant]: Yphtime puelle magnanimi
 Ycari que Eumilo nupsit Feris.

CAP. XLIV

De Penelope filia Ycari et uxore Ulixis.

Penelopes filia fuit Ycari, ut in Odissea testatur Omerus, dum dicit: κούρη Ἰκαρίοιο περιφρων Πηνελόπεια etc. [Que latine sonant]: Filia Ycari Penelope puella. Hec quidem, ut satis vulgatum est, nupsit Ulixi, et ex eo Thelemacum filium peperit. Postea cum ivisset Troiam Ulixes, et inde diu post Troiam deletam errasset, multa | passa est, tam ob pudicitiam suam tutandam, quam procatores plurimi sollicitabant assidue, quam ob timorem insidiarum adversus Thelemacum a proclatoribus positarum, et dolorem non redeuntis Ulixis. Tandem eis servatis, virum rehabuit, in quem tandem finem iverit, non satis certum habeo. Dicit tamen Leontius Lycophronem grecum poetam dicere, Penelopem concubitu omnium proclantium passam, et ex uno eorum genuisse quendam filium, cui Pana nomen fuit. Quod cum in reditu cognovisset Ulixes, statim abiit ad insulam Gortinam, et ibidem abitavit. Quod absit, ut credam pudicitiam Penelopsis, a tot tamque egregiis celebratam autoribus, ab aliquo fuisse maculatam, quicquid Lycophron loquatur maliloquus.

64 a

CAP. XLV

De Tantalo XII° Iovis secundi filio.

Lacedemonis expedita prosapia, ad reliquos Iovis secundi filios redeundum est, ex quibus duodecimum Tantalum scilicet dicit Leontius Iovis fuisse filium, non eum tamen qui Pelopis pater fuit, sed alium. Fuit enim hic antiquissimus Corynthiorum rex, et pius homo, atque deorum mensis sepe accubuit. Quod ideo fictum puto, quia celsissima sit arx Corinthiorum, adeo ut, si quis eam ascendat, in celum videatur conscendere et esse cum Superis.

CAP. XLVI

De Hercule XIII^o, secundi Iovis filio, qui Cartaginem genuit.

Hercules hic a Cicerone, in libro de Naturis deorum cognominatur III^{us}, et ab eodem dicitur Iovis filius ex Asterie sorore Latone susceptus. Hunc preterea summe a Tyriis coli dicit, et ex eo Cartaginem filiam genitam. 5

CAP. XLVII

De Cartagine, quarti Herculis filia.

Cartago, ut proxime supra monstratum est, Herculis quarti filia fuit; quam ego mulierem fuisse non credo, sed eam civitatem quam nos Cartaginem nuncupamus, que ideo Herculis filia dicta est, quia a Phenicibus, qui Herculem summe colebant, posita Herculis dei sui auspicio. 10

CAP. XLVIII

De Minerva, secundi Iovis filia XIII^a.

Minerva, non ea cui cognomen Trytonia fuit, Iovis secundi fuit filia, ut scribit Tullius de Naturis deorum; quam idem Tullius inventricem asserit fuisse bellorum atque principem, et ob id a nonnullis Bellona appellata est; et soror Martis et auriga, ut testari videtur Statius dicens: Regit atra iugales Sanguinea Bellona manu, longaque fatigat Cuspide etc. 20
64 b Nec ea fuit hec, quam veteres | virginem et sterilem asseruere, quin imo, ut idem dicit Tullius, ex Vulcano, Celi filio antiquissimo, Apollinem primum peperit. Preterea, ut dicit Leontius, hec est, quam armis insignem finxere, oculis torvam, hastamque gerentem longissimam cum cristallino clipeo, et hoc magis ad ostentationem inventi a se belli, quam ob aliquod aliud significatum. Quod ego non credo, quin imo insignia 25

illa ad aliquod misterium ostendendum apposita omnia puto. Nam cum omnes assiduis infestemur bellis, armatam fingi puto, ut doceamur providos viros semper in armis consistere, id est consiliis, quibus ad emergentia possit obsistere. Quod oculos
 5 abeat torvos, ostendit sapientem defacili capi non posse, cum ut plurimum exterioribus actibus longe aliud se ostendat agere, quam gerat animo, uti torvus alibi respicit quam intuentes eius faciem arbitrentur. Hasta autem idio illi dicatur longissima, ut noscamus prudentem virum etiam longinqua cognoscere, et ex longinquo ictus infigere, atque a se insidiantes
 10 repellere. Cristallinum autem ideo illi clipeum attributum esse, ut appareat in transparenti cristallo atque solido corpore sapientem virum eque simul et hostis videre opera, et se ipsum remediis oportunitis protegere. Huic insuper dicit idem Leon-
 15 tius, cum Neptuno de impositione nominis civitati Athenarum fuisse certamen, illudque presentibus diis in Ariopago agitatum, actumque eorum sententia, ut quis eorum terra percussa laudabiliorem produxisset effectum, is civitati nomen imponeret; ob quam rem Neptunus, percusso tridente solo, equum pro-
 20 duxit. Minerva autem, hasta proiecta, produxit olivam. Que quoniam utilior visa sit equo, Minerva deorum iudicio civitatem ex suo nomine nuncupavit Athenas; nam Minerva a Grecis Athena vocitata est. Quod hic figmenti est, sic Albericus exponit. Dicit enim Cicropi conditori, qui et huic Minerve contemporaneus fuit, et, iusta Theodontium, pater, fuisse aliquandiu
 25 ambiguum, an illa a commoditate maris, qua plurimum valebat, an a commoditate terre qua etiam pluribus habundabat, denominaretur; quam maris commoditatem per equum designare voluere, quia et mare vehat ut equus, et equus ut mare
 30 velox sit, et non nunquam impetuusus et furore nimio plenus, ut mare. Terre vero olivam, | seu quia locus olivarum abundans sit, seu quia pingue sit solum et fertile. Tandem dum cerneret circumspectus homo maris commoda variis ex causis posse subtrahi, et terrestria qualiacunque esse continua, a terrestribus perpetuis denominanda censuit, eamque vocavit Athenas, quod latine immortales sonat. Ego autem puto, cum ma-

ritima civitas sit Athene, dissensionem hanc inter nautas et
 mechanicos fuisse homines, ostendentibus nautis rem plurimum
 augeri navigiis, que per equum intelligenda sunt. Mechanici
 autem contra, artibus et agricultura civitates substentari et
 augmentari, que per olivam demonstrantur, cum eius sit liquor
 mitis et ampliativus; quam ob rem a diis, id est a iudicibus,
 in hoc datis pro mechanicis, sententia lata est, et hic pro
 nautis optime Neptunus inductus est, pro mechanicis autem
 Minerva, que artium omnium fere repertrix fuit. Posset hic
 quis obicere Iovem primum regem Athenarum dictum longe
 antiquiorem Cicrope, et hic Cicropem conditorem dicimus
 Athenarum; hanc obiectionem paucis absolvit Leontius. Dicit
 enim non de novo edificatas Athenas a Cicrope, sed mari
 propinquoiores factas, et hac tempestate sponte sua olivam in
 arcem natam.

CAP. XLIX

De Arcade XV° filio secundi Iovis, qui genuit Yonium.

Arcas Iovis fuit filius et Calistonis nynphe, ut clare te-
 statur Ovidius. Huius enim mater post Lycaonem patrem e
 regno pulsum a Iove, ut refert Paulus, se choris Diane so-
 ciavit, et in venationibus vitam agens, cum etate valeret et
 forma, a Iove dilecta est, et, ut dicit Ovidius, ab eodem sub
 specie Diane inter umbras nemorum decepta et oppressa est.
 Que cum concepisset, et iam excresceret uterus, a puellis sociis
 ad lavacrum evocata est, se lavante Diana. Hec autem timens,
 ne crimen appareret suum, si vestimenta poneret, lavari re-
 nuebat; tandem a virginibus nudata, cum turgidum ventrem
 Diana vidisset, confestim eam a consortio suo reppulit, que
 postea Arcadem peperit. Quod facinus cum cognovisset Iuno,
 irata in eam, illam diu traxit crinibus, et tandem transformavit
 in ursam. Archas autem cum iam grandis esset, eam sibi in-
 cognitam et ad se venientem voluit occidere. Ast ipsa pavida,
 ut ait Theodontius, in Iovis templum, cuius semper erant

aperte ianue, nec illud propterea aut fera aut avis intrabat
ulla, aufugit, in quod et Arcas secutus est. Quos cum vellent
incole occidere, a Iove prohibiti sunt, et mutato eque in |
ursum Arcadem, ambos in celum transtulit, et circa polum
articum locavit. Calisto autem ursa minor dicta est, ubi maior
5 vocatus est Arcas. Iuno autem ex hoc turbata, quod pelex in
celum suscepta esset una cum filio, accessit ad Thetydem ma-
gnam nutricem suam, oravitque, ne has ursas more aliorum
syderum suis in undis lavari pateretur, quod Thetis ultro se
10 facturam promisit, et servat usque in hodiernum. Sub hac
fictione ut plurimum latet hystoria. Nam, superato a Iove
Lycaone, Calisto filia aufugit ad virgines Pani Lyceo sacras,
et, cum his emisso perpetue virginitatis voto, contigit, ut audita
a Iove eius formositate caperetur, et incideret in desiderium
15 potiundi, et cum se in habitum sociorum transformasset, clam
noctu accessit ad illam, et, cum variis suasionibus in suum
desiderium traxisset, eam vitiavit atque pregnantem fecit.
Postremo cum partu crimen appareret Calistonis, evestigio cum
maximo dedecore suo, nil ulterius timore Iovis audentibus
20 virginibus sacris, una cum filio claustris exclusa est. Que ob
ruborem clam secessit in silvas, et in eis latuit diu incognita.
Sane cum adolevisset filius, essetque ingentis animi, nec posset
perpeti matris imperium, eam voluit occidere. Que timore per-
cita silvas linquens confugit ad Iovem. Qui eam in gratiam
25 filii reconciliavit, permisitque ut in patrium possent redire re-
gnum, iuvitque. Quam ob rem cum Arcas ferox iuvenis Pe-
lasgos in dicionem redegisset suam, Arcades illos ex suo
nomine appellavit. Arcades autem Calistonem, quam mortuam
putabant, ob diuturnam latebram ursam appellavere, cum ursus,
30 ut aiunt physiologi, certam anni partem in cavernis moretur
dormiens, et a nomine matris ursum filium etiam vocavere.
Quos ambos postea, in gratiam Arcadis, poete in celum trans-
latos dixere, et ex canibus eis in locis, in quibus hos loca-
verunt, diu ante ab Egyptiis figuratis fecere ursos. Quod autem
35 a Thetide Iunonis alumna lavari oceano non permittantur,
sumptum est ab elevatione poli, qui in regione nostra adeo

elevatus est, et hec sydera adeo illi propinqua, ut circumitione celi, sicuti relique que occidendo mergi videntur oceano, oceano mergi non possint, imo earum circa polum integram circumitionem videmus. Hunc Arcadem scribit Eusebius subegisse Pelasgos anno mundi $\text{III}^{\text{d}}\text{c}^{\text{c}}\text{viii}$.

CAP. L

65 a

De Yonio | filio Arcadis, qui genuit Nycostratam.

Yonius fuit, ut ait Theodontius et post eum Paulus, Arcadis filius ex Selene nynpha susceptus. Homo evo suo bellica arte et potissime navali peritissimus adeo, ut litora fere omnia Peloponensia, et usque ad mare Syculum sue dicioni subigeret, et a suo nomine Yonas et Yonium cognominaret mare. Qui in tam grandem venere preminentiam, ut sibi totius Grecie quartam partem subesse diceretur, et Yonicis licteris atque grammatica uti cogerent. Sane Leontius negat hoc cognomen genti marique inditum ab Yonio rege, affirmans diu ante illis fuisse et ab Yone Ynaci filia, cui maximum in partibus illis fuit imperium appositum, quod etiam alibi ipsemet testatur Theodontius. Fuit ergo Yonio, ut Theodontius dicit et Leontius, filia unica nomine Nycostrata.

CAP. LI

De Nycostrata filia Yonii et matre Evandri.

Nycostrata, Theodontio et Leontio asserentibus, filia fuit Yonii Arcadum regis. Que cum, secundum predictos, Pallanti, cuidam Arcadi viro nobili, nupsisset, seu secundum alios eius nurus existeret, ex Mercurio postea Evandrum Arcadie regem concepit; et cum Grecarum licterarum esset doctissima, adeo versatilis fuit ingenii, ut ad vaticinium usque penetraret vigilantissimo studio, et famosissima vates evasit. Et cum querentibus non nunquam expromeret futura carmine, Nycostrate abolito no-

mine, Carmenta nuncupata est. Que cum Evander putativum
 patrem seu verum potius occidisset casu, ut quidam volunt, seu
 ut aliis videtur, seditione suorum e regno pulsus avito, magna
 filio fugienti vaticinio promittens, cum eo ad Ytaliam devenit,
 5 et hostia Tyberis intrans, in Palatino monte consedit. Et cum
 silvestres comperisset incolas, novos licterarum caracteres adin-
 venit, eosque earum coniunctiones sonosque edocuit. Que et
 si ab initio XVI tantum fuerint, aliis a posteris superadditis,
 eis in hodiernum usque utimur. Cuius rei admirati rudes, non
 10 hominem sed deam potius arbitrati sunt. Et cum eam adhuc
 viventem divinis celebrassent honoribus, mortue sub infima
 Capitolini montis parte, ubi vitam duxerat, sacellum suo no-
 mini condidere. Et ad eius perpetuandam memoriam a suo
 nomine loca adiacentia Carmentalia vocavere. Quod quidem
 15 nec Roma iam | grandis abolesse passa est, quin imo ianuam
 civitatis, quam ibi exigente necessitate cives construi fecerant,
 Carmentalem per multa secula vocavere. Supererat, ut omnis
 Iovis secundi posteritas esset apposita, Dardanum, qui ex filiis
 eius unus fuit, et omnem ipsius prosapiam apponere; verum
 20 quoniam volumen hoc quintum finem poscere videbatur, et
 illam esse longiusculam, visum est hic terminum figere, et
 Dardanum prolemque suam sequenti volumini reservare.

65 b

Genealogie deorum gentilium liber V^{us} explicit.

GENEALOGIE DEORUM GENTILIIUM SECUNDUM IOHANNEM BOCCACCIUM DE CERTALDO LIBER SEXTUS INCIPIT FELICITER.

66 a

5 In arbore precedenti, cuius in radice ponitur Dardanus, XVI^{us} filius Iovis secundi, omnis eiusdem Dardani proles describitur tam in ramis quam in frondibus.

Prohemium.

Defecerat in faucibus Tyberis levis cimbule impetus, ubi, dum ociosus et novas vires et novos expectarem pariter flatus, quadam loci veneratione tractus, cepi adiacentia cuncta con-
10 spicere. Erat ibi videre Laurenti veteris Laviniique ruinas et priscorum Latinorum cunabula; inde Longam Albam, a feta sue denominatam, silvis obsitam atque vepretis, nullum fere de se preter nomen prestantem vestigium. Ast ulterius paululum aurea olim Roma fulgebat, veteri potius splendore quam
15 lumine novo. Quam dum toto intuerer animo, in mentem prisci venere reges, venere et proceres sublimesque duces, insignes virtute plurima et militari disciplina, atque sanctissima paupertate spectabiles, venere triumpho conspicui sub-
20 cteque undique nationes et gloria singularis imperii, qua sola mortales ceteros superavit, et ob quam orbis totius et frena regere et vocari meruit caput. Dumque mecum mirabundus perquirerem, quisnam tante molis genitor, quis dici primus potuerit parens, Terra an Tytanus vel Neptunus potius, educere ingentia corpora consueti, Tuscus Dardanus subintravit me-

moriam, eumque victoriosi populi vetustissimum avum memini.
 Nec ex longinquo videbatur litus, ex quo navem solverat,
 iturus in Asyam usque, tam inclite posteritatis semina proie-
 cturus. Quam ob rem, ne omissa videatur proles tanta clari-
 tate conspicua, Tusci fluminis relictis hostiis, veterem secutus
 aque sulcum, ut oculata fide maiorum monumenta cognosce-
 rem, Zephiro favente, in litus usque Meonium contendi, ut
 ab inde, eo prestante, qui aquas seiunxit ab arida, tam grandis
 tamque admirabilis imperii per suas successiones avos vetu-
 stissimos recenserem, et in ultimum usque inclite posteritatis
 deducerem successores.

CAP.

De Dardano XVI^o Iovis secundi filio, qui genuit Ericthonium.

66 b

| Ostensum est in precedentibus Iovem secundum Celi fuisse
 filium, cuius posteritas, quoniam series in precedenti volumine
 fere omnis designata est, solo reservato Dardano, in hoc libello
 eius sobolem describemus, eo preassumpto, quem veteres Iovis
 testantur filium ex Eletra Atlantis filia, et Corithi regis coniuge
 susceptum, ex quo de Fastis ait Ovidius: Dardanon Eletra
 quis nescit Athlantide natum; Scilicet Eletram concubuisse
 Iovi etc. Hunc aiunt prisca inter ceteros filios Iovem precipue
 dilexisse. Sed quid velit fictio paucis advertamus. Constat
 autem, sententia Pauli, Dardanum Corithi regis fuisse ex
 Eletra coniuge filium, sed ad nobilitandam posteritatem Iovi
 attributum, cui etiam moribus erat conformis; nam natura
 mitis homo fuit et religiosus, ut idem ait Paulus. Huic Iasius
 fuit frater, esto sint qui addant Ytalum et Sycanum atque
 Candaviam sororem; et cum Coritho sola civitas Corithus
 esset de suo nomine dicta, et ea erat que hodie opinione
 Pauli aliquibus additis licteris vulgo Corneto vocatur, vene-
 runt eo mortuo de successione in discordiam fratres natu
 maiores, Dardanus et Iasius, qua commotus Dardanus, qui tem-
 pore potior erat, Iasium interemit. Quam ob causam cum

turbatos cives cerneret, cum parte populi navem conscendit, et longa actus navigatione, primo in Samotraciam, que tunc Samos erat, sedes habuit, ut testatur Virgilius dicens: Arruncos ita ferre senes, his ortus in agris Dardanus Ydeas Frigie penetravit ad urbes Treyciamque Samum, que nunc Samotracia fertur. Hinc illum Corithi Tyrena a sede profectum etc. A Samo autem eam in Asye partem abiisse, que Hellesponto contigua est mari, et eam quam occupavit oram de suo nomine Dardaniam nuncupasse, quam apud regnavit, oppido eiusdem nominis constructo. Quod contigisse visum est Eusebio circa XXXV Moysis annum, regnante Argivis Steleno; qui mundi fuit annus $\text{III}^{\text{m}}\text{dcccxxxvii}$. Ibidem autem, cum annis regnasset quinquaginta, ut idem dicit Eusebius in libro Temporum, Erictonio filio relicto superstite diem clausit.

CAP. II

De Ericthonio Dardani filio, qui genuit Troyum.

Erichthonius filius fuit Dardani. Hunc Paulus arbitratur ex Candavia Dardani coniuge et sorore natum. Hic autem Dardano patri successit, | et cum regnasset annis XLVII, Troio filio derelicto, defunctus est. 66 c

CAP. III

De Troyo Ericthonii filio, qui genuit Ganimedem, Ylioneum et Assaracum.

Tros seu Troius filius fuit Ericthonii, ut carmine patet Ovidii: Huius Ericthonius, Tros est generatus ab illo. Hic patri succedens, cum vir esset armorum, ampliato regno, ex suo nomine regionem, que usque tunc Dardania dicebatur, appellavit Troiam. Huic bellum fuit adversus Tantalum Frigie regem ob raptum sibi ab eo Ganimedem filium, quem preter Ylionem et Assaracum genuit, quibus superstitibus diem obiit.

CAP. IV

De Ganimede Troy filio.

Ganimedes Troi regis fuit filius, speciosissimus adolescens, de quo sic Virgilius: Intextusque puer frondosa regibus Yda Veloces iaculo cervos cursuque fatigat, Acer, anelanti similis; quem prepes ab Yda Sublimen pedibus rapuit Iovis armiger uncis; Longevi palmas nequicquam ad sydera tendunt Custodes sevitque canum latratus ad auras etc. Ovidius autem post Maronem dicit: Rex superum Frigii quondam Ganimedis amores Arsit; et inventum est aliquid, quod Iuppiter esse, Quam quod erat, mallet. Nulla tam alite verti Dignatur, nisi que poterat sua fulmina ferre. Nec mora, percusso mendacibus aere pennis Accipit Yliadem, qui nunc quoque pocula miscet, Invitaque Iovi nectar Iunone ministrat etc. Fabula que de Ganimede narratur, satis bene percipi potest ex carminibus dictis, hoc addito quod Aquarii signum factus sit. Huius intentum paucis iudicio suo Fulgentius explicat dicens: Iovis pugnantis navali certamine, existentisque in navi, cuius aquila erat insigne, bellicam predam fuisse Ganimedem. Eusebius autem, in libro Temporum, non a Iove raptum, sed a Tantalos Frigie rege dicit, quod scriptum asserit a Phandro poeta, et ob hoc ortum bellum inter Troium et Tantalum; et hinc videtur frustrari superior fabula. Sane secundum Leontium non frustratur. Dicit enim Tantalum ad Iovis Cretensis gratiam promerendam, quem impudicissimum cognoscebat, sub signis aquile venantem, adolescentulum rapuisse, eumque Iovi dono dedisse. Quod autem deorum pincerna factus sit, ideo dictum est, quia inter celi ymagines figuratus forsitan ad suorum solatium eam esse dicunt, quam vocamus Aquarium, in quo existente sole, terra maximis ymbribus irrigatur, quarum humidis vaporibus sydera pasci non nulli voluere, et sic deorum pincerna factus est. Fuit autem regnante Argivis Prito.

CAP. V

De Ylione filio Troy, qui genuit Laomedontem.

66 d

Ylion, ut Omerus in Yliade, ubi omnis genologia Troianorum usque ad Hectorem et Eneam explicatur, ait, filius
 5 fuit Troili regis Troianorum. Hic, ut dicit Eusebius in libro
 Temporum, regnante Athenis Cicrope, Ylionem civitatem, illam
 inclitam Omeri carmine, condidit et suo nomine nuncupavit.
 Hec enim est, que decennem Grecorum obsidionem passa
 est, et ab eis deleta. Condita autem est circa anni mundi
 10 III dccc xcv. Ylioni autem unicum legimus fuisse filium Lau-
 medontem, quem superstitem moriens dereliquit.

CAP. VI

De Laumedonte Ylionis filio, qui inter mares et feminas octo genuit filios,
 quorum hec sunt nomina: Antigona, Hesyona, Lampus, Clition,
 15 Icetaon, Tyton, Bucolion et Priamus.

Laumedon rex Troie filius fuit Ylionis, ut scribitur in
 Yliade ab Omero. Hunc dicunt veteres voluisse Ylionem muris
 circumdare, et cum Apolline et Neptuno convenisse, ut ipsi
 muros facerent, mercede promissa et observandi iuramento
 20 prestito. Qui cum fecissent, nec sibi promissum servari cer-
 nerent, omnis Troia a Neptuno aquis repleta est, et Apollo
 insuper misit pestem. Quam ob rem anxius Laumedon de re-
 medio oraculum consuluit, cui responsum oportere quotannis
 virginem Troianam ceto marino, scilicet monstro, exponere.
 25 Quod forte apud Troianos fiebat. Tandem Hesyoni Laume-
 dontis filie fors contigit. Que cum in scopulo religata mon-
 strum expectaret, advenit Hercules, qui cum Laumedonte pa-
 ctionem fecit, videlicet si liberaret a monstro filiam, ipse sibi
 equos divino semine procreatos, quos constabat Laumedontem
 30 habere, largiretur. Attamen cum Hercules virginem liberasset,
 noluit Laumedon servare promissum. Quam ob rem, seu ut

aliis placet, quia dum Ylam puerum perditum quereret, a Laumedonte portu Troiano prohibitus est, et ideo cum amplioribus copiis veniens Ylionem expugnavit, et Laumedontem occidit, et omnia eius vertit in predam. His apposis, quid sibi velit fictio videamus. Volunt enim apud Troianos pecuniam fuisse in sacra Neptuni atque Apollinis reservatam, quam Laumedon iureiurando prestito se non solum eandem restitutum, sed insuper ex propria largitutum in predictis sacris, in edificationem murorum civitatis expendit, nec tandem petentibus pecuniam restituere voluit. Sane adveniente postea aquarum inundatione, et post eam non satis a sole digestam, ut fit, aer infectus aquarum | putredine pestem intulit; que duo quoniam ad Neptunum et Apollinem pertinere viderentur, adinventum est ea ob periurium a deceptis diis inmissa. Quod virgines monstro apposite sint responso oraculi, cum sic illos deciperet persepe dyabolus, possibile puto, et hinc hystoriam habere cetera arbitror. Fuere huic filii filieque plures, quamquam solus Priamus esset in regno successor.

CAP. VII

De Antigona Laumedontis filia.

Antigonam filiam fuisse Laumedontis testatur Servius. Quam dicit, eo quod formosissima esset, ausam se pulchritudine preferre Iunoni, ob quam causam irritata Iuno eam vertit in ciconiam. Cuius figmenti talis potest ratio reddi. Dicit Leontius, quod capto ab Hercule Ylione, et occiso Laumedonte, omnes Laumedontis filii, exceptis Hesyna et Priamo, qui capti fuerunt, clam aufugerunt, quo illos fortuna detulit; Antigona autem inter arundineta Camandri latuit pluribus diebus, et hinc ego fabule locum datum puto, quia que superbia sua se, regnante patre, referebat pulchritudine ceteris, a fortuna regnorum domina vices vertente, eo deducta sit, quo consuevere ciconie victum querere; et sic ipsa, donec ibidem fuit, quasi in ciconiam versa visa est.

CAP. VIII

De Hesyona Laumedontis filia et Teucris matre.

Hesyona filia fuit Laumedontis, que cum primo, ut supra dictum est, fuisset a monstro marino ab Hercule liberata, postmodum ab eodem Hercule, deiecto Ylione, et occiso Laumedonte, capta est, vet Thelamoni, quoniam primus muros conscendisset civitatis, in partem prede concessa est. Qui eam Salaminam detulit, et cum frustra sepius a Priamo repetita esset, Thelamoni Teucrum filium peperit.

CAP. IX

De Lampo, Clitione et Icetaone filiis Laumedontis.

Lampus, Clition et Icetaon filii fuere Laumedontis, ut in Yliade dicit Omerus sic aiens: Λαομέδων δ' ἄρα Τῆθωνον τέκετο Πριάμον τὲ Λαμπόν τὲ Κλυτιον θ' Ἰκετάονα τ' ὄζον Ἄρηος [Que latine sonant]: Laomedon vere Tytonon genuit Priamumque Lampumque Clitionem Icetaonemque ramum Martis. Ex his tamen tribus nil preter nudum nomen habemus.

CAP. X

De Tytone Laumedontis filio, qui genuit Mennonem.

Tyton, ut supra proximo Omeri carmine monstratum est, filius fuit Laumedontis. Qui cum esset forma decorus iuvenis, ut dicit Servius, ab Aurora dilectus et raptus est, ex qua filium aiunt Mennonem | suscepisse, et cum longissimam optasset vitam et obtinisset, postremo in cicadam versus est. Hunc autem ab Aurora raptum, nil aliud puto, nisi quia desiderio captus, auditis forsitan per que sperabat imperium posse nancisci, patria dimissa, ad orientales migravit populos, a quibus nobis aurora consurgit, et ex eis subegit plurimos, eisque impe-

ravit. Quod autem in cicadam versus sit, cur fingatur, non nulle possunt rationes ostendi. Prima quarum est, quia uti rore matutino, qui in aurora cadit, cicade aluntur; sic et iste sumptibus orientalium populorum, qui sub aurora sunt, alebatur. Preterea quia cicade nigre sunt, cum virides nascantur, sic et iste qui albus natus est, agente fervore solis, eius regionis, ad quam transitum fecerat, incolarum ritu niger effectus est. Postremo quia senex audita morte Mennonis filii, et suorum desolatione in querulam senectutem lapsus sit, et inde mortuus, uti cicade faciunt, que potius conqueri quam cantare videntur, et demum post longam querelam crepantes obeunt.

CAP. XI

De Mennone Tytonis filio.

Mennon, Ovidio teste, filius fuit Tytonis ex Aurora susceptus. Hunc dicunt cum maxima orientalium populorum copia subsidio venisse Priamo, et in pugna ab Achille occisus est. De quo fabulose dicit Ovidius, quod dum rogo impositus ureretur, oratione Aurore matris, a Iove in avem mutatus est, et cum eo multe aves ex favillis pyre prodisse, que cum ter pyram cum ingenti clamore circumissent, sese divisere, et tam diu inter se decertavere, donec mortue occubuere. Quas aves Mennonias appellatas dicit Ovidius. Hec fictio a consuetudine quadam circa pyram Mennonis servatam a suis, et a quadam contingentia mirabili sumpsit originem. Vetustissimus mos orientalium fuit, cariores amicos regi mortuo velle cum cadavere regis comburi, et ad hoc, seu adversum se concurrentes, ut circa Mennonis corpus factum puto, seu aliter in mortem vadunt et regio imponuntur rogo. Preterea dicit Solinus De mirabilibus mundi sic: At iuxta Ylium Mennonis stat sepulcrum, ad quod ex sempiterno ex Ethyopia catervatim congregate aves advolant, quas Ylienses Mennonias vocant. Cremutius autor est: has easdem anno quinto in Ethyopia catervatim congregari, et undique versum, quousque qua sint, ad re-

giam Men|nonis convenire. Hec ille. Sunt preterea qui dicant 67 c
a Mennone Susim, insigne oppidum Persie, quod Sure fluvio
imminet, fuisse constructum.

CAP. XII

5 De Bucolione Laumedontis filio, qui genuit Esipium et Pidasum.

Bucolion filius fuit Laumedontis, ut in Yliade testatur
Omerus, dum dicit: Βοῦκολιων δ'ἦν υἱός ἀγανοῦ Λαομεδοντος [Que
latine sonant]: Bucolion autem filius fuit gloriosi Laumedontis.
De hoc autem nil habemus ulterius, nisi quod genuerit filios
10 duos, Esypium et Pidasum.

CAP. XIII

De Esypio et Pidaso filiis Bucolionis.

Esypius et Pidasus filii fuere Bucolionis, ut in Yliade
scribit Omerus, sic dicens: Βῆ δὲ μετ' Αἴσηπον καὶ Πήδασον,
15 οὓς ποτε νυμφῆ Νηϊς Ἀβαρβαρῆ τεκ' ἀμύμονι βουκολίωφι etc.
[Que latine sonant]: Que autem ad Esipium et Pidasum, quos
quondam nympa Niis Avarvarea genuit laudabili Bucolioni.
Hi quidem strenui iuvenes in pugna adversus Grecos fuere, sed
tandem ab Eurialo quodam Greco pugnante occisi sunt ambo,
20 ut idem testatur Omerus.

CAP. XIV

De Priamo Laumedontis filio, qui ex Ecuba coniuge XVIII genuit inter
filios et filias, et ex aliis mulieribus inter mares et feminas genuit
XXXI, ex quibus quinquaginta, nomina tantum XXXVIII cogno-
25 vivimus, que hec sunt: prima Creusa, II^a Cassandra, III^a Yliona,
III^a Laodices, V^a Licastes, VI^a Medesicastes, VII^a Polixena, VIII Pa-
ris, VIII Hector, X Helenus, XI Caon, XII Troylus, XIII Deypho-
bus, XIII Polydorus, XV Polydorus, XVI Lycaon, XVII Esacus,
XVIII Anthisus, XVIII Ysus, XX Teucer, XXI Dimocoontes,

XXII Echemon, XXIII Cromenon, XXIII Gorgiton, XXV Cebrion, XXVI Phorbas, XXVII Doriclou, XXVIII Pammon, XXVIII Anthyphon, XXX Agaton, XXXI Hyppotous, XXXII Aganon, XXXIII Lacontes, XXXIII Mistor, XXXV Yphates, XXXVI Thestorius, XXXVII Timootes, XXXVIII Polytes.

5

Priamus Laumedontis regis fuit filius, adeo notus inter mortales, ut vix usquam notior alter sit. Eo quidem adhuc puero esistente ab Hercule Ylion civitas deleta est, et occisus Laumedon, et ipse cum multis aliis captus. Quem Hercules vicinis pretium, pro eo dantibus, illis restituit, et a redentione Priamus appellatus est, ut Servio placet. Hunc tandem semidirutam patriam restaurasse constat, voluntque scriptores multis eam adversus hostiles impetus vallasse. Nam dicit Servius eum sic egisse, ut pro rato haberetur secundum Plancum, tribus stantibus rebus, eam capi non posse: vita scilicet Troyli, Palladii conservatione et Laumedontis sepulcro integro, quod in porta Scee fuit. Secundum autem alios longe plura ad eam capiendam oportuna Grecis fuere: ut scilicet de Eaci gente aliquis interesset, unde Pyrrus admodum puer ad bellum vocatus est; ut Rhesi regis equi tollerentur, antequam Xanti aquam gustassent; et ut Herculis interessent sagitte, quas misit Phylothes, cum ipse non posset afferre morte preventus. Priamus ergo Laumedonte mortuo regnavit. Cui cum cuncta pro votis succederent, capta Ecuba filia Cipsei regis Tracie in coniuge, et ex ea multis susceptis filiis, et ex aliis mulieribus etiam quam pluribus, in tam grandem regnum suum ampliavit splendorem, ut non solum Troie rex, sed totius Asye videretur. Sane dum Paris filius eius, pro rapta Eryona sorore Priami ab Hercule, Helenam Menelai coniugem rapuisset, et deduxisset in Troiam, nullisque posset induci suasionibus, ut illam repetentibus Grecis restitueret, eos cum mille navibus in litus Troianum descendentes vidit, et Ylionem etiam obsidentes, et circum igne ferroque cuncta vastantes, et persepe filios suos et naturales et legitimos, et auxiliares reges occidentes, et postremo cesum vidit Hectorem et curru Achillis trahi, ad cuius redimendum cadaver dicit Omerus in Yliade circa finem,

10

15

20

25

30

35

nocte Mercurio duce ivisse, et flexis genibus Achillem orasse.
 Esto dicat Servius longe aliter fuisse; eum scilicet nocte ad
 tentorium Achillis accessisse, eumque dormientem invenisse,
 adeo ut eum occidere potuisset, sed excitasse potius voluisse,
 5 atque orasse et obtinuisse petatum, et ab Achille usque Troiam
 post modum prosecutum; sed hec ab Omero oppressa, ne qui
 laudum Achillis erat prece, videretur dedecorum suorum reci-
 tatur. Vidit preterea Priamus Palladium subtractum, equos
 Rhesi eductos, Troilum cesum et Paridem, et ultimo Ylium
 10 capi, et filias captivas deduci, et igne cuncta cremari, et in
 regiam usque suam, post Polytem filium fugientem Neophtho-
 lemmum penetrantem, et in sinu suo infelicem filium occiden-
 tem, seque obiurgantem transfodi gladio. Sane dicit Servius 68 a
 de morte Priami varie opinari. Cum dicant alii eum a Pyrro
 15 in domo regia captum, et ad tumulum usque Achillis tractum,
 ibique confossum et busto caput abscisum atque pilo impo-
 situm et circumlatum. Alii dicunt ad Hercei Iovis aram, ut
 diximus, quod opinari videtur Virgilius. Fuerunt enim huic,
 ut ipsemet Achilli narrat in ultimo Yliadis libro, filii quinqu-
 20 ginta, inter mares et feminas, ex quibus dicit se XVIII ex co-
 niuge suscepisse, reliquos vero ex mulieribus aliis in atriis
 suis commorantibus.

CAP. XV

De Creusa prima filia Priami et Enee coniuge.

25 Creusa filia fuit Priami ex Hecuba, ut testatur Servius,
 fuit Enee coniunx ut sepius per Virgilium patet; eique filium
 peperit Ascanium. Hanc in excidio Ylionis ab Enea cum patre
 et filio fugiente perditam dicit Virgilius. Sed non nulli eam
 ab ipso ex pactione cum Grecis facta occisam volunt, ne quis
 30 in sua libertate ex semine Priami superesset. Quod satis caute
 tetigisse videtur Virgilius, ubi Eneam exquirentem eam de-
 scribit, et illius umbram loquentem Enee inducit atque dicen-
 tem: Non ego Mirmidonum sedes Dolopumque superbas Aspi-

ciam, aut Grais servitum matribus ibo, Dardanis et dive Veneris nurus. Sed me magna deum genitrix his detinet oris etc. Et sic patet, postquam a nemine captam se dicit, sed detineri a matre deum, que terra est, eam ibidem mortuam derelictam atque infossam.

5

CAP. XVI

De Cassandra II* Priami filia.

Cassandra filia fuit Priami et Hecube, formosa virgo. Quam cum amaret Apollo, eiusque concubitum peteret, petiit Cassandra munus, quod illi Apollo se daturum iuramento fermavit. Petiit ergo ut vates fieret, et facta est. Volens autem Apollo quod petierat, ipsa negavit. Quam ob rem turbatus Apollo, cum auferre nequiret quod dederat, egit ut nulla prestaretur fides vaticiniis suis, et sic factum est. Nam cum ex raptu Helene quid futurum esset Troianis prediceret, non solum non credita, sed a patre et fratribus sepissime verberibus castigata est. Hec autem Corebo Migdonio iuveni desponsata fuerat, ut per Virgilium patet dicentem: Iuvenisque Corebus Migdonides; illis ad Troiam forte diebus Venerat insano Cassan|dre accensus amore Et gener auxilium Priamo Frigiisque ferebat etc. Tandem cum nondum nuptias celebrasset, capto Ylione, et ipsa infelix a Grecis capta est, ut idem dicit Virgilius: Ecce trahebatur passis Priameia virgo Crinibus a templo Cassandra aditisque Minerve Ad celum tendens ardentia lumina frustra, Lumina, nam teneras arcebant vincula palmas etc. Verum Ylione diruto, et preda inter principes divisa, misella in sortem contigit Agamenoni. Que passa secum tempestates maris, Agamenoni, que illi fata servarentur a coniuge, predixit, ut Seneca poeta testatur in tragedia Agamenonis. Sed more solito, nil sibi creditum est; ex quo, ut in Odissea testatur Omerus, factum est, ut in convivio ab Egysto et Clitemestra Agamenon occideretur, et ipsa, iubente etiam Clitemestra, perimeretur. Quod autem de Apolline fictum est, ab eventu sumptum videtur.

10

15

68 b

20

25

30

Studit enim virgo, ut vaticinio instrueretur, et eo quod optime proficeret, ab Apolline divinationis deo diligi visa est, dictumque illi ab eo concessum, quod labore quesiverat, et quoniam fides dictis eiusdem non prestabatur, quod figmenti superest additum est.

CAP. XVII

De Yliona III^a Priami filia et Polymestoris regis Tracie coniuge.

Yliona, ut Servio placet, filia fuit Priami, et, ut asserit Paulus, ex Hecuba. Hec ratione veteris ospitii, et insignis amicitie, ut dicit Servius, Polymestori regi Tracie matrimonio iuncta est.

CAP. XVIII

De Laodice IIII^a Priami filia, Helicaonii coniuge.

Laodices Priami fuit filia, et Helycaonio, filio Anthenoris regis Tracie, nupta, quam vocabant Troiani Laodicem Galoo. Hec autem testatur Omerus in Yliade dicens: Τὴν Ἀντινοριδῆς εἶχεν κειῶν Ἑλίκων, Λαοδίκην Πριάμοιο θυγατρῶν εἶδος ἀρίστην etc. [Que latine sonant]: Quam Anthinorides habebat rex Helicaon. Laodicem Priami filiarum specie optima Hanc Hecube ego filiam fuisse puto.

CAP. XIX

De Lycaste V^a Priami filia et coniuge Polidamantis.

Lycastes, ut asserit Paulus, filia fuit Priami, pulchritudine insignis adeo, ut, captus ex ea Polydamas, Anthenoris et Theano sororis Hecube filius, illam ex concubina susceptam summeret in uxorem.

CAP. XX

De Medesicasti VI^a Priami filia et Polyippi coniuge.

68 c Medesicastis filia fuit Priami naturalis, nec habetur ex qua
 matre. Que quidem | nupsit Polyippo Mentoris filio, ut in Yliade
 testatur Omerus, ubi dicit: Νᾶϊε δὲ Πήδαιον πρὶν ἔλθειν υἱας 5
 Ἀχαιῶν, Κούρην δὲ Πριάμοιο νόθην ἔχε, Μηδεσῖκαστην etc. [Que
 latine sonant]: Habitabatque Ipideon antequam venirent filii
 Achivorum, filiam autem Priami, notham habebat Midesicastin.
 Huius Midesicastis virum, scilicet Polyippum, in certamine a
 Theucro, Thelamonis filio, occisum dicit Omerus. 10

CAP. XXI

De Polysena VII^a Priami filia.

Polysena virgo filia fuit Priami et Hecube, ut persepe
 testatur Euripides in tragedia, cui Titulus Polydorus. Hec inter
 ceteras Troianas formosior fertur; ob quam formositatem infor- 15
 tunio suo ab Achille dilecta est. Quo amore in mortem for-
 tissimi iuvenis Hecuba proditorie usa est, non existimans per
 Achillis vulnera sanguinem innocue virginis se fusuram. Hanc
 quidem post Ylionem eversum, ut Seneca tragicus testatur in
 Troade, Pyrrus Achillis filius ad placandos patris manes po- 20
 poscit, eique post longum iurgium, sic suadente Calcante vate,
 concessa est. Quam ornatam ritu virginum nuptias celebran-
 tium ad Achillis tumulum truculentus deduxit iuvenis, et quo-
 nam ab ymagine Achillis petitam dicebant, ut dicit Euripides
 in prealligata tragedia, ibidem interemit. 25

CAP. XXII

De Paride VIII^o Priami filio, qui genuit Daphnidem et Ydeum.

Paris, qui alio nomine Alexander dictus est, filius fuit
 Priami et Hecube. Ex quo talis ante alia recitatur hystoria.

Dicit enim Tullius, ubi De divinatione scribit, Hecube pre-
 gnanti, ea scilicet pregnatione, ex qua postea natus est Paris,
 per quietem visum facem parere Troiam omnem comburentem
 atque dissipantem. Ob quod somnium anxius Priamus Apolli-
 nem consuluit. Qui respondit, nascituri filii opera Troiam
 5 omniam perituram. Quam ob rem Priamus Hecube nasciturum
 iussit exponi. Hecuba autem cum speciosissimum filium pepe-
 risset, miserta tradidit eum quibusdam, qui illum pastoribus
 regiis alendum traderent; et sic sub Yda a pastoribus educatus
 10 est, et cum adolevisset Oeonis nymphe Ydee contubernio
 usus, duos ex ea suscepit filios; preterea cum inter quoscumque
 litigantes esset equissimus, in maximam iustitie famam evasit,
 adeo ut litigantibus de formositate Pallade, Iunone et Venere
 propter aureum pomum, a Discordia eis in convivio proiectum,
 15 in quo digniori detur erat inscriptum, a Iove ad eum pro sen-
 tentia remisse sint. Que, ut aiunt, illi se sub opacis nemorum
 umbris, loco, cui Mesaulon dicebatur, remotis vestibus Paridi
 monstravere; eique dixit Pallas, si eam ceteris pulchriorem
 diceret, illi | rerum omnium cognitionem daturam. Sic et Iuno
 20 regnorum et divitiarum dominium; Venus autem pulchriorem
 orbis mulierem spondit. Qua tractus concupiscentia, silvanus
 iudex Veneri deberi pomum iudicavit. Tandem, ut dicit Servius,
 hic Paris, secundum Troica Neronis, fortissimus fuit, adeo ut
 in agonali certamine, quod agebatur Troie, superaret omnes,
 25 et ipsum etiam Hectorem. Qui cum iratus, quia vinceretur, in
 eum stringeret gladium, pastorem putans, dixit se esse germa-
 num, quod allatis crepundiis probavit, cum adhuc sub habitu
 lateret pastoralis. Et sic videtur quod cognitus receptus fuerit in
 domum patriam. Inde compositis XX navibus, a Priamo, sub
 30 specie legationis, ad repetendam Hesyonomam in Greciam missus
 est. Ubi, ut aliqui volunt, et hos inter Ovidius, ut in Epistolis
 eius patet, a Menelao hospitio susceptus et honoratus est.
 Alii vero arbitrantur eum in Greciam venisse, absente Mene-
 lao, et ad famam pulchritudinis Helene tractus Sparten pe-
 35 tiisse civitatem, et eam expugnasse anno regni Agamenonis
 primo, non existentibus ibi Castore et Polluce, qui ad Aga-

menonem perrexerant, et secum Hermionam Helene et Menelai filiam duxerant. Et sic civitate capta Helenam renitentem rapuisse, et omnes thesauros regio abstulisse. Quod satis eleganter tangit Virgilius, dum dicit: Me duce Dardanius Spartam expugnavit adulter etc. Et ob hoc volunt, qui hanc opinionem tenent, Helenam post captum Ylionem meruisse a viro recipi. Ex qua rapina bellum decennale Grecorum adversus Troianos suscitatum est. In quod refert Omerus Paridem ab Hectore fratre increpitum descendisse semel, et singulare certamen adversus Menelaum sumpsisse; in quo cum apertissime vinceretur, a Venere eum prelio subtractum dicit, adiciens, impulsu Minerve, Pandarum in Menelaum sagictasse, atque eum vulnerasse, et sic quod erat singulare, in universale certamen devenit. Postremo iam Hectore et Troilo preemptis ab Achille, cum ipse arcu a sagictis, quibus plurimum valebat, Achillem fraude Hecube ad desponsandam Polyxenam in templum Tymbrei Apollinis nocte et solum evocatum occidisset, et ipse a Pyrro, Achillis filio, occisus est. Paucis quippe fictionibus hec hystoria interlita est. Quas enucleare volentes, primo iudicium Paridis videamus, in quo sententia Fulgentii, meo iudicio, sequenda est. Dicit enim tripartitam mortalium | vitam esse, quarum prima theoretica dicitur, secunda practica, tertia phylargica, quas nos vulgationibus vocabulis contemplativam, activam et voluptuosam nuncupamus. De quibus Aristotiles uti de ceteris optime facit, disserit in primo Ethycorum. Has Iuppiter, id est deus, ne videatur aliquam reprobando arbitrium liberum cuique surripere, ad iudicium Paridis, id est cuiuscunque hominis, remittit, ut ei liceat quam maluerit approbare, et sibi sumere. Quid autem sumenti voluptuosam sequatur, exitu Paridis demonstratur. Quod autem pugna a Venere subtractum sit, ad eius declarandam ignominiam dictum est, ut appareat, quod iners tantum vacaret venereis. Pandarum autem a Minerva impulsum ideo dictum est, ut ostenderetur astutia Troianorum, qui videntes deficere Paridem, ut eum morti subtraherent, non servatis pactionibus in Menelaum fecerunt insultum.

69 a

5

10

15

20

25

30

35

CAP. XXIII

De Daphnide et Ydeo filiis Paridis.

Daphnis et Ydeus, ut Paulus affirmat, filii fuere Paridis ex Oenone nynpha Ydea seu Pegasea, cuius amicitia usus, eos, dum pastor esset, suscepit. De quibus nil memoratu dignum comperisse memini.

CAP. XXIV

De Hectore Priami filio VIII^o, qui genuit Astianactem.

Hector pre ceteris corporea virtute insignis, vatum omnium carminibus celebris, iuvenis fama inclita, in novissimum usque diem forte victurus, filius fuit Priami regis et Hecube. Hunc in coniugem sumpsisse Andromacam filiam Iectionis Thebarum Cilicie domini testatur Omerus. Ex qua, iam exorto Gre-
 10 corum bello, filium suscepit nomine Astianactem, esto ipse Camandrum appellaret. Huic igitur, etsi militaris discipline plurimum inesset, tam grandis erat animi audacia et corporis
 15 robur, ut post occisum Prothesilaum, primum in litus Troianum ex Grecis e navibus prosilientem, Troianorum aciem persepe presentia sua non solum adversus Grecos ad subsistendum
 20 patientem faceret, sed ad insiliendum redderet audacem; et quod mirabilis erat, ipse solus sepissime Grecurum turmas aggredi ausus est, et vi disgregare falanges, adeo omne agmen cogere, ut solus esset terror Achivis omnibus. Hic adversus
 25 Aiacem Thelamonium, ut ait Omerus, singulari pugnavit certamine, nox tamen superveniens, non minus Ayaci grata quam sibi, diremit duellum, a quo more prisco cum discederet, gladium illi dono dedit, quo se Ajax postea interemit, et ab eo suscepit baltheum, quo ornatus ab Achille occisus est, et post |
 30 currum tractus, ut ait Servius. Tandem cum multos etiam principes Grecurum morti dedisset, Patroclum Achillis amicum et suis insignem armis occidit, Achillem existimans superasse, et armis

69 b

nudatum insignibus, pompa inclitus ingenti, Troiam intravit, sue necis irritamento gloriosus. Nec multo post cum Achille congressus, seu fessus esset Hector, seu multum prevaleret Achilles, ab Achille superatus occubuit, et non solum armis ornatuque reliquo a victore spoliatus est, verum et curru cum baltheo ab Aiace concesso tractus circa Ylionem, Priamo etiam prospectante, est, et ad naves usque Grecorum devectus. Quas penes severus iuvenis, nondum posito amici occisi dolore, nudum cadaver per dies XII insepultum servavit, donec noctu redempturus miserabilis pater Priamus veniret, ut scribit Omerus. Verum, eodem Omero teste, iussu Iovis ab Apolline cadaver insigne, ne corrumpetur, ante funus sacris liquoribus perlitum est. Priamo autem restitutum Yliadum lacrimis et merore publico, et solemnibus ceremoniarum veterum pompa tumultatum est, eiusque cineres aurea in urna servati. In hac hystoria nil fictum est, preter quod ab Apolline sit cadaver curatum; quod factum esse a medico iussu Achillis dicebat Leontius; et hoc non honorificentie causa, sed expectatione pecunie, qua expectabat cadaver redimi, si integrum servaretur, uti factum est; multis enim susceptis muneribus poscenti Priamo reddidit. Huic unum tantum legisse filium memini, Astianactem scilicet; verum iudicio aliorum plures fuere; cum dicant Eusebius et Beda, unusquisque eorum in libro quem Temporum scripsere, Hectoris filios post lapsum temporis Ylium recepisse, Heleno eis subsidium prestante, ac posteros Anthenoris ex Ylione pulsos, regnante Latinis Ascanio, Enee filio. Insuper Vincentius Gallicus hystoriographus velle videtur, Francorum reges hodiernos a filiis Hectoris antiquissimam originem habuisse, aiens a Francone quodam, Hectoris filio, cum in extremam Germaniam aufugisset, Sycambriam civitatem conditam, et tractu temporis huius Franconis successores ripas observantes Danubii in occidentum descendisse, et in partes Turingie condesse, ac Marcomanno Priami filio et Samione ex posteris Anthenoris | ducibus, Gratiani Cesaris Augusti tempore, transvadato Rheno, eas in partes venire, quas semper postea tenere, sibi que ex his ducibus reges constituere, et in

posteritatem longam atque fulgidam devenere. Quod etsi multum non credam, absit ut omnino negem, cum omnia sint possibilia apud deum.

CAP. XXV

De Astianacte Hectoris filio.

Astianactes, ut sepissime in Yliade testatur Omerus, et Seneca poeta in Troade tragedia, unicus fuit Hectoris filio, ex Andromaca natus eidem post inchoatum bellum inter Troianos et Grecos, ut facile comprehenditur ex verbis Andromace apud Virgilium, ubi Ascanium cum Enea vidit in Epyro, dum dicit: Accipe et hec, manuum tibi que monimenta mearum Sint, puer, et longum Andromace testentur amorem Coniugis Hectoree. Cape dona extrema tuorum, O michi sola mei super Astianactis ymago: Sic oculos, sic illi manus, sic ora ferebat Et nunc equali tecum pubesceret evo etc. Constat enim Ascanium hac etate fuisse adolescentulum, cum iam VIII annis vel amplius errasset cum patre; ergo si equus illi erat etate Astianactes, puer erat dum periit. Quod etiam ex tragedia Senece prealligata colligitur, ubi dum ab Ulixee quereretur in mortem, ut parvulorum mores est confugit ad matrem. Sed tandem vi agente Grecis exposcentibus redditus, antequam naves a Sygeo solverent, ut quidam volunt, e turri deiectus est, ut alii saxo illisus, et sic mortuus, ne ulla Priami generis libera super esset posteritas. Hunc, Omero teste, Hector ut plurimum vocabat Camandrum.

CAP. XXVI

De Heleno X^o Priami regis filio.

Helenus Priami fuit filius et Hecube, vaticinio insignis, ut de eo loquens testatur Virgilius, dicens: Troiugena, interpres divum, qui numina Phebi, Qui tripodas, Clarii lauros, qui sydera sentis Et volucrum linguas et prepetis omina penne, Fare

age etc. Huic sunt qui dicant a Grecis indultum, quia captus
 eis oportuna ad Troiam capiendam revelasset. Ipse tamen
 Ylione deiecto, Pyrro Achillis filio navigationem prohibuit
 predixitque futuram pestem navigantibus; quam ob rem non
 solum a Pyrro vita reservatus est, sed ab eo in Epyrum de- 5
 ductus, et ibidem illi regni parte concessa, | cum Hermionam
 69 d rapuisset Horesti, Andromacam olim Hectoris coniugem,
 quam loco uxoris tenuerat, illi iunxit coniugio. Et tandem,
 cum Pyrrus ab Horeste occisus fuisset in templo Apollinis,
 ut dicit Servius, Molossum, Pyrri filium, quem illi Andromaca 10
 pepererat, et eius regnum servavit. Quod etiam Virgilius in
 parte ostendit, dum dicit: Priamidem Helenum Graias regnare
 per urbes, Coniugio Eacide Pyrri sceptrisque potitum, Et
 patrio Andromacam iterum cessisse marito etc. Qui quidem
 Helenus cum regnum suum Caoniam de nomine fratris appel- 15
 lasset, ibidem ad instar Troie civitatem edificavit, in qua
 Eneam profugum suscepit et honoravit, et donatis muneribus
 interceptum dimisit. Quis tamen illi fuerit finis, non legi.

CAP. XXVII

De Caone Priami regis filio XI^o.

Chaon, ut dicit Servius, filius fuit Priami, ex qua matre
 non dicit. Hunc insuper ait ab Heleno in venatione inadver-
 tenter occisum, et ob id, quasi in perditis fratris solatium, regni
 portionem, que Heleno fuerat a Pyrro concessam, ab eodem
 Heleno Caoniam nominatam. 25

CAP. XXVIII

De Troilo XII^o Priami regis filio.

Troilus fuit Priami regis et Hecube filius, ut satis absque
 testimonio notum est. Hic autem adhuc adolescentulus, ausus
 adversus Achillem pugnam arripere, ab eo occisus est, scri- 30

bente Virgilio: Parte alia fugiens amissis Troilus armis, Infelix puer atque impar congressus Achilli, Fertur equis curruque heret resupinus inani, Lora tenens tamen, huic cervixque comeque trahuntur Per terram, et versa pulvis inscribitur
5 hasta etc.

CAP. XXIX

De Deyphobo XIII^o regis Priami filio.

Deyphobus filius fuit Priami ex Hecuba. Qui cum multa in hostes egisset, dum se tutum arbitraretur, occubuit. Nam
10 inter tumultum capti Ylionis, dormiens, insidiis Helene, quam post mortem Paridis coniugem duxerat, occisus et turpiter laceratus fuit, ut apud Virgilium refert Eneas, qui illum insignia vulnerum apud Inferos servantem describit, dicens: Atque hic Priamidem laniatum corpore toto Deyphobum vidit, lace-
15 rum crudeliter ora, Ora manusque ambas populataque tempora raptis Auribus et truncas inhonesto vulnere nares etc. | Post hoc autem ipsemet Deyphobus, apud eundem Virgilium, qualiter perierit, ostendit, dicens: Sed me fata mea et scelus exitiale Lacene His mersere malis; illa hec monumenta reliquit.
20 Namque ut supremam falsa inter gaudia noctem Egerimus, nosti, et nimium meminisse necesse est. Cum fatalis equus saltu super ardua venit Pergama et armatum peditem gravis attulit alvo, Illa chorum simulans ovantes orgia circum Ducebat Frigias; flammam media ipsa tenebat Ingentem et summa
25 Danaos ex arce vocabat. Tum me confectum curis somnoque gravatum Infelix habuit talamus pressitque iacentem Dulcis et alta quies placideque simillima morti. Egregia interea coniunx arma omnia tectis Emoveat et fidum capiti summoerat ensem. Intra tecta vocat Menelaum et limina pandit, Scilicet
30 id magnum sperans fore munus amanti Et famam extinguere veterum sic posse malorum. Quid moror? irrumpit thalamo comes additur una Hortator scelerum Eolides. Dii, talia Graiis Instaurate, pio sic penas ore reposco etc.

70 a

CAP. XXX

De Polydoro XIII^o Priami filio.

Polydoros ego duos fuisse Priami filios comperio. Nam
 unum ex Hecuba suscepisse in tragedia, que Polydorus inti-
 tulatur, plenissime asseruit Euripides, eumque dicit a Polyne- 5
 store Trace occisum, quod et Virgilius et Ovidius approbant.
 Alterum vero ex Lathoy filia Altay suscepisse dicit Omerus
 in Yliade, eumque in pugna ab Achille occisum. Nos autem
 de primo prosequamur. Fuit ergo iste Priami filius et Hecube,
 quem, ut dicit Euripides, Priamus filiis ad futuros eventus pro- 10
 videns, cum maximo auri pondere misit in Traciam ad Poly-
 nestorem regem antiquum hospitem et amicum atque generum
 suum, ut eum aleret, et cum auro servaret. Sane cum iam
 in Grecos letiori vultu prospicere videretur fortuna, cum illa
 Polynestor animum vertit, et auri cupidus Polydorum in li- 15
 tore spatiantem telis aggreditur, et frustra fidem implorantem
 occidit. Cadentique tumulum superingessit; sic describit Vir-
 gilius: Hunc Polydorum quondam cum pondere magno Infelix
 Priamus furtim mandarat alendum Treicio regi, cum iam dif-
 fideret armis Dardanie cingique urbem obsidione videret. Ille, 20
 ut opes fracte Teucrum et fortuna recessit, Res Aga|menonias
 victriciaque arma secutus Fas omne abrumpit, Polydorum ob-
 truncat et auro Vi potitur etc. Dicit etiam Virgilius Eneam
 profugum in id devenisse litus, atque in eo civitatem fundasse, 25
 quam de suo nomine Eneam nuncupavit, et sacrum conficiens,
 dum frondibus aras tegere vellet, forte ignarus ad tumulum
 devenit Polidori, et cum viribus virgulta quedam evulsisset,
 vidissetque sanguinem ex fracturis virgultarum erumpere, obstu-
 puit, et longe magis dum sanguini voces subsequi audivit,
 quas huiusmodi fuisse demonstrat Virgilius: Quid miserum, 30
 Enea, laceras, iam parce sepulto, Parce pias scelerare manus;
 non me tibi Troia Externum tulit, haud cruor hic de stipite
 manat. Heu fuge crudeles terras, fuge litus avarum, Nam Poly-
 dorus ego; hic confixum ferrea textit, Telorum seges et iaculis

implevit acutis etc. Quibus Eneas certior factus atque premonitus, celebrato ei officio funebri et litore relicto, ad ulteriora progressus est. Euripides autem et post eum Ovidius dicunt tumulum hunc ab Hecuba matre repertum. Sane et Euripidis dictum, et Virgilio, diversis temporibus potuit esse verum. Sed videndum superest, quid sub fictione apposita sentiendum sit. Testatur hystoria sepulture Polydori superimpositum tumulum, cui supercrevisse virgulta mirtea mirum non est. Consuevit quidem ociosa tullus, sponte sua, germina atque virgulta emittere, et ea potissime, quibus habundat adiacens regio, que, habundasse mirtetis credibile, cum litoralis esset. Mirtus autem longas rectasque vermenas emittere consuevit aliquando; ex quo accidente facile dictum Polydorum et iacula, quibus confossus est, in virgulta mirtea versa. Excerpta autem ab Enea, iudicio meo, volunt ostendere relata ab aliquo conscio perpetrati sceleris, ex quibus sanguis sequutus est, id est occisionis facte representatio, a qua demum occisi voces, id est consilium sumptum non permanendi, cognita perfidia atque avaritia presidentis.

CAP. XXXI

20 De Polydoro XV^o et Lycaone XVI^o filiis Priami regis.

Polydorus hic, alter a superiori, et Lycaon filii fuerunt Priami et Laothoy, ut satis apud Omerum Lycaon ostendit, Achilli dicens: Te precor, Achille, miserere mei, iturus enim tuus servus sum quo miseris; te penes in convivio fui, dum me in viridario cepisti, et in Lemnon transmisisti, XII^a dies abiit postquam ad Ylionem redii, et in tuas manus iterum reduxit me deus, me iuvenem vides quem genuit Laothoy filia Althay senis, qui Beletessi dominabatur. Huius autem filiam Priamus habebat et alias, ex ista autem duo nati sumus, tu autem ambos iugulabis? Certe primum inter pedestres domuisti Polydorum deo similem et percussisti lancea; nunc autem michi infortunium paras, tuas effugere manus non possum, sed hoc in animo ponas, queso, ne me interficias; non enim ex uno ventre

cum Hectore sum, qui tibi socium interfecit etc. Verum Achilles, nil iuvantibus precibus, eum ignominiosis obiurgans verbis, in Camandrum flumen impulit, et in eodem misere periit. Patet ergo ex verbis huius, Polydorum hunc alium a primo fuisse, qui, ut testatur Omerus, plurimum diligebatur a Priamo, eo quod iunior filiorum esset, et ob id non permittebat illum in pugnam descendere; vincebat enim pedum celeritate quosunque coetaneos, et mirabilem de se prebebat indolem. Verum die quadam, nescio Priamo, armatus descendens in hostes, incidit in Achillem, qui lancea eum percussit, et fractis obstaculis armorum, infelicem evisceravit. Sed ipse visceribus manu collectis, dum abiret debilitatus occubuit, nec potuit Hector, in eius salutem veniens, eum e manibus mortis subtrahere.

CAP. XXXII

De Esacho XVII^o Priami filio.

70 c | Esacus filius fuit Priami et Alysiroe Dimantis filie, ut dicit Ovidius: Quamvis est illum proles enixa Dimantis, Esacon umbrosa furtim peperisse sub Yda Fertur Alyxiroe etc. Hic ante bellum Troianum diu natus est, et mortuus paulo ante initium, ex quo talem recitatur Ovidius fabulam. Erat huic civitas exosa, et libens nemora colebat, et rura, contigit die una ut videret Hesperiem virginem capillos pectentem suos atque siccantem, et eius caperetur formositate. Quem cum vidisset Hesperies ad se accedentem, confestim fugam arripuit; hic vero dum illam ferventer sequeretur, et contigisse ut virgo fugiens ab angue inter herbas latente morderetur, et moreretur ex morsu, acri dolore concussus in desiderium mortis incidit, et ex scopulo proximo se in mare precipitem dedit. Cuius miserta Tethis, eum mutavit in mergum, nondum sic vocitatum; ipse tamen vitam spernens, dum sepe mergeretur moriturus in undas, mergi nomen fortius est. Hunc Priamus et filii, ficto illi tumulo flere diu, eo quod si vita mansisset, Hectore non videbatur futurus inferior viribus. Eum autem

ideo in mergum versum dicit Theodontius, quia vivus descendit ad ima, et ab aquis mortuus in altum reductus est. Ego autem puto ideo in mergum versum creditum, seu dictum, eo quod qui nare non norunt, si in aquas cadunt antequam moriantur, et merguntur, et in altum sepius redeunt more mergi. 5
Seu forte sic contigit ut dum in aquas cecidisset Esacus, et remansisset in fundo, mergus qui ante aquas intraverat, tunc eas exiens evolavit, et hinc sumptum Esacum in mergum versum.

CAP. XXXIII

10 De Anthipho XVIII^o et Yso XVIII^o filiis Priami.

Anthiphus et Ysus Priami fuere filii. Verum Anthyphus ex Hecuba susceptus est, cum naturalis Ysus existeret, ut autoritate constat Omeri, qui in Yliade sic de ambobus ait: Ἀντὰρ ὁ βῆ ὁ Ἴσον τε καὶ Ἀντιφον ἄμφω Ἴεν ἐνὶ δίφρῳ ἕοντας ὃ μὲν νόθῳς ἠνίοχευεν Ἀντιφος αἰ παρεβασκε etc. [Que latine sonant]: Filios duos Priami nothum et legitimum ambobus, in uno curru existentibus, sed nothus frena regebat, Anthyphus autem transibat etc. Restat ergo quod Ysus erat Nothus, qui frena regebat. Hi tamen ambo, ut erant, ab Agamenone in pugna, una hora 20 occisi sunt, et ob id iunctos apposui.

CAP. XXXIV

De Theucro XX^o Priami filio.

Theucer, ut affirmat Barlaam, filius fuit Priami ex nympha susceptus Anthydonia. Nec est hic is a quo Teucris appellantur Troiani; nam ille longe fuit antiquior, et filius Scamandri 25 Creten|sis, qui, ob penuriam frugum, relicta Creta, venit in Frigiam, et cum Dardano et Erichthonio regnavit. Hunc tamen dicit Barlaam bello non interfuisse, cum paulo ante, dum in Bebritiis silvis venaretur, ab ingenti urso laceratus fuisset. 70 d

CAP. XXXV

De (Dimocoonte) Priami XXI° filio.

Dimocoontes filius fuit Priami, ex qua tamen matre non habetur, sed naturalem fuisse satis per Omerum apparet in Yliade dicentem de eo sic: ἀλλ' οὐδὲν Πρῆαμοιο νόθον βάλε Δημο- 5
κοωντα etc. [Que latine sonant]: Sed filium Priami nothum percussit Dimocoontem. Hic ab Ulixè occisus est in pugna, ut in testu sequitur Omeri, et hoc in vindictam Leuci socii Ulixidis occisi ab Anthyphone filio Priami.

CAP. XXXVI

De Echemone XXII° et Cromenone XXIII° filiis Priami.

Echemon et Cromenon Priami fuere filii naturales, de quibus in Yliade sic dicit Omerus: Ἐνθ' ὕιας Πριαμοιο δύο λοβε 10
Δαρδανίδαο εἰν ἐνὶ διφρω ἔοντας, Ἐχεμονα τε Χρόμενον τε etc. [Que latine sonant]: Postea filios Priami duos cepit Dardanidis 15
in uno curru existentes Echemona et Cromenonem. Hos enim duos, ut satis per sequentia Omeri verba patet, Dyomedes peremit in pugna.

CAP. XXXVII

De Gorgitione XXIII° Priami filio.

Gorgition ex Castimira Priami fuit filius, ut in his testatur Omerus: Καὶ τὸν μὲν ῥ' ἀφαραματ', ὃ δ' ἀμυμονα Γοργυθιώαν Υἱον 20
θην Πρῆαμοιο, κατὰ στήθος βάλεν ἰω etc. [Que latine sonant]: Et hunc certe fefellit; hic irreprehensibilem Gogothiona filium 25
amplum Priami per pectus percussit telo. Hunc, ut postea sequitur in textu, Priamus ex Castiamira, in esimia civitate propinqua Troie, suscepit. Qui postea in certamine apud Troiam a Theucro Thelamonis filio confossus occubuit.

CAP. XXXVIII

De Cebrione XXV° Priami filio.

Cebrion filius fuit Priami, ut per Omerum apparet in Yliade dicentem: Κεβροῖόνην, νοθόν ἀγακλήος Πριαμοιο etc. [Que latine sonant]: Cebrionem nothum filium gloriosi Priami. Iste Cebrion, ut idem Omerus in Yliade dicit, in pugna penes Troyam a Patroclo saxo ictus interiit.

CAP. XXXIX

De Phorbante XXVI° Priami filio, qui genuit Ylioneum.

Phorbas filius fuit Priami et Epythesie filie Stasyppi Migdonii, ut dicit Paulus, quem adeo senem tempore belli fuisse scribit, ut potius frater quam filius Priami videretur, et ob insitam armorum virtutem, non obstantibus annis, etiam prohibente Priamo, in certamen sepius descendit, et tandem a Menelao gladio obruncatus est, esto dicat Servius, et in testem inducat Omerum, hunc Phorbantem nunquam pugnasse, quin sibi favisset Mercurius, quod ego miror in Yliade non invenisse, dato credibile sit non omnes, qui in certaminibus illis pugnare, ab Omero positos. Quis autem huic fuerit finis legisse non memini.

CAP. XL

De Ylioneo Phorbantis filio.

| Ylioneus Phorbantis fuit filius, ut asserit Paulus, quod etiam testatur Servius. Quantus vel qualis hic in armis fuerit apud Troiam, non legi; verum, ut per Virgilium patet, eloquentia plurimum valuit. Nam ipse fuit qui, secutus Eneam post Ylionis excidium, Didonem pro salute sua atque sociorum oravit et eloquio placavit, et cum iam in Ytaliam venisset Eneas, ad Latinum regem princeps legationis fuit.

CAP. XLI

De Doriclone Priami filio XXVII°.

Doriclon, teste Omero, naturalis Priami filius fuit, dicit enim in Yliade sic: Ἄϊας Τρώεσσιν ἐπάλμενος εἶλε Δόρυκλον Πριαμίδην, νόθον υἱός etc. [Que latine sonant]: Aias Troïanis insultans accepit, id est occidit, Doriclone Priami nothum filium. 5

CAP. XLII

De Pamphone XXVIII°, Anthyphone XXVIII°, Agathone XXX°, Hypothoo XXXI° et Aganone XXXII° filiis Priami. 10

Pammonem, Anthyphonem, Agathonem, Hypothoum et Aganonem filios fuisse Priami, his carminibus in Yliade demonstrat Omerus: Σπερχομένοιο γέροντος, ἰοτ' υἱάσιν οἷσιν ὁμόκλα, Νεικείων Ἔλενον τε Πάριν τ' Ἀγατῶνά τε δῖον Πάμμονά τ' Ἀντίφονον τε καὶ βοῆν ἀγαθὸν Πολιτὸν Δηϊφοβόν τε καὶ Ἰππόθοον καὶ δῖον Ἀγανὸν etc. [Que latine sonant]: Irato sene, hic autem filios proprios clamabat iniurians Hellenum Parimque Agathonemque gloriosum, Pammonem Antiphonemque et voce bonum Politon, Deyphobumque et Hypotoum, et divum Aganonem. Hos quidem omnes, ut hac in parte dicit Omerus, iturus nocte Priamus ad Achillem redempturus cadaver Hectoris, iratus clamabat ad preparandos sibi currus et alia opportuna. Ex quibus concepti matribus, seu quid ex eis post modum contigerit, nec dicit Omerus, nec alibi memoratos invenio. 15 20

CAP. XLIII

De Lacoonte XXXIII° Priami filio. 25

Lacoontem filium Priami fuisse et Apollinis sacerdotem, undecunque habuerit, Papias affirmat. Ex quo quidem mentionem facit Virgilius dicens: Primus ibi ante omnes, magna

comitante caterva, Laocoon ardens summa decurrit ab arce etc. Dicitque idem Virgilius, quod is percussit hasta equum paratum a Grecis, et ob id a duobus draconibus duos filios suos parvulos devoratos, et ipse demum ab eisdem captus et circumflexus, tamen utrum fuerit occisus non satis apparet, nec aliud inde dicit.

CAP. XLIV

De Mistore XXXIII^o Priami filio.

Mistor filius fuit Priami, ut in Yliade ostendit Omerus, ubi conqueritur Priamus, quod omnes filii sui, qui optimi erant in armis, occisi sunt, et inter alios nominat istum Mistorem.

CAP. XLV

De Yphate XXXV^o et Testhorio XXXVI^o filiis Priami.

Yphates et Testorius, ut dicit Paulus, filii fuerunt Priami, quos illi uno partu Perivia Ydea nynpha enixa est, quam ipse furtim iuvenis in | venatione compresserat. Cuius quidem rei testimonio utitur Omeri, esto quo libro non scripserit, addit insuper eos ineuntes una acriter pugnam apud Ylionem ab Anthiloco Nestoris filio trucidatos.

CAP. XLVI

De Thimoete XXXVII^o Priami filio.

Thimoetem dicit Servius Priami et Arisbe fuisse filium, ubi advertendum Thimdetem, ut testatur Ephorion, vatem fuisse. Qui cum dixisset die quadam nasci puerum per quem Troia posset everti, contigit ut, ea die que a Thimoete predicta fuerat, parerent eque Thimoetis coniunx et Hecuba; quam ob rem ad evitandum presagium Priamus Thimoetis natum filium ux-

remque iussit occidi. Et hinc tractu temporis factum est, ut Thimoetes iniurie memor adversus patrem sentiret in prodicione civitatis. Quod satis videtur ex verbis Virgilii concipi dicentis: Pars stupet innupte donum exitiale Minerve Et molem mirantur equi; primusque Thimoetes Duci intra muros hortatur et arce locari, Sive dolo seu iam Troie sic fata ferebant etc. Alii vero volunt Thimoetem filium non fuisse Priami, sed Arisbe virum, ex qua Priamus filium suscepit, quem mox cum matre fecit occidi, ut supra dictum est, et Thimoetes postea tam ob mortem coniugis quam ob perpetratum in ea a Priamo adulterium, adversus Priamum cum Grecis sensisse.

CAP. XLVII

De Polyte XXXVIII° Priami filio, qui genuit Priamum.

Polites filius fuit Priami, ut carmine Virgilii summitur, ubi dicit: Ecce autem elapsus Pyrri de cede Polytes, Unus natorum Priami etc. Nec multo post, si quis leget, advertet facile Hecube etiam fuisse filium. Hic autem Polytes cum multa egisset in bello pro patrie defensione, tandem civitate capta, a Pyrro Achillis filio in sinu Priami patris, spectante Hecuba, infelix occisus est.

CAP. XLVIII

De Priamo Polytis filio.

Priamus filius fuit Polytis, secundum Virgilium, in Eneida dicentem: Una acies iuvenum, ducit quam parvus ovantem Nomen avi referens Priamus, tua clara, Polyte, Progenies, actura Ytalos etc. Hunc Eneas parvulum ex excidio secum deduxerat Ascanii filii socium.

CAP. XLIX

De Assaraco Troyli regis Troye filio.

Infelici Laumedontis, Troili regis filii, prole in finem usque
 deducta, ut ad Assaracum eiusdem Troili regis filium retro
 5 trahamus calamum necesse est, ut vetustissimos Romani no-
 minis proavos, et Dardani prolem integram designemus. Fuit
 igitur Assaracus Troili regis Troie | filius, ut ubi de Fastis 71 c
 testatur Ovidius dicens: Huius Erichthonius, Tros est generatus
 ab illo; Assaracum creat hic etc. Gestorum huius Assaraci nulla
 10 extant monumenta, sic omnia vetustas absorpsit, sed propagate
 sobolis claritas non minus illum reddit illustrem, quam infor-
 tunium ingens deiecti Ylionis reddiderit. Nam uti ex audacia
 nimia Ylioniadum generis desolatio subsecuta est; sic ex hu-
 manitate prolis Assaraci Roma rerum domina constructa, et
 15 Cesarum familia propagata, fulgentis apud mortales glorie
 testimonio sempiterna.

CAP. L

De Capi filio Assaraci, qui genuit Anchisem.

Capim Assaraci fuisse filium etiam ubi supra testatur
 20 Ovidius: Tros est generatus ab illo. Assaracum creat hic,
 Assaracusque Capim etc. Et huius Capis sicut et Assaraci
 facinora eque abolevit antiquitas, in lucem tantummodo reser-
 vato, quod Anchisem genuerit, generose successionis gentis
 Iulie parentem inclitum et inclite pietatis filii testimonium
 25 sempiternum.

CAP. LI

De Anchise filio Capis, qui genuit Hyppodamiam et Eneam.

Anchises filius fuit Capis, ut idem Ovidius, ubi supra,
 genealogiam Enee continuans dicit sic: Assaracum creat hic,

Assaracusque Capim; Proximus Anchises. Hunc, sunt qui dicant, ante Troianum bellum, civitate relicta, nemora et solitudines coluisse armentis intentum et gregibus, circa que ut plurimum fuere divitiæ antiquorum. Quibus cum apud Symoentem fluvium vacaret, a Venere dilectus est, et eius est amicitia atque concubitu usus, adeo ut ex illa susciperet Eneam filium. Constat tamen et coniugem habuisse, cum ex ea dicat Omerus filias suscepisse. Eum preterea cecum fuisse dicit Servius, et ob id Troianorum consiliis non interfuisse. Cecitatis causam nonnulli dicunt fuisse, quia se cum Venere concubuisse iactasset, et inde ab eadem luminibus fuisse privatum. Que iuventutis sue, preter que dicta sunt, acta fuerint, non habentur. Capto autem Ylione et incenso, volente eum secum trahere Enea, ut testatur Virgilius, potius quam obire vellet, constat mori dispositum. Verum dum flammulam absque lesione capiti Ascanii insidentem vidisset, capto omine fausto, filio obtemperasse legitur. Male tamen conveniunt opiniones | Virgilii et Servii, quorum alter cecum dicit, alter flammulam vidisse asserit. Abiit autem cum fugiente filio, ab Enea ipso humeris per ignes et mille volantia tela subtractus, et navibus usque Drepanum Sycilie oppidum devectus est, et ibidem senio mortuus, et in monte Ericis sepultus, et hoc secundum Virgilium. Alii tamen aliter sentiunt. Nam Cato in Ytaliam usque venisse confirmat. Sed Servius dicit Varronem dicere, ossa Anchisis, iubente oraculo, a Dyomede diruta et asportata, demum cum multa mala perferret ab eodem Dyomede cum Palladio restituta. Quod quidem Virgilius ipse tangit, dum iratam Didonem adversus Eneam loquentem describit atque dicentem: Anchise cineres manesve revelli etc. quasi velit dicere, non ego hoc feci, sicut Dyomedes. Preterea videtur velle Servius hanc ob causam a Virgilio in persona Enee dictum: Iterum salvete recepti Nequicquam cineres animeque umbreque parentis etc. Quasi semel ex Troia suscepti sint, et a Dyomede iterum. Ubi tamen per hec mortuus sit, comprehendi non potest, sed videntur verba Servii eo pendere, ut apud Troiam ante captam urbem obierit. Suscepisse autem Anchisem ex

71 d

5

10

15

20

25

30

35

Venere filium, qualiter intelligam, infra ubi de Enea servandum duxi. Quod autem ob iactationem ab ea cecatus sit, sic intelligendum existimo. Consuevere non nulli iuvenes inter precipuas felicitates suas frequentes enumerare coitus, et plurium mulierum amicitias, quasi ex hoc velint quod eorum formositas veniat commendanda, eo quod a multis aut desiderentur, aut suscipiantur feminis, sic et robur extollatur, quod in coitum valentes perseverantesque appareant; ex quo quidem crebro coitu persepe egritudines oriuntur, et plurimum virtutes debilitantur corporee, et visiva potissime. Nam certissimum est non nullos non solum in brevem visum, sed in cecitatem integram ob coitum devenisse, et precognito ob iactationes defectu dicuntur et merito a Venere obcecati. Sic et Anchisi contigisse potuit, quia veniens in defectum visus ob iactatos coitus evenisse dictum sit. Sane ne videatur Servium a Virgilio discrepare, potuit in Anchise esse visivam virtutem debilitatam adeo, ut aut non discerneret que in conspectu essent, aut non nisi ex proximo | videre posset, quos tales veteri quadam consuetudine loquendi cecos dicimus; esto et solis radios et ignis videant flammam; et sic potuit Anchises cecus esse, ut dicit Servius, et flammulam videre nepotis, ut dicit Virgilius. Huic preter Eneam fuere ex coniuge filie, ex quibus sola Yppodamia nominatur. 72 a

CAP. LII

25 De Yppodamia Anchisis filia.

Yppodamia, ut in Yliade placet Omero, filia fuit Anchisis, et antiquior filiarum, ut appareat eum alias habuisse filias. Hec formosa plurimum fuit parentibus dilectissima, que tamen fuerit mater, non habetur. Eam tamen in coniugem tradidere Alchataoni Troiano, qui postea ab Ydomeneo Cretensi in pugna apud Troiam occisus est. De reliquis autem filiabus nec Omerus ipse, nec alter, quam ego legerim, aliquid refert.

CAP. LIII

De Enea Anchisis filio, qui genuit Iulium Ascanium et Silvium Postumum.

Eneam filium fuisse Anchisis et Veneris et poete veteres predicant et moderni. Hic autem et si plurimum extollatur Homeri carmine, tanta tamen carminis Virgilii veneratione armis et pietate cantatur insignis, ut non solum barbaris, sed Latinis ceteris preponatur et Grecis. Sic fert fortuna rerum; habuit Achilles Omerum, et Eneas Virgilium, tanta potentes eloquentia, ut respective illaudati ceteri videantur mortales, esto evo nostro tertius exurgat Scipio Africanus non minori gloria, maiori tamen iustitia delatus in ethera versu viri celeberrimi Francisci Petrarce, nuper Rome laurea insigniti; tanta enim facundia et lepiditate sermonis in medium trahitur, ut fere ex tenebris longi silentii in amplissimam lucem deductus videatur. Eneas igitur, ut paulo ante scriptum est, ex Anchise et Venere apud Symeontem fluvium natus est, et iam etate proventus Creusam Priami et Hecube filiam uxorem habuit, ex qua filium suscepit Ascanium. Et, ut quidam scribunt, Paridi eunti in Greciam et in raptu Helene socius fuit. Tandem cum iam Greci obsidione Ylionem cinxissent et illum crebris certaminibus expugnare conarentur, sepe in pugnam descendit. Sed inter alias vices semel adversus Achillem congressus, cum esset in discrimine maximo, ut in Yliade dicit Omerus, allocutus | est Neptunus deos, et deprecatus ut Eneam morti subtraherent, ne omnis Dardania proles occumberet. Quod a Iunone, que plurimum erat Troianis adversa, ut ipse faceret concessum est. Et sic Neptuno tunc agente, Eneas e manibus Achillis subtractus est, et ut ibidem tangit Omerus, Ytalie reservatus. Qui, et si multa clara facinora apud Troiam egerit, secundum tamen quosdam proditiōnis patrie macula notatus est, et inter alia trahitur in argumentum, quod incolumis cum filio et navigiis et parte copiarum abire permissus sit, cum fere in ceteros sit sevitum. Alii tamen dicunt hoc illi permissum loco muneris, quia legatorum Greecorum ad Priamum ve-

72 b

nientium hospes fuerit assiduus, et quia semper in consiliis Troianorum damnosum dixerit Helenam detineri, suaseritque restitui. Sed qualitercunque factum sit, Virgilius dicit, quod, capta Troia, cum ipse frustra in defensionem patrie aliquandiu laborasset, sumptis diis penatibus, sibi ab Hectore per quietem commendatis, et patre sene, et filio parvulo, matre dea monstrante viam, devenit ad litus, et ibi XX navibus sumptis, cum quibus iamdudum Paris in Greciam iverat, intravit mare, et in Traciam traiecit, ubi a Polydoro, cuius in litore tumulum invenit, monitus ut avarum litus fugeret, condidit civitatem quam de suo nomine nuncupavit Eneam. De qua Titus Livius, libro XL Ab urbe condita dicit, Eneam civitatem propinquam Thessalonice ab Enea Troiano olim conditam. De qua ipse idem Titus sic: Proficiscuntur a Thessalonica Eneam ad statutum sacrificium, quod Enee conditori cum magna cerimonia quotannis faciunt etc. Et inde cum naves iterum reintrasset, oraculo vetustissimas avorum sedes petiturus, in Cretam abiit, et ibidem pulso iam Ydumeneo rege a Cretensibus, quasi ad sedes venisset avorum, eo quod inde Theucer Scamandri filius fuerit, qui una cum Dardano imperaverat Dardaniis, constitit. Verum et inde peste pulsus, factus certior, quia Dardanus fuisset Ytalus, Ytaliam petere disposuit, et inde in Caoniam venit, et ab Heleno vate de futuris edoctus Syciliam petiit, et apud Drepanum, ut Virgilio placet, Anchisem perdidit. Et reascensis navibus, tempestate in Affricam delatus est, ut ait Virgilius, cum alii negent, ubi a Didone regina susceptus cum septem iam errasset annis, | cum qua aliquandiu fuit, eius amicitia usus et lecto, si in hoc Virgilio credendum est. Inde autem Superum monitu discedens iterum, venit in Syciliam ad Acestem, et ludis Anchisi anniversarium celebravit magnifico sumptu, et Acesta civitate condita et parte suorum ibidem derelicta, dum Ytaliam peteret, Palinurum magistrum classis perdidit. Inde venit in Bayanum sinum, et ductu Sybille descendit ad Inferos, et ad Elysios usque campos penetravit, et comperto patre Anchise, omnem suam posteritatem eo monstrante cognovit. Inde ad superos rediens, persolutis Meseno

tubicini funeralibus, Caietam navigavit, ubi Caieta nutrice defuncta civitatem posuit, eamque nutricis nomine appellavit. Porro in Ytaliam, id est ad hostia Tyberis, appulit, usque quo dicit Servius illi non defuisse Veneris visionem. Quam cum amplius non vidisset, arbitratus est se ad predestinatum locum venisse, et debere consistere. Ubi primo Evandri regis amicitiam habuit, et inde Latini regis Laurentum, qui illi Laviniam filiam, Turno Rutulorum regi promissam, iuxta responsum oraculi dedit in coniugem. Quam ob causam a Turno grandi bello lacessitus est, fultus tamen auxiliis Evandri Arcadis et Tuscorum, in odium Mezentii regis Agellie, regnum obtinuit coniugis. De morte autem eius diversimode opinati sunt antiqui, cum dicat Servius Catonem dicere iuxta Laurolavinium, cum Enee socii predas agerent, prelium commissum, in quo Latinus occisus est ab Enea, qui tamen Eneas in ipso prelio non comparuit, Ascanius postea Mexentium interemit. Alii dicunt, quod victor Eneas, cum sacrificaret super Numicum fluvium, lapsus est, et eius nec cadaver inventum est. Quod Virgilius eleganter tangit, ubi Didonem morituram eum execrantem inducit atque dicentem: At bello audacis populi vexatus et armis, Finibus extorris, complexu avulsus Iuli Auxilium impleret videatque indigna suorum Funera, nec, cum se sub leges pacis inique Tradiderit, regno aut optata luce fruatur, Sed cadat ante diem mediaque inhumatus harena. Hec precor etc. Preterea sunt qui dicant eum occisum a Turno, voluntque a Virgilio sub artificiosa fictione describi, ubi medio in ardore certaminis ostendit Iunonem mortem Turni timere, et inde ut illum e pugna subtrahat, effigiem dicit Enee sumpsisse, in quem confestim dicit Turnum conversum, et Eneam fugientem dicit in naves, que in Numico erant flumine, et in eas usque secutum a Turno. Quod volunt secundum hystorie veritatem non Iunonem fuisse in Eneam mutatam, sed ipsum Eneam, qui arma Turni fugiens ab eodem apud Numicum occisus est. Quod et in superioribus carminibus pro parte patet, nec alibi potuit tacuisse Virgilius, dum in eodem libro Venerem inducit orantem Iovem atque dicentem: Incolumem Ascanium,

liceat super esse nepotem. Eneas sane ignotis iactetur in undis
 Et, quamcunque viam dederit fortuna, sequatur etc. Ubi si
 inspiciamus, cum iam non sit amplius Eneas, Venus que huc
 usque de eo fuerat sollicita, orat nunc pro nepote Ascanio.
 5 Et Ovidius in maiori volumine istud idem tenere videtur, dum
 dicit: Litus adit Laurens, ubi tectus arundine serpit In freta
 flumineis vicina Numicius undis. Hunc iubet Enee quecunque
 obnoxia morti Abluere et tacito deferre sub equora cursu:
 Corniger exsequitur Veneris mandata, suisque Quicquid in
 10 Enea fuerat mortale, repurgat etc. Et hoc idem arbitrari vi-
 detur Iuvenalis dum dicit: Alter aquis alter flammis ad sydera
 missus etc. Intelligit enim de Enea et Romulo, quia Eneas
 in aquis periit, ut predictum est; Romulus autem apud Ca-
 pream paludem fulminibus et turbine subtractus est. Qui ambo
 15 apud Romanos precipua deitate honorati sunt. Nam et ipse
 Eneas, quocunque modo subtractus sit, ab indigenis deus ha-
 bitus et Iuppiter indigetes appellatus est. Huius quidem hystoria
 aliquibus figmentis immixta est, quorum videre rationem ordo
 exigit. Eneam igitur Veneris fuisse filium non equo modo
 20 ab omnibus acceptum est. Quidam enim volunt in nativitate
 Enee Venerem celi dominam fuisse, et ad eam demonstrationes
 futurorum successuum pertinuisse, et huius domini operum multa
 Enee contigisse, que ex industria a Virgilio sub figmentis abscon-
 dita sunt, que ad presens elucidare non est incepti huius in-
 25 tentio. Alii vero volunt eum natum ea hora, qua Venus³ in
 oriente matutino tempore surgit, et ideo eius dictum filium
 volunt, quasi videatur eum in lucem, dum surgeret, eduxisse.
 Alii vero adeo formosam fuisse matrem eius existimant, ut
 perduto proprio nomine Veneris nomen adepta sit. Ex quo
 30 dixisse Virgilium putant: Coniugio, Anchise, Veneris <dignate>
 superbo. Alii autem in turpiorem declinantes opinionem, arbi-
 trantur ideo eum Veneris dictum filium, quia non ex coniugio,
 sed ex concupiscibili coniunctione natus sit, summentes incon-
 gruum videri tanti hominis incognitam matrem fore, si An-
 35 chisis extitisset coniunx, sed ad illecebrem celebris viri notam
 contegendam, deam illi veteres finxisse matrem. Ego quidem

verum puto matrem eius ob aliquid meritum Venerem cognominatam, ut quosdam arbitrari predixi, nec obstat eius verum nomen fore incognitum; nam nec Priami, qui tantus fuit rex, nec etiam | Agamenonis, nec multorum aliorum insignium regum atque virorum. Et absit ut credam, quod spurio pastoris Priamus tam grandis rex filiam Creusam dedisset in coniugem. Quod autem Neptuni precibus ex Achillis pugna subtractus sit, non, quod aiebat Leontius, verum credo, scilicet quod agente constellatione contigerit, quin imo potius puto, quia circa navalia, que ad Neptunum spectare videntur, in quantum deus dicitur maris, potuerit aliquid contigisse, propter quod exigente oportunitate revocatus Achilles Enee certamen omisit. Quod autem a Iunone Neptuno hoc permissum sit, arbitror ad futura prospexisse fingentem, eo quod Ytalico regno reservaretur Eneas, et ob id regnorum dea salutem futuri regis curari permisit. A Polydoro autem in litore sepulto ideo monitus dicitur, quia eius infortunio inspecto cognovit, si consisteret Traces illi futuros hostes, et ideo inde fugiendum fore. Quod autem Venus usque in agrum Laurentum se lumine suo ducem illi exhibuerit, et eo ibidem existente non comparuisse ulterius, constellationi agenti in concupiscibilem appetitum attribui potest; nam tamdiu navigando processit, quamdiu distulit invenire quod placuit, quo invento cessavit impellentis ducatus. Quod ad Inferos iverit, intelligendum puto eum egisse quod olim fere familiare fuit maxime gentilium regibus, velle scilicet ab imundis spiritibus per scelestum illud nigromantie sacrum de futuris certificari. Quod quidem in sinu Baiarum apud lacum Avernum, qui talibus erat aptissimus locus, facturus accessit, et occiso Meseno, suo sanguine litasse Inferis et cerimoniis aliis detestandis egisse, ut aliquis ex infandis spiritibus vi cantaminum provocatus ad superos veniens, et sumpto fantastico corpore coram comparuerit, et ad interrogata responderit, et forte illi non nulla de futurorum successu predixerit. Deificatio autem sua nil aliud est quam insipientum ridenda fatuitas. Credo enim eum in Numico flumine nectum, et in mare devolutum, et Tuscis piscibus escam fuisse seu Laurentibus.

CAP. LIV

De Ascanio Enee filio, qui genuit Iulium Silvium et Rhomam.

Ascanius, ut Virgilio placet, non solum Enee filius ex Creusa susceptus fuit, sed et fuge et laborum in regno querendo socius, ut ipse per omnem Eneidam diffuse testatur. Sane Titus Livius, cui ad veritatem hystorie cura fuit impensior, non plene affirmat Creuse an Lavinie fuerit filius, cum dicat: Nondum maturus imperio Ascanius Enee filius erat, tamen id imperium | ei ad puberem etatem incolume mansit, tantisper tutela muliebri, tanta indoles in Lavinia erat, res Latina et regnum avitum paternumque puero stetit. Haud ambigam, quis enim rem tam veterem pro certo affirmet? Hiccine fuerit Ascanius, an maior quam hic, Creusa matre Ylio incolumi natus comesque inde paterne fuge, quem Iulum eundem Iulia gens autorem nominis sui nuncupat? Is Ascanius ubicunque et quacunque matre genitus, certe natum Enee constat etc. Hec Titus. Eusebius vero, in libro Temporum, Ascanium Creuse filium arbitratur, et alium, ex Lavinia natum, Silvium Postumum appellat. Ascanius autem apud Troiam matrem perdidit, et cum patre adversus hostes, ut per Virgilium late patet, strenue se gessit; eique plura fuere nomina, ut Servius asserit. Nam preter Iulum et Ylum, quibus vocatus est, ut dicit Virgilius: At puer Ascanius, cui nunc cognomen Iulo Additur, Ylus erat, dum res stetit Ylia regno etc. hic etiam Dardanus et Leondamas appellatus est ad extintorum fratrum solatium. Et sic patet Eneam alios ex Creusa preter Ascanium suscepisse filios. De nominibus tamen huius dicit Servius sciendum hoc primum Ascanium ab Ascanio Frigie flumine dictum, ut transque sonantem Ascanium; deinde Ylum dictum a rege Illo, unde et Ylium; postea Iulum, occiso Mezentio, a prima barbe lanugine, que in tempore victorie nascebatur. Hic tamen Ascanius, ut paululum Virgilium sequamur, adhuc parvulus futuri imperii portentum suscepit. Nam disceptantibus patre et avo de futura fuga, flammula quedam nullam inferens

73 b

lesionem eidem in vertice capitis constitit, etiam parentibus
 illam extinguere conantibus. Demum, ut dictum est, fuge comes
 multos cum patre labores tulit. Et cum Eneas rebus esset abso-
 lutus mortalibus, et ipse successor regnum sumpsisset, bellum
 a patre inchoatum victoria terminavit. Nam alii illum occidisse 5
 Turnum, alii Mezentium dicunt. Verum dicit Servius secundum
 Catonem hystorie hoc habet fides: Eneam cum patre ad Ytaliam
 venisse, et propter invasos agros contra Latinum Turnumque
 pugnasse, in quo prelio periit Latinus. Turnum postea ad 10
 Mezentium confugisse, eiusque fretum auxilio bella renovasse,
 quibus Eneas Turnusque pariter rapti sunt. Migrasse postea
 in Ascanium et Mezentium bella, sed eos singulari certamine
 73 c dimicasse, et occiso Mezentio Ascanium Iulium ceptum | vocari,
 ut paulo ante dictum est. Hic autem, ut ait Eusebius, cum
 XXX regnasset annis apud Lavinium, Albam condidit et Sil- 15
 vium Postumum fratrem suum summa pietate educavit. Alii
 amplius hoc recitant, asserentes eum ab amicis redargutum,
 quod Laviniam novercam, que ob timorem eius, mortuo Enea
 confugerat in silvas, in exilium detinere videretur, quam ipse
 revocavit, eique paternum restituit regnum, cum ipse iam ad 20
 Albam transitum facere disposuisset. Ipse tamen procreavit
 filium, quem, eo quod casu in silvis natus sit, Iulium Silvium
 appellavit, a quo familiam Iuliam ortam non nulli volunt.
 Tandem cum inter Lavinium et Albam, quam condidit, XXXVIII 25
 regnasset annis, in mortem veniens, quia filium propter etatem
 parvulam regendis civibus non cerneret aptum, Silvium Postu-
 mum fratrem suum regni reliquit heredem.

CAP. LV

De Iulio Silvio, Ascanii filio.

Iulius Silvius, secundum Titum Livium, filius fuit Ascanii, 30
 et quia in silvis casu natus sit, Silvius cognominatus est, et
 ab eo Iulia gens processit, cum patre Ascanio in regno suc-
 cesserit. Eusebius tamen in libro Temporum eum Ascanii fuisse

filium dicit, sed quoniam eo moriente parvus esset, nec regno videretur ydoneus, Silvio Postumo, fratri suo, regni successio- nem reliquit.

CAP. LVI

5 De Rhoma Ascanii filia.

Rhoma filia fuit Ascanii, ut scribit Solinus De mirabilibus mundi, dicens: Agathodem scribere nomen urbis Rome ab hac Roma Ascanii filia et Enee nepte initium habuisse, cum scriberet Heraclides, quod cum, capta Troia, quidam Achivi,
10 ubi nunc Roma est, devenissent, et ibidem captive, cui Rhoma nomen erat, consilio sedes sumpsisse, et ab eadem locum de- nominasse.

CAP. LVII

De Silvio Postumo Enee filio, qui genuit Eneam Silvium.

15 Silvius Postumus, secundum Virgilium Enee ex Lavinia fuit filius, de quo sic scribit idem Virgilius: Ille, vides, pura iuvenis qui nititur hasta, Proxima sorte tenet lucis loca, primus ad auras Ethereas Ytalo commixtus sanguine surget, Silvius, Albanum nomen, tua postuma proles, Quem tibi longo serum
20 Lavinia coniunx Educet silvis regem regumque parentem, Unde genus Longa nostrum dominabitur Alba etc. Hic, ut satis Vir- giliii carmen ostendit, post mortem Enee natus est, et ideo Postumus, quod est generale nomen nascentium | post huma- tum patrem. Silvius autem, ut placet multis, dictus est, eo
25 quod Lavinia, mortuo patre Latino atque Enea viro, et occu- pato ab Ascanio regno, eius metuens imperium in silvas pre- gnans secessit, et ibidem latuit atque peperit, et ideo natum in silvis Silvium appellavit. Sane ut supra dictum est, Ascanius revocata noverca in patrium regnum, fratrem Silvium fraterna
30 educavit affectione, et cum moreretur, existente Iulio Silvio parvulo adhuc, eundem Silvium fratrem suum regni reliquit heredem. Qui Eneam Silvium genuit. Porro Britones eorum

puto barbariem nobilitare cupientes, huic filium unum addunt, dicentes eum Brutum quendam etiam genuisse ex nepte Lavinie matris sue, cuius in nativitate aiunt mathematicum predixisse, quia occideret utrumque parentem; ex quo factum est, ut partu suo moreretur mater, et ipse tandem cum adolevisset, in venatione patrem inadvertenter occidit. Quam ob causam pulsus Ytalia aiunt eum in Leogreciam insulam Grecie abiisse, et responso accepit sibi deberi extremi occidui insulam. Qui Pandrasii regis Greci filia in coniugem sumpta, cum sociis per triennium navigans una cum Corniveo Troiano, superato Gopherio Aquitanorum rege, Albionam insulam, quam incolabant Gigantes, superasse, eamque ex suo nomine Britanniam nuncupasse et a Corniveo Cornubiam, et inde aiunt eum Brutum alium genuisse cognomento Viridescutum, et hinc alium insule regem genitum, et inde alium, et in innumerabilem procedunt prolem. Que quoniam michi nec vera nec verisimilia visa sunt, omittenda censui. Postumus autem, cum annis XXXVIII regnasset, Enea Silvio superstite filio derelicto, diem obiit.

CAP. LVIII

De Enea Silvio, Silvii Postumi filio, qui genuit Latinum Silvium.

Eneas Silvius, Silvii Postumi, tercii Latinorum regis filius, patri successit. De quo quidem Virgilius meminit dicens: Et qui te nomine reddet Silvius Eneas, pariter pietate vel armis Egregius, si unquam regnandam acceperit Albam. Hic Latinum Silvium genuit, et cum annis XXXI regnasset, expiravit.

CAP. LIX

De Latino Silvio, Enee Silvii filio, qui genuit Albam Silvium.

Latinus Silvius, ut dicit Titus Livius, Enee Silvii fuit filius, et mortuo patre Albanis imperavit, et ab eo colonie deducte sunt eorum, qui Prisci Latini nuncupati sunt. Cumque

annis quinquaginta | regnasset, genuissetque Albam Silvium, quem liquit superstitem, diem obiit. Eusebius vero in libro Temporum dicit se apud aliam hystoriam invenire Latinum Silvium quintum apud Albam regnasse, eumque filium fuisse Lavinie et Melampodis, et uterinum fratrem Silvii Postumi. Qui Latinus in ordine regum hic ponitur quartus. 74 a

CAP. LX

De Alba Silvio, Latini Silvii filio, qui genuit Athim Silvium.

Alba Silvius Latini Silvii fuit filius, et patri successit in regno. Cumque regnasset annis XXXVIII, Athi relicto filio, rebus humanis subtractus est.

CAP. LXI

De Athi Silvio filio Albe, qui genuit Capim Silvium.

Athis Silvius Albe fuit filius, quem Eusebius aliquando Egiptium Silvium vocat. Hic cum annis XXIII regnasset, Capi filio derelicto, diem clausit.

CAP. LXII

De Capi Silvio filio Athis, qui genuit Carpentum Silvium.

Capis Silvius Athis fuit filius. Sunt qui velint ab hoc Capuam olim insignem Campanie civitatem conditam; qui cum annis XXVIII regnasset, Carpento filio moriens regnum liquit.

CAP. LXIII

De Carpento Silvio filio Capis, qui genuit Tyberinum Silvium.

Carpentus Silvius filius fuit Capis, et cum annis XIII regnasset, Tyberino filio derelicto, decessit.

CAP. LXIV

De Tyberino Silvio Carpentii filio, qui genuit Agrippam Silvium.

Tyberinus Silvius Carpentii fuit filius, et Agrippam Silvium genuit. Cumque annis VIII imperasset Albanis, amnem quem ante Albulam vocitabant incole, terminum inter Latinos et Etruscos traiciens, in eum cecidit et mortuus est. Quam ob rem in hodiernum usque, veteri abolito nomine, a demerso rege Tyberis nuncupatus est fluvius. 5

CAP. LXV

De Agrippa filio Tyberini, qui genuit Romulum Silvium. 10

Agrippa Silvius a Tyberino genitus, summerso patri successit in regno, et cum XL regnasset annis, moriens Romulum filium regni reliquit heredem.

CAP. LXVI

De Romulo Silvio Agrippe filio, qui genuit Iulium Silvium et Aventinum Silvium. 15

Romulus seu Aremulus Silvius Agrippe fuit filius. Hic autem presidia Albanorum inter montes posuit, ubi postea Roma condita est, quod ea tempestate impie factum existimatum est, et ob id existimavere illius evi homines eum iuste fulmine ictum atque exanimatum, cum iam XVIII regnasset annis, et ex eo Iulius et Aventinus filii fuere superstites. 20

CAP. LXVII

De Iulio Silvio Romuli filio.

Iulius Silvius, ut scribit Eusebius, minor natu fuit Romuli filius, et proavus Iulii Proculi, qui cum Romulo Romam 25

transmigra|vit, et ibidem fundavit familiam Iuliam, ex qua 74 b
Cesares effluxere.

CAP. LXVIII

De Aventino Silvio Romuli Silvii filio, qui genuit Procam Silvium.

5 Aventinus Silvius Romuli Silvii filius fuit, eique fulminato
successit in regno; et cum XXXVII regnasset annis, Proca re-
licto filio, mortuus est; et eo in monte Rome, qui postea de
suo nomine semper Aventinus vocitatus est, sepultus.

CAP. LXIX

10 De Proca Silvio filio Aventini, qui genuit Amulium et Numitorem.

Procas, secundum Titum Livium, Aventini filius fuit,
et loco patris regnavit annis XXIII, Numitorique filio moriens
regnum liquit.

CAP. LXX

15 De Amulio Proce filio.

Amulius, teste Tito Livio, minor natu fuit ex filiis Proce.
Hic per vim et nephas Numitori, qui tempore potior erat,
regnum surripuit. Dicit Plinius De viris illustribus, Procam
patrem eorum liquisse, ut ambo annuis vicibus regnarent, et
20 cum ad Amulium pervenisset regnum, fratri, transacto anno,
restituere noluit, quin imo cum Numitori pepercisset, Lausum
filium eius interemit, et Rheam eiusdem filiam ad subtrahen-
dam spem prolis, sub specie honoris, Veste perpetuam eius
virginitatem dicavit. Sed cum iam septem regnasset annis, Rhea
25 geminos peperit, quos ipse in Tyberim deici iussit, et Rheam
vivam infodi. Verum nequeuntibus ministris ad alveum fluminis,
eo quod pridianis ymbribus tumuisset, devenire, illos in ripa
posuere, qui a Faustolo pastore comperti et nutriti, cum adole-
vissent Amulium interfecere, et Numitori avo regnum reddidere.

CAP. LXXI

De Numitore filio Proce, qui genuit Lausum et Yliam et Rheam.

Numitor filius fuit Proce, et, ut iam dictum est, a fratre proiectus e regno, qui dum rure privatus senesceret a nepotibus Romulo et Remulo, occiso Amulio, in regnum restitutus est. 5
Quid inde ex eo successerit, non habemus.

CAP. LXXII

De Lauso Numitoris filio.

Lausus, ut predictum est, Numitoris fuit filius, et ab Amulio patruo impie trucidatus occubuit. 10

CAP. LXXIII

De Ylia Numitoris filia, que peperit Romulum et Rhemulum.

Ylia, que et Rhea Numitoris fuit filia, et ab Amulio inter vestales virgines trusa. Que, ut ait Ovidius, dum aquam pro sacris quereret obdormivit, et in somnis illi visum est a Marte opprimi, et sic geminos concepisse, quos cum peperisset, viva infossa est legis imperio. Fictio quod secum Mars concubuerit, ubi de Romulo et Remulo declarabitur. Et quoniam qui ex Iulio Silvio nati sunt ordine non habemus, genealogie posteriorum Dardani finem facere necesse est. Hoc uno apposito, 15
quod ab his natus sit orbis et urbis fulgor, Gaius Iulius Cesar dictator. 20

Genealogie deorum gentilium liber VI^{us} explicit feliciter.

GENEALOGIE DEORUM GENTILIUM SECUNDUM JOHANNEM BOCCACCIUM DE CERTALDO LIBER SEPTIMUS INCIPIT FELICITER.

75 a

In precedenti arbore, cuius in radice scribitur Oceanus, omnis eiusdem Oceani tam in ramis quam in frondibus posteritas ordinate apponitur, de qua in sequenti septimo libro dicitur.

Prohemium.

Qui ab Elsa, Certaldensi fluvio, et Arno Tusco, eminentissime rex, paulo ante in altum vela concesseram, et per ceca impulsus Syrthium vada, Aquilone stridente sevo, et inde
10 per late patentia scabraque Asye promontoria et crebros Euripos Egei maris, impellente Lybico, nec non et vertiginosum Sycilidum fretum, atque inter sonantia tam Yllirici quam Tyreni maris litora, spirante Notho, non minori persepe timore quam admiratione circum actus sum, tegentibus poetarum atris nubibus, hinc Phebi splendidum iubar, inde Arthoi sydus immobile, dum minus crederem, a Vulturno raptus, postergatis
15 Ligurum Gallorumque et Hyspanorum litoribus, et Calpe Abylaque promontoriis omissis, ad limen usque Oceani delatus sum. Et, dum circa eius ingressum constitisset cortex,
20 quasi deliberandi prestaretur spatium, in conterminum polis pelagum oculos dedi. Dumque intuerer pregrande corpus, et incomprehensibile monstrum, preruptos aquarum in celum montes, earumque atra opacitate speluncas horrendas metirer animo, et indomitas vires, quibus terras concutit, ac inco-

gnitos scopulos, et immanes eiusdem beluas, cogitaremque eum fluviorum omnium hospitem, horruī fateor, et steterē crines, et timore quodam insolito (occupatus), vix labantia membra continui; nec multum, quin memet ultro in litus, potius quam ad ulteriora progrederer, naufragum dederim, ludum iocumque existimans per respectum iras fore Mediterranei maris. Sed is, qui profecto certa spes et infallibile suffragium rite in se credentium atque sperantium est, vocatus affuit illico, et, igne sue caritatis, noxio frigore pulso, prostratum suscitavit animum, et in vires ampliores solitis revocavit adeo, ut parvo cortice ingenti tamen pectore auderem immensum intrare gurgitem, et insueta sulcare maria. Et expedita in precedentibus fere omni Celi prole, calamum ad longam Oceani posteritatem scribendam arripui, gubernaculo tenuissime cymbe illi commisso, qui arcam Noe ab aquis universalis diluvii servavit incolumem.

CAP. I

De Oceano Celi et Veste filio, qui genuit XXIII^{or} inter filios et filias, quorum hec sunt nomina: Prima Eurinomi. II^a Persa. III^a Etra. IIII^a Pleyon. V^a Climenes. VI Triton. VII^a Doris. VIII Protheus. VIII^a Corusices. X Nereus. XI Achelous. XII Ynacus. XIII Peneus. XIII^a Nylus. XV Alpheus. XVI Crinismus. XVII Tyberis. XVIII Axius. XVIII^a Asopus. XX Cephysus. XXI Meander. XXII^a Phyllira. XXIII Sperchius. XXIII Sol.

Oceanum Celi et Veste fuisse filium voluerunt theologi, qui arbitrati sunt ex Celo, seu ex Terra, seu ex ambobus omnia a primevo producta. Quod nec credidit, nec tacuit Yonicorum phylosophorum princeps Milesius Tales, apud priscos autoritatis non minime, quin imo eidem Oceano, non minus insipide quam reliqui fecerint, divinam mentem esse insitam, et ab eo cuncta producta, seu eo causam dante, existimavit, eo forte motus, quia in omnibus, cessante humiditate, cerneret et vitam de necessitate cessare, et equo modo absque humore nil penitus gigni vel nasci posse. Et sic non genitum Oc-

ceanum, sed patrem deorum rerumque omnium asserebat. Cui aliquando adhesisse videtur Omerus, et potissime, ubi in Yliade introducit Iunonem dicentem: Ὠκέανον τὴ θεῶν γενεῶν καὶ μετέρα Τηθύν etc. [Que latine sonant]: Oceanum deorum nationem et matrem Thetim. Et sic etiam non nunquam hos secutus Virgilius ait: Oceanumque patrem rerum. Plinius autem ubi De hystoria naturali, elementum istud aquarum extollens dicit: Quippe hoc elementum ceteris omnibus imperat, terras devorant aque, flammam necant, scandunt in sublime et celum sibi quoque vendicant, ac nubium obtentu vitalem spiritum strangulant, que causa fulmina elidit ipso secum discordante mundo. Quid esse mirabilius potest aquis in celo stantibus, at ille ceu parum sit in tantam pervenire altitudinem rapiunt fluvios cum piscium examine. Sepe etiam lapides subvehunt portantes aliena pondera. Eadem cadentes omni terra nascentium causa fiunt, prorsus mirabili natura si quis velit reputare, ut fruges gignantur, arbores frutesque vivant, in celum migrare aquas, animamque etiam vitalem inferre inita confessione, omnes quoque terre vires aquarum esse beneficii etc. Hec Plinius. A quo Vitruvius ubi De architectura non discrepat, | aiens: Ex eo etiam qui sacerdotia gerunt moribus Egyptiorum, ostendunt omnes res e liquoris potestate consistere etc. Ridiculum quippe est aquas rerum credidisse principium. Sed quid ego succenseam talibus, si circa invisae rerum initia erraverint, cum adversus ea, que in oculis sunt stolide credant? Viderunt Egyptii Ysidem morientem, et conati sunt animis suis infigere eam, et si non omnipotentem, potentissimam fuisse et esse deam, non mortalem feminam. Cretenses ipsum quem, sepeliverant ipsi, libidinosissimum hominem Iovem non erubere celi et terre predicare deum. Sic igitur cecitate mentis obducti credidere hos esse maiores, qui aliquando facti fuerant, quam qui illos fecerat aliquando. Sed de hoc alias. Qui autem Oceanum rerum putavere patrem ab eo genealogiam cepere deorum; quem cum constet secundum alios habuisse patrem iuxta cepti operis ordinem locavimus eum. Cui ne inter pregrandes deos inhonoratus incederet, curram, ut

dicit Theodontius, statuere, eumque a balenis trahi per ingen-
 tia maria finxere. Sic et illi Tritones tribuere tibicines atque
 precursores. Et maximos etiam illi phocarum fecere greges sub
 custode Protheo. Eique maximas nynpharum cohortes socias
 obsequiosasque fecere, et designavere prolem amplissimam
 filiorum, et eum nominibus pluribus vocavere. Sed exente-
 rande fictiones sunt. Curru quidem trahi Oceanum, eius
 circa terre rotunditatem describit ambitum, qui ideo a balenis
 duci dicitur, quia a balenis undique discurratur. Tritones
 autem eius ob causam tibicines precursoresque dicuntur,
 quia sui nominis significatum incessabiliter operetur; nam
 triton, secundum quosdam, idem sonat quod terram terens,
 quod assidue peragit mare, dum sese continuo impellens in
 litora motu terras terit; et quoniam istud absque sono non
 fiat, tanquam sonans tibicina nuncupatus est. Et ideo dictus
 precursor, quia vehementiori impulsus motu sonus in litus
 prenuntius est future tempestatis certissimus. Eum habere
 phocarum greges ideo dictum est, quia phoce ex anteriori
 parte speciem habeant vitulorum, et armentorum more pa-
 scuntur in terris turmatim. Pastorem autem Protheum dixere,
 eo quod harum phocarum habundantissimum sit mare Car-
 patium, quod olim fuit sub ditione Prothei. Nynpharum autem
 illi iuncta et obsequens cohors nil aliud est, ut arbitror, quam
 multiplices aquarum proprietates seu | accidentia continue
 aquis iuncta, eisque agentibus, seu in eas impressio alia, una
 sese cum eis quasi | obsequiosa mutantia. Vocatur insuper
 preter Oceanum Nereus, Neptunus, et Mare. Que nomina,
 quoniam cum nominibus aliorum numinum conveniunt, ubi
 de illis sermo fiet, convenientius exponemus. Oceanus autem
 quod illi proprium est, ut dicit Rabanus a Grecis et Latinis
 ideo dicitur, eo quod in modum circuli orbem ambiat. Item
 quia ut celum purpureo colore nitet. Ego autem a Cyanes,
 quod latine nigrum sonat, denominatum puto, tante enim
 profunditatis est, ut nulla possit in eo aquarum transparentia
 apparere.

CAP. II

De Eurinomi Oceani filia I^a.

Eurinomi Oceani fuit filia, ut asserit Omerus in Yliade
 dicens: Εὐρυνόμη θηγάτηρ ἀψορρό Ὠκεανοῖο etc. [Que latine so-
 5 nant]: Eurinomi filia retro fluentis Oceani. Interpretatur autem
 fluctuationis seu ventorum pastor. Nam aqua maris semper fluc-
 tuat, ut videmus, et ideo ab exercitio aquarum denominata est,
 et Oceani dicta filia. Seu secundum alios, qui ex aquis oriri
 ventos volunt, aqua ventos pascit, id est materiam prebet, ex
 10 qua et creantur et vigent, et sic hec rite dicitur filia Oceani.
 Preterea ubi de hac Omerus loquitur, inducit Vulcanum lo-
 quentem Thetidi pro Achille arma poscenti, et ut se paratum
 ostendat, dicit quod cum a matre de celo proiceretur, quia
 claudus, ab ipsa Eurinomi et Thetide susceptus atque nutri-
 15 tus est. Ubi vult intelligamus ignem per humidum et spiri-
 tum ali, qui si deficient, ut exstinguatur necesse est.

CAP. III

De Persa Oceani filia II^a.

Persa filia fuit Oceani, ut in Odissea placet Omero, ubi
 20 dicit eam a Sole dilectam, eumque ex eius concubitu Oetam
 Colcorum regem atque Circem suscepisse, sic aiens: Ἀυτοκα-
 σιγνήτη ὀλοοφρονος Αἰήταο· Ἄμφω δ' ἐκτεγάτην φασειμβρότοι Ἡε-
 λίοιο Μητρος τ' ἐρ Πέρσης, τὴν Ὠκεανός τεκε πᾶιδα etc. [Que
 latine sonant]: Soror sagacis Oete. Ambo autem orti fuerunt
 25 a lucente mortalibus Sole, matreque a Persa quam Oceanus
 genuit filiam. Hanc autem Persam dicit Leontius ab Esyodo
 Hecathen appellatam; que cum apud nos luna sonet, satis
 possumus arbitrari Oetam, apud suos clarissimum regem, il-
 lud idem fecisse, quod Saturnus egerat, qui Uranium patrem
 30 Celum nuncupari iussit, et Vestam matrem Terram, ut nomi-
 nibus egregiis originem ampliaret suam, sic et Oeta patrem

76 a Solem et matrem Lunam. Que ideo Oceani filia dicta est, quod a litoralibus ex Oceani fluctibus oriri videatur. Seu forsitan ipsa Persa ab Oceano patri Oete venerat, et ideo Oceani filia dicta, vel imperium habuit penes Oceanum.

CAP. IV

5

De Ethra III^a Oceani filia et coniuge Athlantis.

Ethra filia fuit Oceani, ut carmine confirmatur Ovidii, asserentis, eam ex Athlante Hyadem atque sorores peperisse, dum ubi De fastis legitur: Hunc stirps Oceani maturis nixibus Ethra Edidit et nynphas etc.

10

CAP. V

De Pleyone IIII^a Oceani filia et Athlantis coniuge.

Pleyon filia fuit Oceani et coniunx Athlantis secundum Paulum, quod etiam confirmat Ovidius in libro Fastorum, dum dicit: Hinc sata est Plyone cum stellifero Athlante Iungitur ut fama est Plyiadesque parit etc. Pleyas enim idem est quod pluvia, que eo quod ex vaporibus humidis ex Oceano in altum consurgentibus causetur, ideo filia Oceani dicta est, uxor autem Athlantis, eo quod huiusmodi vapores humidi ex aquis consurgentibus ut plurimum circa culmen Athlantis et aliorum montium volvantur, et insidant incolis pluvias prenotantes.

15

20

CAP. VI

De Climene V^a Oceani filia et matre Phetontis.

Climenes, ut Theodontio placet, filia fuit Oceani et Thetidis. Que cum forma valeret, Soli placuisse volunt, in cuius ipse concubitus veniens ex ea Phetontem suscepit et

25

sorores. Paulus autem dicit eam fuisse Meropis Egyptii co-
 niugem, et apud extremos Egyptios Ethyopibus imperasse
 cum viro, et ex eo Eridanum, qui et Pheton dictus est, et
 sorores concepisse. Leontius autem eam dicit filiam fuisse
 5 Minyi et Eurianassis, et ex Merope viro peperisse Yphiclum
 et Phylacem, et Phetontem cum sororibus. Circa quas varie-
 tates advertendum est, quod in quantum Oceani dicitur filia,
 et a Sole dilecta, potest intelligi humiditas; nam Climenes
 interpretatur humiditas, et sic Oceani tanquam omnium
 10 humiditatum fontis merito dicetur filia. Que a sole diligitur,
 eo quod, ut Tullius recitat, ubi De naturis deorum, sol et
 astra reliqua de humiditate pascuntur. Seu et melius eo quod
 solis calor in humiditate agens suscitatur nebulas, que Phytonem
 conficiunt, ut ubi de Latona dictum est, et arbores etiam
 15 quasdam ex locis palustribus elicit, de quibus infra ubi de
 Phetonte et sororibus latius. Eam autem fuisse feminam et
 Meropis coniugem si velimus, tunc eam nobilem aliquam in
 littore Oceani dominam fuisse dicemus, et exinde filiationem
 huiusmodi consecutam, nec aufertur ob hoc quin Minii et 76 b
 20 Eurianassis in partibus forsitan illis imperantibus fuerit filia,
 sed a loco tanquam a nobiliori parte denominata.

CAP. VII

De Tritone VI^o Oceani filio.

Tritonem Oceani et Thetidis filium dicit Theodontius.
 25 Servius autem eum Neptuni filium dicit et Salatie coniugis
 eiusdem. Paulus autem eum Tritonam vocat, et feminam as-
 serit. Tandem seu masculus, seu femina sit, omnes in hoc
 conveniunt, eum scilicet esse seu Oceani, seu Neptuni Ti-
 bicinem, sed cum magis in Neptunum videantur inclinari,
 30 credo Neptunum et Oceanum unum et idem existimantes, in
 testimonium Ovidium trahunt dicentem: Nec maris ira manet,
 positoque in cuspide telo Mulcet aquas rector pelagi, supraque
 profundum Extantem atque humeros innato murice tinctum

Ceruleum Tritona vocat, concaque sonanti Inspirare iubet, fluctusque et flumina signo Iam revocare dato. Cava bucina sumitur illi Tortilis, in latum que turbine crescit ab imo, Buccina, que medio concepit ubi <aera> ponto, Litora voce replet sub utroque iacentia Sole. Tunc quoque ut ora dei madida rorantia
 5
 barba Contigit, et cecinit iussos inflata recessus, Omnibus audita est telluris et equoris undis, Et quibus est undas audita, coercuit omnes etc. In his autem apparet Tritonis officium et quod masculus sit, ut dicebat Theodontius. Quod
 10
 autem Oceani seu Neptuni sit filius, satis in hoc ostenditur, quod ab eorum sonoro motu causetur; intellexerunt autem theologi pro Tritone ipsum estuantis maris et in litora ferientis clamorem, cum Triton sonus secundum quosdam interpretetur. Alii vero bene voluerunt Tritonem maris sonum,
 15
 sed non eum quem dum se ipsum in se frangit, sed illum tamen quem facit litora percutiens, et ideo dixere Tritonem quasi terras terens, et inde tam secundum primos quam etiam secundum sequentes, voluere ex illo sono comprehendi futurum maris maiorem solito estum, ut sono illo adventantem
 20
 maiori cum impetu dominum suum ostendat Triton, uti et tibicines imperatorem de proximo advenire designant tiliarum cantu. Sane Plinius ubi De naturali hystoria videtur arbitrari Tritones, non solum ficto nomine poetis deservire, sed etiam
 76 c
 veros Oceani pisces existere, dicens de eis sic: Tyberio |
 25
 principi nuntiavit Olisipolentium legatio ob id missa, visum auditumque in quodam specu conca canentem Tritonem, qua nascitur forma. De hoc etiam Lucanus ait: Torrentem Tritones adit inlesa paludem. Hanc ut fama deus quem toto litore pontus Audit ventosa perflantem murmura conca etc.

CAP. VIII

De Dori VII^a filia Oceani et Nerei coniuge.

Doris secundum Paulum et Theodontium, filia fuit Oceani, Thetidis, et Nerei fratris sui coniunx, atque nynpharum

mater, ut dicit Servius. Huius Virgilius in Buccolico carmine meminit, dicens: Sic tibi, cum fluctus subterlabere Sycanos, Doris amara suam non inter misceat undam. Hanc aliqui volunt munus interpretari, eo quod aqua oportunissima mortalibus loco muneris a deo illis exhibita sit. Alii vero dicunt amaritudinem intelligi, et id circo Nereo marino deo nuptam, quia amarum sit mare, ut appareat uti viro perpetuo iuncta coniunx est, sic et aque marine amaritudo coniugio stabili iuncta sit. Oceani autem ideo filia dicta, quia ex aqua Oceani, sole agente, amaritudo nascatur, que postea mari miscetur Mediterraneo, in quo Nereus deus est.

CAP. IX

De Protheo sene VIII^o Oceani filio, qui genuit Melantonem et Ydotheam.

Protheus marinus deus, et insignis, ut aiunt, vates, ut Theodontio placet, filius fuit Oceani et Thetidis. Quod autem vates fuerit, post Omerum in Odissea, testatur Virgilius in Georgicis, dicens: Est in Carpatio Neptuni gurgite vates Ceruleus Protheus, magnum qui piscibus equor Et iuncto bipedum curru metitur equorum. Et paulo infra: Novit namque omnia vates, Que sint, que fuerint, que mox ventura trahantur; Quippe ita Neptuno visum est, immania cuius Armenta et turpes pascit sub gurgite focas etc. Hunc ait Omerus a Menelao ab excidio Troie redeunte et percontante quidnam de sociis perditis contigisset, vi coactum ad vaticinium reddendum. Sic et Virgilius dicit ab Aristeo de restauratione apium exquirente. Verum Menelaum docuit Ydothea filia Prothei, ubi a <Cyrene> matre instructus fuit de agendis Aristeus. Et, ut Omerus dicit, eum ante responsum varias dum cogitur sumere formas, ut dimictatur, sic et Virgilius: Fit enim subito sus horridus atraque tygris Squamosusque draco et fulva cervice | leena Aut acrem flamme sonitum dabit atque ita vinclis Excidet, aut in aquas tenues dilapsus abibit.

Hunc Theodontius origine ex Pallene insula seu monte

fuisse dicit, et apud Egyptios regnasse, eique Helenam adhuc virginem a Theseo raptam et commendatam, atque ad eum tempestate impulsam, post excidium Troianorum Menelaum cum eadem Helena divertisse. Senem atque circumspectum virum, et rerum experientia doctissimum, et eo quod animadversione sua nedum presentia nosceret, et integram preteritorum haberet memoriam, sed per coniecturas etiam preteritorum non nunquam, ut sepe faciunt sapientes, de futuris predicebat eventum. Et hinc fabule locum datum, quod vates fuerit Protheus, arbitrabatur. Formas vero, quas eum sumere consuetum aiunt, et abicere, eas existimo passiones, quibus anguntur homines, eius rei similitudinem gerentes, cui possunt merito similari. Que passiones, ut amoveantur ab eo, cui consilium poscimus, si recte velit prestare consilium, necesse est, ut tranquillus remaneat animus ad interrogata. Potest insuper hec fictio aliter aperiri, Protheum scilicet accipi loco divinationis ydromantice, et tunc quod Oceani Thetidisque sit filius, poterit non inconvenienter exponi, cum talis divinatio fiat in aqua, ut ipsum sonat nomen ydromantia, ab ydros quod est aqua, et mantia divinatio, et omnis aqua ex Oceano et Thetide est. Quod autem varias sumat formas, eo potest dici, quia fit sacrilegium istud circa flumina, que sui cursus murmure plurimas imitantur formas. Seu forsitan in hac operatione ad habendum quod queritur, est de necessitate aquas moveri, quo in motu et murmur aliquod auditur, et varie videntur forme, quibus in quietem positis vaticinium sumitur. Quod autem eum pastorem Neptuni seu Oceani dicunt, causa supra ostensa est, ubi de Oceano. Currum illi attribuunt ad designandas aquarum illius maris circumvolutiones. Quod autem ab equis bipedibus trahatur, ideo dictum est, quia mare illud habundat phocis, quibus et pedes et caput et totum fere corpus ab umbilico supra est ad instar vituli, deorsum vero pisces sunt, et sic cum tantum duo sint illis pedes, bipedes equos vocant.

CAP. X

De Melanthere filia Prothei.

Melanthero, ut Theodontius asserit, filia fuit Prothei senis. Cui consuetudo fuit, positis vestibibus, delphynes inequitans vagari per maria patris. Que cum formosa esset, in gratiam
5 venit Neptuni, qui in delphynem mutatus, illi applaudens, eam in conscensum sui traxit, et transportatam etiam violavit. Asserit | Barlaam rei huius veritatem fuisse, puellam hanc in gratiam suam allexisse delphynem, et eam solitam non nun-
quam dorso eius insidere, atque ab eo per mare deferri, et demum ad locum ubi conscenderat ad ultimum referri, tamen
10 quacunque ex causa factum sit, eam in mari necatam. Miraberis forsitan, serenissime rex, feminam a delphyne illesam ferri, atque referri, quod ne fabulosum putes, de quibusdam libet apponere. Legimus enim, Plinio gravissimo viro scribente, in Affrico litore apud Ypponem Diarutim delphynem fuisse ex hominum manu cibum sumentem, seque tractandum manibus prebentem, et nautibus alludentem, atque conscendentes portantem, et a Flaviano proconsole Affrice unctum
15 unguentis, odore quorum novitate sopitum aliquandiu more exanimis fluctuatum, ac deinde expergefatum, quasi iniuriam passum per menses aliquos secessisse. Qui cum demum rediisset, et fere omnis provincia ad hoc miraculum spectura concurreret, ab Ypponensibus venientium amicorum sumptibus gravatis, occisus est. Preterea et Alexandri Macedonis evo fuit in Asye litore puer adeo a delphyne uno dilectus, ut eo discedente eum sequeretur in litus, et in harenam usque in-
vectus expiravit. Similiter, ut scribit Iaso Egesidemus, puerum Hermem nomine delphynem super maria equitantem, quem
25 cum repentina procella fluctibus exanimasset, a delphyne mortuus in litus reductus est, qui cum liquido se mortis pueri causam fuisse fateretur, non in maria retrocessit, sed in litore expiravit. Quid multa dicam? non est novum neque inusitatum delphynes cum hominibus amicitias habuisse. Sed

77 a

redeuntes unde divertimus, sunt qui dicant, quod Melantho albedo interpretetur, que ex assidua maris fluctuatione oritur, et supra delphynes piscesque alios fertur, et a Neptuno, id est a mari violatur, quia ingurgitur, et denuo restauratur. Ego autem unde hoc ab his sumptum sit nescio, cum sciam melan grece nigrum sonare latine.

5

CAP. XI

De Ydothea Prothei filia.

Ydothea Prothei senis fuit filia, ut in Odissea testatur Omerus, dicens: Πρωτεύς ἰφθίμη θυγάτηρ ἄλιου γέροντος, Εἰδοθή etc. [Que latine sonant]: Prothei fortis filia marini senis Ydothea. Et paulo infra ubi eam de Protheo patre suo loquentem Menelao regi introducit atque dicentem: Ἀθάνατος Πρωτεύς Ἀιγυπτίος ὃς τε θαλάσσης Πάσης βένθεα οἶδε, Ποσειδάωνος ὑποδμός· Τὸν δέ τ' ἔμον φασὶν πατήρ ἔμμεναι ἠδὲ τεκέσθαι etc. [Que latine sonant]: Immortalis Protheus Egyptius, qui maris totius profunditates scit, Neptuni famulus, hunc autem meum fantur patrem esse, atque genuisse me. Hanc dicit Omerus obviasse Me|nelao in insula Pharos, que in conspectu Egyptie Alexandrie est, in qua ventorum contrarietate invitatus detinebatur, et ei consilium primo dedisse, ut ad Protheum accederet, et quid ageret deberet ostendisse; demum eum sub coriis phocarum, antro Prothei cum tribus sociis abscondisse. Ydothea, ut quidam volunt, formosa interpretatur dea, per quam maris tranquillitatem intellegi volunt, ea enim tranquillitate factum est, ut posset Menelaus accedere ad Protheum.

10

15

77 b

20

25

CAP. XII

De Corufice Oceani filia VIIIa.

Corufices, ut Ciceroni placet, fuit filia Oceani, quam ipse asserit ab Arcadibus Corion nominari, affirmans pre-

30

terea eam placuisse Iovi, et Iovem ex ipsa suscepisse Minervam, eam scilicet que quadrigarum fuit inventrix. Cur autem Oceani dicatur filia, quod nonnunquam de aliis dictum est, responderi potest, nobilem scilicet fuisse mulierem
 5 natam circa litora Oceani. Seu velimus, quod etiam possibile est, Oceanum hominem insignem fuisse, ob aliquam Oceani similitudinem sic nuncupatum.

CAP. XIII

De Nereo X^o Oceani filio. Hic genuit (nynphas), que multe sunt, verum
 10 quoniam nisi de quattuor sit singularis mentio, earum tantum nomina apponam; genuit ergo Cymodoce, Tethim minorem, Galathea et Arethusam et alias.

Nereum marinum deum Oceani et maioris Thetidis filium prisci gentilium voluere theologi; eique Dorim sororem
 15 suam iunxere coniugio, ex qua volunt nynpharum agmen suscepisse. Is enim aqua est, vulgo enim grece neros aqua dicitur. Oceani et Thetidis filius, eo quod omnis aqua progrediatur ex illo. Quod autem alio nomine vocetur, ab illo potest esse causa, quia sinus sit maris, et sic est, non eo
 20 evo factus, quo Oceanus factus est. Refert enim Pomponius Mela, Herculis opus fuisse Abylam Mauritanie promontorium a Calpe Hyspanie monte olim separatum, cum perpetuo essent iugo coniuncti, et tunc medias in terras Oceanum intrasse, et sic Oceanus Mediterraneus factus nova potuit
 25 quesuisse nomina. Introductus autem Nereus cum Doride coniuge, id est aquarum amaritudine, multas apud nos genuit nynphas, id est humiditates, que forsan ante non erant.

CAP. XIV

De (nynphis) in generali.

30 Nynphe generale nomen est quarumcunque humiditatum, quod ideo dico, quia humiditates secundum diversitatem rerum,

quibus deserviunt nomina diversa accipiunt, ut in sequentibus
 77 c apparebit. He, ut dictum est, Nerei et Doridis filie | dicte sunt,
 eo quod a mare omnis derivetur humiditas. Harum quidem
 alie sunt marine, et appellantur Nereides a Nereo patre. Ex
 his Omerus in Yliade nominat XXXIII, quas ad concussam 5
 Tethidem ob mortem Achillis filii sui convenisse dicit. Qua-
 rum hec sunt nomina: Glaucis, Thalia, Cimodoci, Nisea,
 Spio, Thoi, Cimothoi, Actei, Liminoria, Meliti, Iera, Am-
 phytoi, Agavi, Doto, Proto, Pherusa, Dinameni, Dexa, Meni,
 Amphynomi, Callianira, Doris, Panopi, Galathia, Nimertis, 10
 Apsedis, Callianassa, Climeni, Ianira, Dyanassa, Mera, Ori-
 thia et Amathia. Preterea et alias superesse dicit. Harum si
 quis haberet significata nominum, credo adverteret facile eas
 proprietates aquarum maris, et accidentia circa eas demon-
 strari. Sunt et alie que dicuntur fluminum, et he vocantur 15
 Nayades, eo quod nays interpretetur fluctus vel commotio, et
 ideo Nayades dicte, quia fluant flumina et in motu continuo
 sint. Ex his Virgilius in Georgicis XVIII nominat, videlicet
 Climenes, Drimo, Xancto, Logea, Phyllodoce, Nisea, Espio,
 Talia, Cimodoce, Cidippe, Lycoras, Clio, Beroe, Ephyre, 20
 Opis, Deyopea, et Arethusa et Achao. Quas ego existimo
 fluviorum varias designare proprietates. Nec obstat his im-
 mixtas esse, vel aliis aliquas ex nominatis inter Nereidas.
 Cum debeamus credere in nonnullis proprietatibus mare et
 flumina convenire. Sunt et alie que dicuntur fontium, et he 25
 appellantur Napee, quasi Naptee, id est aquarum fomites; nam
 napta apud Persas fomes est, et si non sit aquarum tran-
 sumptive aliquando vocabula apponuntur. Sunt enim fontes
 fluviorum continuum nutrimentum. Ex his enim numerantur
 VIII, quibus Castalius fons dicatus est; quarum nomina non 30
 apponam, quoniam Muse vocantur, et de eis alibi fit sermo
 prolixior. Sunt et alie quas nemorum dicunt, et he Dryades
 vocitantur, eo quod dryas arbor seu quercus sit. Ex his
 Claudianus, ubi De laude Stilliconis VII nominat, has sci-
 licet: Leontadome, Nenopene, Thero, Bithomartis, Lycaste, 35
 Agaperte et Opis. Quas ego non dubitem, quin arborum

proprietates in generali interpretate describant. Sunt et alie,
 quas arborum dixere, easque Amadriades vocavere, quasi in
 speciali arbores, non in generali nemora amantes. | Alie vero 77 d
 sunt montium, quas dixere Orcades, quasi Oroncades; nam
 5 Oron grece latine mons dicitur. Sic etiam et alie Hymnides
 appellantur, ut placet Theodontio, quas dixit pratorum atque
 florum nynphas existere. Has autem omnes aliquando mori
 et deficere dicit Aristotiles, sicuti Panes faciunt Faunique.
 Sane Plinius in libro Naturalis hystorie, Nereidas non sim-
 10 pliciter aquas, seu aquarum proprietates esse consentit, quin
 imo eos habere vera corpora et animalia esse asserit, dicens:
 Et Nereydum falsa opinio non est, squamis modo hypsido
 corpore, etiam in quo humanam effigiem habent. Namque hec
 in eodem litore, scilicet Olisipolentium, spectata est, cuius
 15 morientis etiam cantum tristem accole audivere longe; et divo
 Augusto legatus Gallie complures in litore apparere exanimes
 Nereidas scripsit. Hec Plinius. Ad quam opinionem fortius
 roborandam subdit et ipse Plinius: Autores habeo in equestri
 ordine splendentes; visum ab his in Gaditano Oceano ma-
 20 rinum hominem toto corpore, absoluta ascendere similitudine
 navigia nocturnis temporibus, statimque degravari quas < in-
 siderit > partes, et, si diutius permaneat, etiam mergi. Tyberio
 principe, contra litus insularum Lugdunensis provincie tre-
 centas amplius beluas reciprocans destitutas Oceanus mire
 25 varietatis et magnitudinis, nec pauciores in Sanctonum litore,
 interque reliquas elephantos et arietes candore tantum et cor-
 nibus assimilatis, Nereydas vero multas. Hec Plinius. Quod et
 si claro homini atque erudito plurimum credi possit, non sic
 propterea deliris mulierculis et agrestibus ignaris asserentibus
 30 absque rubore vultus se ex fontibus formosissimas mulieres,
 quas ipse Lammas vocant, prodeuntes vidisse. Sunt preterea,
 ne nos nimis artemur a significato vocabuli, et alie nynphe,
 ut sepissime vocavere poete, ut puta Cyrces, Calisto, Climenes,
 et alie huiusmodi multe, que vere fuere mulieres, pro quibus
 35 nulla superior fictio intelligenda est. Quin imo tales seu pro
 talibus accipiende et intelligende sunt puelle virgines atque

nobiles, et thalamorum colentes umbras, ideo nynphe dicte, quia ex flegmatica complexione, qua vigent, tanquam humentes, molles et delicate sunt et tenelle, et in eas tanquam in res aqueas facile omnis potest impressio. Agrestes autem femine ut plurimum exhauste laboribus atque fervore solis humide, hispide sunt et dure cutis, et ideo Nynpharum nomen merito perdidere. Et in hoc in generali de Nynphis dictum sit.

CAP. XV

De Cymodoce filia Nerei.

Cymodoce nynpha ex filiabus Nerei una est, quam dicit Servius cursus fluctuum interpretari.

CAP. XVI

De Tethide minore Nerei filia et matre Achillis.

Tethis minor, nynpharum una fuit, de qua dicit Ovidius, quod cum consulisset Protheum de successibus suis, sic illi fuisse responsum. Protheus: dea, dixerit, unde, Concipe: mater eris iuvenis, qui fortibus armis Acta patris vincet maiorque vocabitur illo. Tandem, cum esset speciosissima virgo, a Iove dilecta est, qui tamen a responso territus, ne forsan ex eo ipsa conciperet filium, qui eum regno pelleret, abstinuit. Ipsa autem Pelleo filio Eaci regis nupsit, et ex eo concepit et peperit Achillem filium, quem Chyroni centauro nutriendum tradidit, eique existenti in Troiano bello cum arma perdidisset in morte Patrocli amici sui, a Vulcano nova impetravit. Cuius fabule et potissime responsi Prothei evidens fortitudo Achillis causam dedit, cum post factum vaticinium adinventum sit. Hanc dicit Leontius Chyronis fuisse filiam et Thetyos insule cultricem, nec tantum ob habitatam insulam maris filiam habitam, et Thetidem appellatam, quantum a moribus filii, eo quod furiosus et impius more maris fuerit, et ideo Thetidis, id est

furentis dictus est filius, et inde nomen ipsa sortita est post filii furiam, cum aliud haberet ante.

CAP. XVII

De Galathea Nerei filia.

5 Galathea ex nynphis una Nerei filia fuit, ut paucis ostendit Ovidius in persona eius, dicens: At michi cui pater est Nereus, quam cerula Doris Enixa est etc. Ex qua talis extat fabula: Acis pulcherrimus adolescens Syculus a Galathea dilectus est, cum illam summe diligeret Poliphemus Ciclops. 10 Qui cum non diligeretur, Acimque die una Galathee vinctum cerneret, iratus illum saxo illixit, atque occidit, quem Galathea in fluvium Syculum sui nominis transformavit. Cuius fabule allegoria potest esse talis. Galathea albedinis dea est, per quam albedinem undarum sese frangentium intelligo. 15 Acim autem amat, id est fluvium suscipit, quia flumina omnia in mare volvuntur. Theodontius autem dicit sub hac fictione hystoriam latitare, asserens Polyphemum immane fuisse Sy- 78 b cilie tyrannum, et cum Galatheam singularis pulchritudinis puellam amaret, eamque per vim constuprasset, contigit ut 20 adverteret hanc cum Aci Syculo adolescente misceri, quam ob causam indignatus, iuvenem iussit occidi, et in fluvium deici, cuius nomen fluvio postea datum ab incolis est. Galathee autem amore non permittente nil egit.

CAP. XVIII

De Arethusa Nerei filia.

25 Arethusas fuisse duas comperi, quarum altera Nerei et Doris fuit filia. De qua talis fertur fabula. Dicunt enim hanc Elydis fuisse nynpham et Diane comitem, quam cum fessam et vestimentis nudam, ac se in Alpei undis lavantem 30 Alpheus Elydis fluvius vidisset, confestim desiderio sui captus,

illam tenere voluit, verum ipsa territa cepit fugam, et cum
 sequeretur illam fluvius, nec iam sibi videretur posse evadere,
 oravit Dianam dominam suam, ut illi opem ferret; que illam
 nube textit, quam cum circumiret fluvius, Arethusa timore
 sudans, in fontem versa est; cuius undis cum suas miscere
 conaretur Alpheus, ipsa a terra absorpta est, et in Ortigiam
 usque insulam delata, et inde in Syciliam, usque quo etiam
 Alpheum eam secutum dicunt. In qua fabula monstrum de-
 signatur apparens. Nam certum est Alpheum Elydis fluvium
 esse, et apud Syragusas Sycilie habere exitum. Quod probare
 videtur Seneca philosophus, ubi De questionibus naturalibus
 sic dicens: Quidam fontes certo tempore purgamenta eiectant,
 ut Arethusa in Sycilia, quinta quaque estate per Olympia,
 inde opinio est Alpheon ex Achaya eo usque penetrare, et
 agere sub mare cursum, nec antequam in Syragusano litore
 emergere, ideoque his diebus quibus Olympia sunt, victima-
 rum stercus secundo traditum flumini, illic redundare. Hec
 Seneca. Ab hoc igitur eventu fabule locus adinventus est.
 Ovidius tamen agit carmine suo, ut maius videatur miraculum,
 dum dicit in eodem Arethusa: Pars ego nynpharum, que sunt
 in Achaide, dixit, Una sui etc. Verum hanc, etsi absorptam a
 terra ostendat, non in Syciliam venisse dicit, sed in Orthygiam
 insulam erupisse; qualiter autem postea in Syciliam venerit
 non habetur, sed qualitercunque fuerit, vel venerit hanc
 eandem videtur esse, que se fatetur in Elyde ab Alpheo
 dilectam; et sic per subterraneos meatus in Syciliam deve-
 nisse, ut etiam | testari videtur Virgilius illi dicens: Sic tibi,
 cum fluctus subterlabere Sycanos, Doris amara suam non in-
 termisceat undam. Et sic fons et inde fluvius ex Elyde in
 Syciliam venit, et ob insecutionem fluminis amor fluminis in
 fontem presumptus est. Altera vero Arethusa in Ytachia insula
 fons est, de qua sic dicit Omerus: Πὰρ Κόρακος πέτρῃ ἐπὶ
 τε κρηνῇ Ἀρεθούσῃ etc. [Que latine sonant]: Penes Corachi
 petram ac fontem Arethusam. Leontius vero ex hac Arethusa
 refert: Quendam fuisse in Ytachia venatorem, cui Corax nomen,
 qui furore impulsus ex petra quadam precipitem sese dedit in

mare, et ob id petra illa ab eo Corax denominata est. Mater autem eius, cui Arethusa nomen, hoc videns dolore percita in vicinum petre fontem se proiciens enecta est, et sic de se nomen fonti dedit, et sic duo sunt fontes Arethusa vocati. Solinus autem ubi De mirabilibus mundi tertium addit, asserens apud Thebas fontem esse, cui etiam Arethusa nomen, sed apud quas Thebas non dicit.

CAP. XIX

De Acheloo flumine Oceani XI^o figlio, qui genuit Syrenas.

10 Achelous fluvius, ut dicit Paulus, filius fuit Oceani et Terre; Servius vero dicit eius matrem fuisse Tethidem; Theodontius eum Solis et Terre filium vocat. Omerus autem in Yliade non tantum Acheloum, sed omnes fluvios dicit Oceani filios, sic aiens: Οὐδὲ βαδύρρηταιο μέγα σθενος Ὀκεανοῖο, Ἐξ οὗ
 15 περ πάντες ποταμοὶ, καὶ πασα νάουσίν etc. [Que latine sonant]: Neque profundissimi magna potentia Oceani, aquo omnes fluvii et totum mare et omnes fontes et putei longi fluunt. Terram autem fluviorum matrem esse per Virgillii carmen in Georgicis comprehendí potest, dum dicit: Iamque domum mirans genitricis et humida regna Speluncisque lacus clausos lucosque
 20 sonantes Ibat et ingenti motu stupefactus aquarum, Omnia sub magna labentia flumina terra, Spectabat diversa locis, Phasimque Lycumque Et caput, unde altus primum se erumpit Enipheus, Unde pater Tyberinus et unde Aniena fluenta Soxosusque
 25 sonans Ypanis Misusque Caycus Et gemina auratus taurino cornua vultu Eridanus etc. Cum ergo in ventre terre ante ortum consistant flumina, et eius ex ventre affluant, bene Terra mater dicitur fluviorum. Quod autem dicebat Theodontius ratione non caret. Volunt enim physici a tractu solis non nullas aquas in
 30 terre cavernas deduci per humiditatem vaporum solis calorem sequentium, qui in frigidis terre visceribus evaporantes in aquam vertuntur, que per occultos meatus in superficiem veniens, erumpit in fontem, et | quandoque fluvium conficit. Quod
 78 d autem de origine huius dictum est, de reliquis etiam intelligatur

necesse est, ne oporteat replicare quotiens de aliquo flumine sermo fieret. Is autem fluvius, ut ait Ovidius, gemino cornu olim erat insignis tandem ob petitam Deyaniram Oenei regis Calidonie filiam, in coniugium Herculi desponsatam, cum eo in certamen devenit, et cum sese in varias transformasset 5
 figuras, ad ultimum victus et spe coniugii et uno cornu privatus est. Primumque preterea Lactantius et Servius dicunt hunc fuisse qui vinum poculis miscuerit. Quod etiam testatur Virgilius: Poculaque inventis Acheloia miscuit uvis. Eumque Syrenarum patrem esse voluerunt. Quid per hoc sentiendum 10
 sit exquirentes, sciendum Acheloum fluvium e Pindo monte fluere, ut scribit Plinius, et ut Vibius Sequester de fluminibus asserit, primus fuit qui terram erupit, et, ut idem Plinius ait, Acarnaniam ab Etholia dividit et per fines Perebiorum affluens in Maliacum sinum effunditur, hostio obiectas habens 15
 insulas Thynnidas, ex quibus assiduo terre invectu continenti quasdam iunxit. Certamen autem eius et Herculis, quoniam in gloriam Herculis cessit, ubi eiusdem labores in sequentibus scribemus, ut dabitur, exponemus. Vinum autem poculis miscuisse, nil aliud intellexisse veteres puto, nisi quia primo 20
 penes eum in Grecia vinee plantate sunt, que in usu ante non erant, et sic ex eo loco primo vinum propinatum est. De Syrenis autem dicetur in proximo.

CAP. XX

De Syrenis filiabus Acheloi.

Syrenas tres fuisse Servius et Fulgentius asserunt, et Acheloi atque Caliopis muse filias, cantantesque dicunt alteram voce, alteram cythara, et tibiis tertiam. Leontius vero illas dicit fuisse quattuor sic nuncupatas: Aglaosi, Telciepi, Pisinoi et Iligi; easque filias Acheloi et Thersicoris muse, quartam 30
 timpano canere superaddens. Has dicit Ovidius socias fuisse Proserpine, eamque raptam diu quesisse, quam cum non reperissent, in marina monstra fuisse conversas, ora virginum

habentia, et corpus ad umbilicum usque feminineum, abinde infra pisces existentia, quos elatos Albericus dicit, et eis galinacios pedes addit, et retenta modulationis doctrina, qua ante mutationes utebantur, dulcissimam canunt melodiam.

5 Eas preterea dicit Servius iuxta Pelorum Sycilie promontorium primo, deinde ad Capream insulam secessisse. Plinius vero dicit, Neapolim Calchidiensium, et ipsam Parthenopem a tumultu Syrenis appellatam. Et sic iam quinque Syrenas | habemus. 79 a

Deinde paulo post dicit idem Plinius: Nuceria, Surrentum cum promontorio Minerve, Syrenum quondam etc. Aristotiles autem, 10 ubi De mirabilium auditu, dicit: In extremo Ytalie ubi Pelorus scissus ab Appennino iter Tyreno mari in Adriacum prebet, Syrenicas autem insulas residere, eisque ibidem sacrum consistere templum, in quo plurimum ab indiginis sacrificiis 15 honorantur. Que cum tres sint, non absurdum est nominum meminisse. Una ex his igitur Parthenopia appellatur, secunda Laucosia, tertia Ligia nuncupatur. Hec ille. Has autem insuper aiunt sui cantus dulcedine nautas in somnum trahere, sopitos mergere, mersos ultimo devorare, quam ob rem in 20 pratis inter occisorum ossa illas pingebant veteres. Eas nonnulli mortuas dicunt dolore, quod ad se Ulixem pretereuntem trahere nequiverint, ut in Odissea describit Omerus. Hec de his legisse memini, in quibus quid fingentes senserint advertendum est. Palefatus ante alios in libro Incredibilium scribit 25 has meretrices fuisse, solitas decipere navigantes. Et Leontius asserit vetustissima haberi fama apud Etholos prima Grecorum fuisse meretricia, et tantum lenocinio facundie valuisse, ut fere omnem Achayam in suam vertissent predam; et ex hoc arbitrari fabule originis Syrenarum locum fuisse concessum.

30 Et sic illis Etholie fluvius pater est dictus, eo quod eum penes primo sua scelesta cepere servitia; et ut intelligamus per labentem fluvium patrem, lascivam et effluentem concupiscentiam meretricum. Quibus ob blandam fere omnium facundiam Caliope, id est bona sonoritas, mater ascribitur.

35 Demum prima vocatur Parthenopia a parthenos, quod est virgo. Consuevere quidem meretrices docte volentes exteros

irretire, virginum seu pudicarum matronarum mores fingere, oculos scilicet in terram deicere, verba pauca facere, erubescere, tactum fugere, petulcis etiam gesticulationibus ludere, et huiusmodi, ut ex his arbitrentur insipidi hostem honestatis hospitem esse, et incognitum appetant, quod erat cognitum fugiendum. Secunda dicitur Leucosia a leucos, quod est album; ex quo sumendum reor oris formositatem, et corporis decentiam, atque vestium et ornamentorum splendidam apparentiam, quibus compe incedunt illecebres; nam si desint ista cum ab ignaris per exteriora iudicentur intrinseca, non facile devenient ad intentum, cum de sui natura turpes vilipendantur et pauperes. Tercia dicitur Ligia | ab iligi, quod est circulus, seu girum, ex quo insipientis captivitas assumenda, que adeo irretitos tenet astrictos, ut etiam si noverint scelestissimas esse quas amant, nequeant volentes vincla dissolvere. Harum autem cantus voce, fidibus et tibiis, quid aliud putandi sunt, nisi melliflua verba, blanditie, gannitus, risusque lascivi et petulantie, quibus carcerati naute, id est exteri, trahuntur in somnum a talibus, id est in sui oblivionem se ipsos, spe stolidi decipientes, donec his ligurientibus mercimonia omnia, facultates et navigia dederint; et sic demersi non in mare, sed in sterquilinio obscene libidinis, devorentur ab his marinis imo infernalibus monstris, que, eis nudatis atque repulsis in pratis, id est in deliciis, ossibus miserorum, id est exinanitis memoriis nudatorum insident, seu eosdem infami servitute premunt. Ab umbilico autem infra ideo pisces esse dixere, ut cognoscamus ad decorem eo usque virgineum corpus, id est pulchrum atque decens mulieribus esse concessum, ut appareat homo; in umbilico autem omnem libidinosam mulierum concupiscentiam esse credunt, cui soli, quod corporis deorsum restat, deservit, ex quo non absurde piscibus simulantur, qui animalia sunt lubrica et facile in aquis huc illuc discurrentia; sic et meretrices cernimus in coitum discurrere variorum, quod per alas etiam designatur. Eas autem habere gallinacios pedes ideo voluere, quia prodige et inconsiderate credentium

eis dispergunt substantias. Socias autem has fuisse Proserpine ideo fictum puto, quia pro Proserpina Sycula habundantia rerum summenda sit, ex qua ut plurimum libidinis pruritus subsequitur, et ciborum ociorumque delicie ministrantur. Hec
 5 autem dum subtrahitur, ut fit, remanente ob consuetudinem appetitu, dum perquiritur, nec invenitur, et ob penuriam appetitus acuitur, fit ut a multis in lupanar usque queratur. Dicunt insuper has incolere insulas et litoralia loca, quod ideo dictum est, quia sic sit; nequeunt enim huiusmodi femine
 10 ubi cognite aucupium facere, et ideo he ex proposito incolunt loca, ad que crebro forenses adveniant, ut illos possint incognite laqueare. De his quidem Syrenis deo plenus Ysaïas dixit: Syrene et demonia saltabunt in Babilone; quod forsan evo nostro in nova Babilone contigisse vidimus. Sunt autem
 15 Syrene dicte a seiron, quod est tractus; trahunt enim ut premonstratum est.

CAP. XXI

De Ynaco fluvio XII^o filio Oceani, qui genuit Yonem,
 Phoroneum et Phegeum.

20 | Ynacus Achaye grandis est fluvius, irrigans, ut ait Pomponius, Argolicos campos. Hic, ut ceteri, Oceani et Terre dicitur filius. Pro quo sentiatur, volunt veteres, de Ynaco rege Sycionorum, a quo denominatus est. Qui, ut ait Eusebius, regnavit, regnante apud Assyrios Balameo seu Xerxe, circa
 25 annos mundi III ccc xlvi, qua tempestate Jacob natus est.

79 c

CAP. XXII

De Yone Ynachi filia et matre Epaphi.

Yo, ut dicit Ovidius, filia fuit Ynachi, ex qua talem recitat fabulam. Quod cum esset formosissima virgo, a Jove dilecta est, qui illam a paternis undis redeuntem atque iam
 30 fugientem, orantemque tenebris superinductis detinuit, et op-

pressit; et cum Juno ex alto vidisset tenebras, suspicata
 descendit in terras, et tenebras solvit. Quod Juppiter videns
 ne pateret crimen, puellam transformavit in vaccam, eamque
 laudanti atque deposcenti Junoni egre dono concessit, que
 illico Argo filio Aristidis, cui centum erant oculi bini et bini 5
 dormientes vicissim, servandam tradidit. Cui compatiens Juppiter
 misit Mercurium, ut illam custodia liberaret. Qui, pastoris
 sumpta forma, Argo iunctus est. Cui dum redderet
 fistule rationem, eum tetigit caduceo, et in profundissimum 10
 somnum omnes una oculos eius astrinxit, et inde dormientem
 gladio interemit. Quod videns Juno, Argi oculos summons,
 illos caude pavonis avis sue apposuit, et vacce immisit
 oestrum, quo infestata cursum rapuit, et peragratis locis
 plurimis, non ante destitit quam ad Egyptios perveniret, ubi
 quievit, et prece Jovis a Junone eidem forma pristina resti- 15
 tuta est; et, ut volunt plurimi, Jovi peperit Epaphum, nupsitque
 Api nepoti suo, et ex Yone ab Egyptiis Ysis dicta est. Huius
 fabule duplicem esse sensum puto, naturalem scilicet et hy-
 storiographum; quorum talem naturalem existimo, ut hic iuxta
 Macrobiani sententiam pro sole Juppiter accipiendus est; qui 20
 Sol Ynaci fluvii filiam amat, id est humani seminis vitalem
 humiditatem, ut in eam agat fiatque, quod ait Aristotiles:
 Homo hominem generat et sol; quam quidem humiditatem
 Ynaci, iuxta fictionem, filiam tunc tenebris circumdat, cum in
 utero matris suo opere conceptum fetum auget et conservat; 25
 quas quidem tenebras tunc Juno, id est luna, ad quam spectat
 79 d meatus ampli|are corporum, resolvit, cum invocata more veteri,
 eo quod dea parturientium haberetur, illum iam maturum de-
 ducit in lucem, quem iam sol in vaccam transformaverat, id
 est ex humiditate humani seminis concreta animal fecerat. 30
 Et ideo in vaccam transformatus dicitur homo, quia uti vacca
 laboriosum et fructuosum sit animal, sic et homo; qui quidem,
 uti ad volatum avis, sic et ipse nascitur ad laborem; quorum
 autem fructuosus sit labor, deus ipse cognovit. Demum hic
 iam natus Argo servandus committitur, id est rationi, cui 35
 profecto multa sunt lumina semper, et in salutem nostram

vigilantia. Sane Mercurius, id est blande carnis astutia, caduceo, id est suasuonibus pessimis, in somnum rationem deducit atque interimit, eaque superata atque deiecta, Juno, id est regnorum preminentiorum atque divitiarum concupiscentia, vacce, id est humano appetitui, summittit oestrum, id est sollicitudinis acquirendi stimulum; hinc miseri cursum rapimus, vagamur, et circum agimur fluctuantes, quietem eis in rebus querentes, in quibus ne dum sit quies, sed continuus labor inest talis, ut anxios nos ad ultimum deducat in Egyptum, id est in tenebras exteriores, ubi fletus et stridor dentium; et ni nobis divino munere suffragium prestetur, Ysis effici efficimur, id est terra, sic enim Ysis interpretatur, et a cunctis, tanquam res vilis atque deiecta calcamur. Et hec quantum ad naturalem et misticum sensum dicta sint. Ad hystoriam autem videntur sufficere que supra de Yside Promethei filia dicta sunt, si hanc potius quam illam Egyptiam Ysidem esse velimus. Theodontius vero et Leontius apertissime negant hanc Yonem in Egyptum transfretasse, aut unquam Ysidis habuisse nomen, quin imo dicit alter eorum eam apud Yonas regnasse, eosque de suo nomine nuncupasse. Quibus et si multum Ovidii ostet autoritas, multum tamen fidei affert inconvenientia temporum. Eusebio enim teste in libro Temporum, Ynacus apud Argos regnavit circa annos mundi III ccc xlvii , eumque annis quinquaginta regnasse dicit Eusebius idem, infra quod tempus Yonem natam necesse est. Potuit hac tempestate Jovem Etheris filium esse, ex quo et Nyobe Phoronei filia, natum Apym non Epaphum; reliqui vero Joves diu fuere post istum, ex quibus secundus Ysidi Promethei filie contemporaneus est; nam regnante Argivis Phorbante, Ysis ipsa Promethei filia floruit etate, et eadem tempestate constat Argum fuisse cuncta cernentem. | Inde idem Eusebius et in eodem libro, anno mundi III dc xlvii , regnante Cecrope Athenis, dicit Yonem Ynachi fuisse filiam, eidemque Jovem immixtum, et eam anno regni Cecropis xlviij in Egyptum transfretasse. Subsequenter adhuc Eusebius, et in eodem libro, dicit anno mundi III dcc xxviii Danaum regem Argivorum fuisse, et eius filiam

Ypermestram et eandem Ysidem seu Yonem esse. Postremo in eodem volumine asserit, anno mundi $\overline{\text{III}}$ dcc lxxiii, regnante Lynceo Argis et Athenis Pandione, Ypermestram, quam Ysidem vocavere, fuisse. Quod quidem tempus satis competit Jovi Cretensi, qui Juppiter III^{us} fuit. Quibus tam diversis hystoriograforum opinionibus fere stupefactus, quid teneam de hac Yside nescio. Hoc tamen scio, quia temporis conformitas Ysidis Promethei cum Jone et hystoria, que si non vera est, vero tamen similis est, me magis quam ad aliquam aliarum trahit. Sane, ut ad aliqua circa allegoriam huius Yonis per alios dicta revertar, aliis omissis, dicunt hanc ideo in vaccam fingi mutatam, quia in navi, cuius erat insigne vacca, in Egyptum transfretasset. Que postmodum diu, ut dicit Fulgentius, ab Egyptiis in summa reverentia habita est, et ibi licteras Egyptiis tradidisse, qui primo signis loco licterarum utebantur, eosque terre docuisse culturam, et, ut placet Martiano, lini usum sementemque primam ibidem adinvenisse, atque seri fecisse, et multa eis etiam commoda demonstrasse. Estó Augustinus, in libro De civitate dei, dicat quosdam scribere eam ex Ethyopia in Egyptum venisse reginam, Preterea eam Api nepoti suo, qui post eam, et aliqui ante eam dicunt, in Egyptum etiam transfretavit, nupsisse. Eusebius vero eam cuidam nupsisse Telegono scribit, et ex quocunque habuerit seu ex Jove, seu ex Api vel Telegono, Epaphum filium peperisse volunt. Hec insuper propter concessa commoda doctrinis suis Egyptiis ab omnibus dea habita est, et dum viveret omni divino cultu honorata, et post mortem, ut ait Augustinus, ubi supra, adeo fuit illis grata, ut capitali crimine reus fieret, si quis eam fuisse hominem diceret.

CAP. XXIII

De Phoroneo Ynaci filio, qui genuit Eglyaleum et Nyobem.

Phoroneus, ut Eusebius in libro Temporum scribit, filius fuit Ynachi et secundus apud Argos tenuit regnum, | Beloco

regnante Assyriis, et Sycioniis Leucippo. Fuit quippe homo insignis industria et sapientia conspicuus, cuius tempore primo legum et iudiciorum Argos clarior facta est. Nam ab hoc iuris civilis periti dicunt eum locum, quem forum dicimus, in quo
 5 scilicet petentibus iura redduntur, denominari. Cuius preterea filios Egyaleum atque Nyobem fuisse dicit Eusebius. Asserit insuper Lactantius hunc primo Junoni sacrificasse.

CAP. XXIV

De Egyaleo Phoronei filio.

10 Egyaleus, ut testatur Eusebius, Phoronei fuit filius. Huic Apis, quem Phoronei filium quidam dicunt, quod etiam velle idem videtur Eusebius, dato dicat eum ex Nyobe filia Phoronei Jovis filium primum, ex mortali femina susceptum fore, postquam Argis regnasset, in Egyptum transiturus Achaye regnum liquit, sed cui imperaverit regioni non dicit. Eusebium
 15 autem in se discordantem de Api, quem et Jovis et Phoronei dicit filium, ut verum scripsisse videatur, est possibile duos fuisse quibus nomen idem, quorum alter Jovis, alter Phoronei fuit filius, et sic identitas nominis veritatem hystorie intricavit. Quod autem duo fuerint per Eusebium apparet, quorum
 20 unus, ut ipse ait, Sycioniorum rex fuit, circa annos mundi $\overline{\text{III}}$ cc xxviii. Alter vero apud Egyptios deificatus est anno mundi $\overline{\text{III}}$ ccc lxvii, et hunc idem dicit Eusebius regem Argivorum fuisse anno mundi $\overline{\text{III}}$ cccc lvii, et cum Egyaleum fratrem suum regem fecisset Achaye, ad Egyptum navigasse. Preterea, idem Eusebius scribit, anno mundi $\overline{\text{III}}$ cccc xiii Jovem
 25 Nyobi filie Phoronei immixtum, et ex eo concubitu natum Apim, quem postea Serapim Egyptii vocavere. Deus rei huius videat veritatem, ego quidem has intricaciones non intelligo, nedum explicare queam.
 30

CAP. XXV

De Nyobe filia Phoronei que peperit Apim.

Nyobes, ut Eusebio placet, fuit filia Phoronei, esto Ger-
vasius Tileborensis in libro Ociorum imperialium asserat hanc
matrem Phoronei, non filiam, quod quidem non est impos- 5
sibile idem nomen avie et nepti fuisse. Cum hac autem dicit
Eusebius, et post eum Lactantius, immixtum Jovem, cum ante
mortalium nulli fuisset immixtus, et ex ea suscepisse Apim,
qui post Phoroneum regnavit Argivis, et ab Egyptiis post-
modum Serapis dictus est. | 10

80 c

CAP. XXVI

De Phegeo Ynaci fluminis filio.

Phegeus, si Augustino credimus, Ynaci fuit filius. Qui
cum adhuc iuvenulus moreretur, ad eius tumulum templum
constructum est, et sacra ordinata, ut tanquam deus etiam 15
coleretur. Primus quidam sacella diis instituerat, et honores
divinos impenderat, docueratque regni sui rudes homines
tempora per menses et annos distinguere. Quibus meritis a
suis deus habitus est.

CAP. XXVII

De Peneo flumine XIII Oceani filio, qui genuit Cyrenem et Danem.

20

Peneus Thesalie fluvius est, eque Oceani sicuti et reliqui
filius, celebris quidem poetarum carminibus et hystoriographo-
rum licteris. Cui due fuere filie Cyrenes et Danes.

CAP. XXVIII

De Cyrene Penei filia, que peperit Aristeum et fratres.

Cyrenes, teste Virgilio, filia fuit Penei fluminis; dicit enim: Cyrene soror ipse tibi, tua maxima cura, Tristis Aristeus Penei genitoris ad undam etc. Hanc dicit Justinus ab Apolline raptam, et ei Aristeum et fratres peperisse. Huius autem, que secundum rei veritatem spei regis apud Peneum regnantis fuit filia, et fabula et hystoria plene habetur in precedentibus, ubi de Aristeo dictum est.

CAP. XXIX

De Dane Penei filia.

Danem Penei fluminis fuisse filiam vulgatissima fama est, et fere delire iam anicule, eam et speciosissimam virginem, et a Phebo dilectam novere, eumque dum fugeret, miseratione deorum in laurum fuisse conversam, et inde ab Apolline ad suas cytharas et pharetras ornandas assumptam. Qua fabula, ni fallor, ratio tegitur naturalis. Pro Dane quidem humiditas, que circa Penei ripam ex ipso Peneo procedit, summenda est, quam ideo Apollinem dixere diligere, eo quod illam fervore radiorum suorum in sublime trahat, eamque non nunquam resolvit in aerem, et ob id humiditas, ut natura fit, quia una queque res fugit et renuit id, per quod de esse ad non esse trahatur, sese ad intrinseca terre trahit; ibi autem cum eam in altum trahere nequeat Apollo, agit in eam, et cum habundet regio illa semine laurorum, et licit lauros, et sic Danes, id est humiditas, Penei filia in laurum versa videtur. Sed ratio videnda est, cur huius frondes suis citharis et pharetris dicarit Apollo, que potest esse talis. Mos Grecorum vetustissimus fuit, secundum qualitates agorum, quos varios in suis solemnitatibus peragebant, inter alia munera sertis frondium honorare | victores, et cum inter ceteros tanquam dignior Phitius

celebraretur agon, qui in memoria superati Phitonis ab Apolline, cura solertioris fieret, victori eiusdem laureum decernebatur sertum. Equo modo et poetis, his potissime, qui heroyco carmine gesta maiorum perpetue commendabant memorie; videbantur enim hos non posse absque Apollinis facundia tam sublimes versus componere, et sicuti per pharetram Apollinis pugiles et athletas designare volebant, sic per cytharam demonstrari poetas, et hinc tractum Apollinis cytharas et pharetras ornari lauro. Qui mos postmodum cum universali rerum gloria ad Romanos delatus est, tanteque apud eos fuit existimationis, ut nisi quibus decerneretur triumphus, decerneretur et laurea, poetis exceptis, qui, superato laudabili labore, meriti viderentur. Quod vir inclitus Franciscus Petrarca, cui iam quidem fuit honor iste delatus, in Epistulis testatur dicens: Florea virginibus sunt laurea sarta poetis Cesaribusque simul, parque est ea gloria utrisque. Nec erat decernere cuiquam lauream vulgate autoritatis. Solius senatus fuit ista potestas, quam sibi postea ut reliqua surripuere principes. Que autem ratio tam exquisiti moris inventores moverit, non latet. Dicunt enim Ysidorus et Rabanus, quod laurus a verbo laudis dicta sit, cum prisco tempore laudus vocaretur, et inde quia victores, per quos et servabatur et augebatur respublica, et poete per quos hominum merita miris extollebantur laudibus, frondium laudem significantium ornabantur. Viret preterea arbor hec perpetuo, ut ostendatur per eius viriditatem bene meritorum perpetuo virere famam, et quoniam sola non fulminetur, sic talium glorie viriditatem ab invidie fulmine ledi non posse. Sacra insuper hec arbor Apollini ideo est, eo quod occultam quandam divinationis videatur habere virtutem. Nam aiunt, si quis huius frondes capiti dormientis supponat, eum vera visurum somnia, et ideo Apollini divinationis deo dicata est.

CAP. XXX

De Nylo flumine XIII^o Oceani filio, qui genuit Minervam, Herculem,
Dyonisium, Mercurium et Vulcanum.

Nylus fluvius est meridionalis, Egyptum ab Ethyopia se-
parans, Oceani et Terre filius. Huic secundum quosdam
latine nomen est Melo, eumque nostri theologi in sacris libris
appellari Geon dicunt. De hoc multa et mirabilia referuntur.
Composuit enim ex eo libellum Aristotiles, et Seneca phylo-
sophus ubi De questionibus naturalibus | multa dixit, et post
eum Lucanus, sic et ego ubi De montibus et fluminibus; de
quo quoniam hic preter simplex nomen ponitur, si quis
amplius videre desiderat prealligata volumina querat. Nos
autem de filiis eidem attributis prosequamur.

CAP. XXXI

De Minerva Nyli filia.

Minerva alia a superioribus, ut dicit Tullius De naturis
deorum, filia fuit Nyli, eamque, ut ipse idem testatur, Egyptii
Salete colunt. Credo ego hanc prudentia et artificio insignem
fuisse mulierem, ideo Nyli filiam dictam, quia penes eum
forte gessit imperium.

CAP. XXXII

De Hercule Nyli filio.

Hercules a superioribus alius, ut placet Tullio, Nyli
fuit filius. Hunc aiunt licteras Frigiis conscripsisse. Eumque
dicit Theodontius, qui cum Antheo luctam egit. Quem arbi-
tror illustrem aliquem fuisse virum, Nyli accolam, et inde
ille in filium attributum.

CAP. XXXIII

De Dyonisio Nyli filio.

Dyonisius, ut dicit Cicero, Nyli filius fuit, non tamen idem cum reliquis, cum dicat eum Nysam interemisse; que autem hec fuerit Nysa, ego non repperi. Sunt tamen qui velint hunc eum esse Dyonisium, qui adversus Yndos habuit bellum et a Perseo superatus et occisus est. Hunc preterea non nulli putant eum esse, qui cum Antheo pugnavit, et ob victoriam habitam Herculis meruisse cognomen.

CAP. XXXIV

De Mercurio IIII^o Nyli filio, qui genuit Mercurium quintum et Daphnim.

Mercurius a superioribus quartus Nyli fuit filius, ut legitur apud Tullium De naturis deorum. Hunc dicit Theodotius Hermetem Trimegistum fuisse, pium quidem hominem, et plurimis imbutum doctrinis, et, tanquam gentilis homo, de vero Deo mirabiliter bene sentit eo in libro, quem De ydolo ad Asclepium scripsit. Hic apud Egyptios in maxima veneratione fuit, adeo ut apud eos nephas fuerit ipsum proprio nomine nuncupare. Credo ob reverentiam numinis, ne forte internominando de eius humanitate et mortalitate sermo contingeret, et sic videretur deitati eiusdem in aliquo derogari. Nyli autem filius dictus est ad extollendam fluminis et eius gloriam. Volentes eum insuper quosdam seu genitos, seu attributos habuisse filios.

CAP. XXXV

De Daphni Mercurii IIIIⁱ filio.

Daphnis, ut Servius asserit, filius fuit Mercurii, utrum huius an potius alterius ignoro; ego autem quoniam sub hoc appositum comperi, sic apposui. Fuit quidem iuvenis forma speciosissimus et, ut aiunt, primus in silvis pastor.

CAP. XXXVI

De Mercurio V^o, filio Mercurii IIIIⁱ, qui genuit Noracem.

| Mercurius qui a primo quintus est, ut dicit Theodontius, Mercurii filii Nyli fuit filius, et cum a patre Cath fuerit nominatus, ob insignem eius et artificiosam scientiam meruit cognominari Mercurius atque coli. Huic enim ceterorum Mercuriorum ascribuntur insignia, ac insuper a Theodontio gallus illius apponitur cingulo. Qui dicit eum, cum illi videretur a fama proavi atque patris locum preripi, in extremum occiduum abiisse, et ibi in maxima occidentalium extimatione fuisse; et cum illos multa docuisset ad mercimonia spectantia, et mensuras, et pondera mercatorum, deum ab eis nuncupatum fuisse. Cuius nominis interpretatio a preclaro viro Francisco Petrarca facta optime convenit cum titulo deitatis; dicit enim in libro *Invectivarum* in medicum sic: Unde et Mercurium, quem sermonis deum vocant, inde dictum volunt, quod mercatorum Kyrius hoc est, dominus esse videatur. Hec ille. Gallum autem illi addidisse, ut omittamus reliqua, ut nocturnam mercatorum solertiam designaret, qua eo tempore potissime utuntur in componendis mercimoniis, in revidendis rationibus, in itineribus peragendis, et huiusmodi. Hunc eundem Trophonum, id est conversibilem, appellant, quod aptissime mercatorum est, se scilicet ad mores quarumcunque nationum, ad quas vadunt vertere, et negocia sua omnia quadam astuta sermonis circumvolutione peragere, et ingenio et sagacitate tractare. Et quoniam ad occiduos abierit, ab Egyptiis et Grecis eum abiisse sub terras fictum est. De hoc Julius Celsus in libro *Belli gallici* a Cesare confecti, dicit sic: Hunc Galli maxime colunt, et multarum inventorem artium volunt, et viarum atque itinerum ducem dicunt, et ad questum pecunie et mercaturas habere vim maximam arbitrantur. Cicero autem ubi *De naturis deorum*, hunc Mercurium, qui Trophon appellatus est, filium dicit fuisse Valentis et Coronidis. Leontius autem addit, dicens eum uterinum fratrem fuisse Esculapii

medici fulminati, et ob dolorem fraterne mortis ad occiduos secessisse. Eusebius vero in libro Temporum cum Theodontio concordat, dicens eum fuisse filium Trimegesti, et, regnante Argis Steleno, floruisse.

CAP. XXXVII

5

De Norace Mercurii quinti filio.

81c

Norax, ut dicit Theodontius, filius fuit Mercurii quinti ex Oschyra nynpha Pyrenei filia. Quod etiam testari videtur Solinus ubi De mirabilibus mundi, qui, eque cum Theodontio, dicit hunc Noracem a Tharsaso Hyspanie oppido venisse Sardiniam, ubi cum Sardus | Herculis filius universam insulam ex suo nomine dixisset Sardiniam, ipse oppido constructo Nore de suo nomine nuncupavit.

10

CAP. XXXVIII

De Vulcano Nyli filio, qui genuit Ethyopem et Solem.

15

Vulcanus, non is qui prefuit Lemno, sed alter, ut Cicero De naturis deorum scribit, filius fuit Nyli. Hunc Opim Egyptii appellant, eumque esse custodem Egypti volunt. Et cum nil aliud de eo legerim, credo eum aliquem insignem fuisse virum circa fabrefactiones et architectonicam, et secus Nylum imperium habuisse, et ob id Nylo in filium attributum.

20

CAP. XXXIX

De Ethyope Vulcani filio.

Ethyops, ut Plinio placet in libro De hystoria naturali, filius fuit Vulcani, et ut ipse idem ait, cum omnis gens eius regionis, que postea Ethiopia dicta est, appellaretur Etheria, et deinde Athlantia, postremo, ab isto Ethyope, Ethiopia

25

nuncupata est, non parvum equidem argumentum, eum potentissimum fuisse hominem.

CAP. XL

De Sole Vulcani filio, qui genuit Phetontem, Phethusam,
5 Lampethusam et Iapetiam.

Sol, ut scribit Tullius, Vulcani Egyptii fuit filius, et ut idem dicit Cicero, Egyptii volunt eius urbem fuisse Elyopolim, nam grece elyos, sol dicitur. Theodontius autem dicit eum in ea civitate regnasse, et splendidissimum fuisse regem, et
10 Meropem vero nomine nuncupatum et in coniugem Clymenem habuisse, et ex ea Eridanum, quem Phetontem vocavere, et alios filios suscepisse. Leontius vero putabat eum idem cum Ethyope fuisse, et, ob splendorem occupate Ethyopie, Solem ab amicis et subditis nuncupatum.

CAP. XLI

De Phetonte solis filio, qui genuit Lygum.

Pheton filius fuit Solis Egyptii et Clymenis, ut carmine patet Ovidii in persona Clymenis dicentis: Per iubar hoc, inquit, radiis insigne coruscis, Nate, tibi iuro, quod nos auditque videtque, Hoc te, quem spectas, hoc te, qui temperat orbem, Sole satum etc. De hoc talem recitat Ovidius fabulam. Contigisse scilicet, quod non cedente Phetonte Epapho Jovis et Ysidis filio, ab illo illi dictum sit, eum Solis non esse filium, quam ob causam Pheton matri conquestus, ab ea in regiam usque Solis deductus est, ubi a patre benigne susceptus, petiit quod iam se daturum iuraverat donum, scilicet ut lucis currum illi ducere permetteret; quod cum illi Sol diu frustra
20 dissuasisset, instanti concessit; ipse vero, non sufficientibus viribus ad regendum equos, territus visione Scorpionis dimisit
25

81 d

habenas, quam ob causam equi, omisso consueto itinere, nunc
 in celum ascendentes, nunc versus terram etiam declinantes,
 omnem illam celi regionem exuxerunt et fere terram omnem
 multis desiccatis fontibus et fluminibus incenderunt, quo in-
 cendio Terra commota oravit Jovem ut auxiliaretur ei, quibus 5
 precibus motus Juppiter fulminavit Phetontem, qui in Padum
 cecidit, ibique a sororibus defletus atque sepultus est, et se-
 pulcro appositum epythaphium tale: Hic situs est Pheton
 currus auriga paterni, Quem si non tenuit, magnis tamen
 excidit ausis. Fictio hec iudicio meo subsupisso cortice hysto- 10
 riam et naturalem rationem tegit. Creditum enim ab antiquis
 est, ut in libro Temporum asserit Eusebius et post eum
 Orosius presbyter in Cronicis suis, incendium quoddam per-
 maximum in partibus Grece et orientis fuisse, regnante Cecrope
 primo Atheniensium rege, nec hoc humano opere factum, sed 15
 corporum supercelestium infusione emissum, et id omnes in-
 cendium vocavere Phetontis. Huius enim longe lateque va-
 gantis opere factum est, ut desiccarentur fontes et flumina
 multa, sata omnia redigerentur in cineres, arescerent silve,
 et arbusta quecunque, relinquerentur ab incolis urbes et a po- 20
 pulis regiones, et mare fere fervere videretur omne; et cum
 mensibus perseverasset pluribus, contigit ut circa medium
 autumnus, cadentibus immensis imbribus, extingueretur. Que
 sub figmento tali ratione ponuntur. Pheton ante alia, ut ait
 Leontius Thessalus, latine sonat incendium; hic ideo Solis 25
 dicitur filius, quia sol caloris fons et origo sit, et sic cum a
 Sole causare videatur calor omnis, non incongrue incendii
 pater fictus est. Climenes autem grece, latine sonat humiditas,
 que ideo Phetontis mater dicta est, quia non possit perse- 30
 verare calor, nisi congrua subsistat humiditas, et sic ab hu-
 miditate tanquam a matre filius alii videtur, et in esse perse-
 verare. Quod autem Pheton petat a patre, ut lucis currum
 ducat, nil aliud sentire debemus quam innatum quoddam
 etiam insensibilibus creaturis permanendi et augendi deside-
 rium, ut de insensibilibus tanquam de rationalibus loquar; 35
 quod etiam de Terra orante dicere possumus. Quod autem

inserirur, eum viso Scorpione timuisse atque habenas equorum liquisse, et in eos ultra solitum ascendisse, et celi partem, illam exussisse, et terram equo modo descendentes incendisse, ad ordine nature continuo suntum est. Est in Zodiaco spatium XX graduum, a XX^o scilicet gradu libre usque ad X scorpionis, quod phylosophi viam vocavere combustam, eo quod singulis annis, gradiente sole per spatium illud, omnia in terris videantur exuri; nam arescunt herbe, frondes albescunt et decidunt, aque ad interiora terre retrahuntur, nec aliquid penitus ea tempestate gignitur, et sic ab effectu celi pars illa denominatur. Preterea Phetontem circa medium autumnii fulminatum fingunt, quia eo tempore ex opposito Scorpioni occidente sole surgunt in oriente cum signo Tauri Pliades, Orion et Eridanus astra, habentia provocare pluvias et exundationes aquarum, a quibus extinguuntur incendia; quas pluvias videmus ut plurimum cadentes circa medium autumnii, vel ante, et diu perseverare, et sic eorum opere omnis terre superficialis calor extinguitur. Eum autem in Eridanum cecidisse sic sentiendum puto. Dicit enim Iginus in libro De astrologia poetarum, Eridanum a non nullis nuncupari Nilum, et ab aliis Oceanum, pro quibus ingentem aquarum copiam debemus accipere, et sic intelligere incendia in ingenti aquarum copia cadere, id est estingui, et sic non in Padum simpliciter, ut non nulli minus advertenter arbitrantur. Quod autem a Jove fulminatus sit, sic intelligendum reor. Intelligunt enim poete non nunquam pro Jove ignem et aliquando aerem, qui hic pro aere accipiendus est, in quo ascendentes vapores humidi conglomerantur in nubes; que, si impulsu alicuius venti extollantur usque ad frigidam aeris regionem, confestim vertuntur in aquas, quas cadentes pluvias dicimus; et sic fulminatus est, id est extinctus a Jove, id est ab aere causante pluvias. Possemus insuper dicere, ommissa historia veteri, estivum calorem a temperie supervenientis autumnii extingui, et in imbres deici. Asserit tamen Paulus Perusinus secundum nescio quem Eustachium, quod, regnante Spareto apud Assirios, Eridanus qui et Pheton Solis Egyptii

filius, cum copia suorum, duce Nylo navigiis devenit in mare,
 et ventis adiutus in sinum, quem Lygustinum dicimus, venit;
 ibi, cum suis longa fatigatus navigatione, descendit in litus,
 et cum suasionibus suorum in Mediterranea pergeret, Genui- 5
 num ex sociis suis unum, nausea maris debilitatum, cum
 parte suorum navium custodem liquit in litore; qui iunctus
 accolis loci, silvestribus hominibus oppidum condit, et Genuam
 de suo nomine nuncupavit; Eridanus autem, superatis monti-
 bus, | cum in amplissimam atque fertilem devenisset planiciem, 10
 hominesque rudes et agrestes feroces tamen comperisset, ratus
 se ingenio superaturum ferociam, secus Padum consedit, et,
 ut idem refert Paulus, videtur Eustachium velle Taurinum
 oppidum suum fuisse opus, sed Eridanum nuncupatum. Ibidem
 autem cum aliquandiu regnasset, relicto Lygure filio, in Pado 15
 periit, a quo Padus Eridanus appellatus est. Quem veteres
 Egyptii in memoriam compatriote sui inter celi ymagines
 locavere. Et sic aliquid videntur arbitrari hoc fabule dedisse
 causam, et potissime, quod fulminatus sit Pheton et in Padum
 deiectus. Addebat huic Leontius fratres duos, Yphyclum scilicet 20
 et Phylacem, eosque natu maiores Phetonte, de quibus quo-
 niam nil aliud, illos apponere non curavi.

CAP. XLII

De Lygo seu Lygure filio Phetontis.

Lygus, ut ex dictis patet, filius fuit Phetontis, eique 25
 mortuo successit; qui, quos habuit in ditione populos, Ligures
 de suo nomine nuncupavit.

CAP. XLIII

De Phetusa, Lampethusa et Iapetia filiabus Solis.

Phetusa, Lampethusa et Iapetia, ut ait Ovidius, filie fuere 30
 Solis, et secus Padum mortem Phetontis flentes, in arbores

verse electrum lacrimantes sunt. Cuius figmenti si causam exquiramus, non arbitror has fuisse feminas, quin imo diversas arborum species circa Padi palustria agente sole sua sponte nascentium, et circa estatis extremum, dum incipit solis fervor, decrescere, sudantium humorem croceum in modum lacrimarum, qui si colligantur, arte solidatur in electrum, et quia, ut dictum est, agente sole nascuntur in locis humidis, Solis et Climenes, id est humiditatis, filie dicte sunt, et a Sole Elyades nuncupate.

CAP. XLIV

De Alpheo fluvio Oceani filio XV°, qui genuit Orsilocum.

Alpheus Oceani et Terre fuit filius, quem Servius fluvium Elydis esse dicit, eo quod apud Pisam Elydis civitatem effluat. Hunc autem amasse Arethusam nynpham, que in fontem versa est, eamque in Sicyliam usque secutum dicit Virgilius: Sicanio pretenta sinu iacet insula contra Plenurium undosum, nomen dixere priores Ortigiam. Alpheum fama est huc Elydis amnem Occultas egisse vias subter mare, qui nunc Ore, Arethusa, tuo Syculis confundit undis etc. De hoc supra ubi de Arethusa satis dictum est; verum Servius amoris huius flammam, his aperit verbis: Elis et Pisa civitates sunt Archadie, in qua est fons ingens, qui ex se duos alveos creat, Alpheum et Arethusam, unde fit ut fingatur coniungi in exitu quos origo non iunxit. Huius | autem filium dicunt fuisse Orsilocum.

82 b

CAP. XLV

De Orsiloco filio Alpei fluvi, qui genuit Dyocleum.

Orsiloco filius fuit Alpei fluminis, ut liquido testatur Omerus in Yliade, dicens: γένος δ ἦν ἐκ ποταμοῖο Ἄλφειοῦ, ὃς τ' εὐρρὸν ῥέει Πυλίων διὰ γαίης, Ὅς τεκετ' Ὀρσίλοχον πολέσσ' ἄνδρεσσιν ἄνακτα· Ὀρσίλοχος δ' ἄρ' ἔτικτε Διοκλῆα μεγᾶθυμον, Ἐκ δὲ Διοκλῆος δουδumāονε παῖδε γηγήθην, Κρήθῶν Ὀρσιλοχος τε, μάχης ἔι εἰδότε

πάσης etc. [Que latine sonant]: Generatio autem erat a fluvio Alpheo, qui ample fluit per terram Pylon. Qui genuit Orsilocum multorum virorum regem. Orsilocus autem genuit Dyoclea magnanimum. A Dyocleo gemelli filii nati sunt Crito Orsilocusque, omnis pugne bene scientes. Hunc Orsilocum dicit Omerus in Phiri civitate, que secus Alpheum est, habitasse, ex quo satis patet que sit huius filiationis causa. 5

CAP. XLVI

De Dyocleo filio Orsiloci, qui genuit Crithonem et Orsilocum.

Dyocleus, ut satis per Omerum ostensum est, filius fuit Orsiloci, ex quo preter nomen et genus, et quod Crithonem et Orsilocum filios genuerit, nil habeo. 10

CAP. XLVII

De Crithone et Orsiloco filiis Dyoclei.

Critho et Orsilocus, ut ostensum est, fuerunt filii Dyoclei. Hii quidem insurgentibus Grecis adversus Troianos, una cum reliquis Grecorum principibus coniurantes, venere ex Phiri civitate ad exterminium Ylionis. Ibi autem cum ingentis essent animi, et plurimum in corporeis viribus confiderent, die quadam, inito certamine, ausi sunt adversus Eneam armis insurgere, aquo ambo occisi sunt, et maximo Menelai et Anthiloci Nestoris filii labore, e manibus hostium eorum cadavera subtracta sunt, et concessa sepulcro. 15 20

CAP. XLVIII

De Criniso fluvio XVI° Oceani filio, qui genuit Acestem. 25

Crinismus fluvius Oceani et Terre fuit filius. Is quidem per Syciliam fluit, et ex eo talem refert Servius fabulam. Nam

cum Laumedon promissam Neptuno et Apollini mercedem pro edificatione murorum Ylionis non persolveret, et Neptunus iratus Troie cetos immisisset, ut eam vastarent, consultus Apollo etiam, indignatus, dicunt contraria respondisse, scilicet obiciendas esse puellas nobiles belue; quod cum fieret, Yppotes Troianus quidam nobilis, cum cerneret Hesyonom, Laumedontis filiam, non absque seditione religatam, timens ne sic Egeste filie sue contingeret, clam illam navi imposuit, fortuneque commisit, volens potius ut, se non vidente, a fluctibus sorberetur, quam se coram devoraretur a belua. Hec | autem ventorum vi in Syciliam delata est, ubi Crinismus fluvius, eius forte formositate captus, in canem seu in ursum versus eam cepit atque oppressit, et ex ea Acestem filium suscepit. Huius fabule medium hystoria est. Quod autem circa principium fictum legitur, ubi de Laumedonte exponitur. Quod autem in fine est, dicit Theodontius per coniecturas oportere summi, cum nil traditum inveniat ab antiquis. Et idcirco dicit possibile fuisse hanc virginem minis alicuius potentis circa Crinimum, ubi devenerat, pavefactam eius in amplexus venisse; nam minantium boatus latratibus canum simillimi sunt, seu audaci alicuius complexu, quod ad ursum spectare videtur, virginem captam atque oppressam fuisse.

82 c

CAP. XLIX

De Aceste filio Crinisi fluminis.

Acestes filius fuit Crinisi fluminis ex Egesta Troiana, ut in Eneida testatur Virgilius dicens: occurrit Acestes, Horridus in iaculis et pelle Libistridis urse, Troia Criniso conceptum flumine mater Quem genuit [Veterum] non immemor ille parentum etc. Hic iam senex primo Anchisem et Eneam Ytaliam petentes suscepit hospitio, et mortuum Anchisem una cum Enea in Erice monte Sycilie sepelivit. Demum iterum a Carthagine discedentem Eneam, quo illum venti impulerant suscepit. Ubi Eneas condita invalidis sociis civitate, eam a

matre Acestis vocavit Egestam, que postea Segesta vocata est, et sub dominio reliquit Acestis; quem tam ab Enea relictum, quam indigene regem suum vocavere.

CAP. L

De Tyberi fluvio Oceani XVII^o filio, qui genuit Citheonum.

5

Tyberis seu Tybris Oceani et Terre filius. Hic ex Appennini latere dextero effluens, Tuscos ab Umbris atque Campanis, urbem etiam Romam dividens, separat. Cui eo quod contigerit rerum dominium intueri erga se, tanto orbi et carminibus poetarum celeberrimus factus est, adeo ut Xantum atque Symoim, Grecorum memoria illustres, superaverit. Cui multa fuere nomina que, si quis appetit, videat ubi De montibus et fluminibus scripsi. Placuit preterea priscis hunc Citheonum filium genuisse.

10

CAP. LI

15

De Citheono Tyberis filio.

Citheonus filius fuit Tyberis fluvii et Mantonis, filie olim Tyresie Thebani vatis, ut in Eneida testatur Virgilius, dicens: Ille etiam patriis agmen Citheonus ab oris, Fatidice Mantos et Tusci filius amnis, Qui | muros matrisque dedit tibi, Mantua, nomen etc. Hunc Servius dicit in Buccolicis Bianorem vocari a Virgilio. Sane Pomponius in Cosmographia de hac Mantho seu Manthone aliter sentire videtur, sic dicens, Asyaticum litus describens: Ibi Lybedos, Clarii que Apollinis fanum, quod Mantho Thyresie filia, fugiens victores Thebanorum Ephygenos, et Colophon, quam Mopsus eiusdem Mantos filius fuit etc. Ex quibus patet non in occiduum, sed in orientem solem hanc fugientem sumpsisse iter. Est tamen possibile eam tractu temporis in Ytaliam venisse, quod et si minime probetur, quis tam claro vati fidem deneget circa sue civitatis originem?

82 d

20

25

30

CAP. LII

De Axio fluvio, XVIII^o Oceani filio, qui genuit Pelagonium.

Axius fluvius Oceani et Terre fuit filius, de quo Omerus in Yliade: Τηλόθεν ἐξ Ἀμύδωνος, ἀπ' Ἀξίου εὐρυ ρέοντος,
 5 Ἀξιόυ, οὗ κάλλιστον ὕδωρ ἐπίκιδναται αἶαν. Παφλαγονῶν etc. [Que
 latine sonant]: Procul ab Amidona, ab Axio amplifluctus, Axio,
 cuius pulcherrima aqua spargitur per terram Paphlagonum.
 Hunc dicit Omerus amasse Perhibiam antiquiorem ex filiabus
 Achessomenii, et eam oppressisse, et ex ea Pelagonium susce-
 10 pisse.

CAP. LIII

De Pelagonio Axii filio qui genuit Asteropium.

Pelagonius filius fuit Axii fluminis et Perhibie, ut Omerus
 in Yliade testatur, ex quo nil aliad legisse memini, nisi quod
 15 Asteropium filium genuit.

CAP. LIV

De Asteropio Pelagonii filio.

Asteropius, ut testatur Omerus, filius fuit Pelagonii. Qui
 audax iuvenis atque robustus cum Peonibus auxilio venit
 20 (Troianis), et dum nimis ex viribus suis confideret in XI^a die
 postquam ad Troiam venerat, Achilli irato ob occisum Pa-
 troclum occurrere ausus est, et primo verbis eum lacessere,
 et inde armis contendere, a quo misere cesus interiit.

CAP. LV

25 De Asopo fluvio Oceani XVIII^o filio, qui genuit Hypseum et Eginam.

Asopus fluvius, ut aiunt, Oceani et Terre fuit filius.
 Hic per Boetiam fluit, ut ait Lactantius, et in Epydagmon

effluit, ut ubi de fluminibus asserit Vibius. Hunc preterea
 patrem asserunt fuisse Ypsei et Egyne, et cum rescisset
 Egynam a Jove viciatam, adeo egre tulisse, ut furore com-
 motus undis in astra bellum moveret, ut ait Statius: Namque
 ferunt raptam patriis Egynam ab undis Amplexu latuisse Jovis, 5
 furit amnis, et astris Infensus bellare parat, nondum ista lice-
 bant Nec superis, stetit audaces effusus in iras, Conseruitque
 83 a manum, | nec quem imploraret habebat etc. Jovem autem
 commotum eum fulminasse aiunt. Quod idem testatur Statius
 dum dicit: Donec vi tonitru summotus et igne trisulco Cessit, 10
 adhuc ripis animosus gurges hanelis Fulmineum cinerem,
 magneque insignia pene Gaudet, et Ethneos in celum efflare
 vapores etc. Fictio fabule huius talem contegit veritatem.
 Dicit Leontius Asopum regem fuisse Boetie, et ab eo flumen
 denominatum, cui cum Juppiter Archas Egynam surripuisset 15
 filiam, convocatis viribus, bellum adversus eum movit, et ab
 eo victus atque fugatus est. Quod autem fulminatus fuerit
 non pertinet ad regem, sed ad flumen; quod cum per sul-
 phureos campos transitum faciat, et undis suis ex illis fumum
 suscitatur, apud veteres iram fulminis causavit. 20

CAP. LVI

De Ypseo Asopi fluminis filio.

Ypseus filius fuit Asopi fluminis, ut carmine probatur Statii,
 dum dicit: Sed potius celsos vibrantem hunc aspice late Ypsea
 quadriugos, clipei septemplice tauro Leva, ter insuto servant 25
 ingentia ferro Pectora; nam tergo nunquam metus, hasta ve-
 tustum Silvarum decus, emisse cui pervia semper Armaque
 pectoraque et nunquam manus irrita voti. Asopos genuisse
 datur dignusque videtur Tunc pater, arreptis cum torrentissimus
 exit Pontibus, aut nate tumidus cum virginis ultor Flumina 30
 concussit, generum indignata tonantem etc. Hic autem, ut idem
 ostendit Statius, auxilium tulit Ethiocli adversus Polinicum.

CAP. LVII

De Eglyna filia Asopi, que peperit Eacum.

Eglyna filia fuit Asopi fluminis, ut supra dictum est. Quam
 Juppiter amavit, ut dicit Ovidius: Aureus ut Danen Asopida
 5 luserit ignis etc. Nam in ignem versus eam decepit et oppressit,
 et ex ea suscepisse Eacum volunt, qui postea, ut idem ait
 Ovidius, insulam Enopiam, in qua regnavit, de nomine matris
 vocavit Eglynam, que in hodiernum usque nomen servat. Quod
 in ignem versus sit Juppiter, dum cum Eglyna concubuit, ar-
 10 bitror potius a virtute subsecute posteritatis, quam aliunde
 sumptum; enim ignei vigoris homines fuerunt Eacides, ut in
 Achille, Pyrrho et aliis descendentibus satis videre possumus.

CAP. LVIII

De Cephysio flumine Oceani XX^o filio, qui genuit Narcissum.

15 Cephysus filius Oceani fuit et Terre, et per Boetiam
 labitur, ut ostendit Lucanus: Boetii coiere duces, quos impiger
 ambit Fatidica Cephysos aqua, Cadmeiaque Dyrce etc. Huius
 dicunt filium fuisse Nar|cissum, et quod cum cede Zephyri
 prostratus esset, Apollinis miseratione sanatus sit, ut dicit Lac-
 20 tantius. Circa que primo aquas Cephysi ideo vocari fatidicas
 credo, quia penes eum fuerit olim templum Themis, ad quod,
 cum nondum essent oracula Phebi, Deucalion et Pyrra con-
 sulturi deam iverunt, et quia ibi darentur responsa, et quid
 25 fato futurum esset demonstraretur, sumpsit aqua cognomen,
 et quod dee templi erat, aque etiam appropriatum est. Et
 forsitan precedentia sacra responsa instituto veteri absque aqua
 fluminis fieri non poterant; et sic aliquid videbatur aqua
 illius false divinitatis habere. Quod nece Zephyri prostratus
 sit, posset esse intentio hec. Dicit Augustinus in libro De
 30 civitate dei, Mesappum regem Sycioniorum nonum fuisse, qui
 et Cephysus appellatus est. Cuius forte regia in parte erat,

in qua estivo tempore, flante Zephyro, sanitas erat incolis, eo vero cessante, ut sit, et aliis supervenientibus ventis corrumpebatur aer, et sic factum est, ut nece Zephyri Cephysus infirmitatem inciderit, a qua beneficio Apollinis, id est medicine, quia medicine deus appellatus est Apollo, relevatus sit Cephysus, et sanitati restitutus. Et si hec regi attribuere volumus, attribuere possimus regioni, per quam labitur Cephysus. 5

CAP. LIX

De Narcisso filio Cephysi.

Narcissus filius fuit Cephysi et Lyriopis nynphe, ut satis ostendit Ovidius, dum dicit: Prima fidem votisque dare tentamina sumpsit Cerula Lyriope, quam quondam flumine curvo Implevit clauseque suis Cephysus in undis Vim tulit. Enixa est utero pulcherrima pleno Infántem nynphe qui tunc quoque posset amari, Narcissumque vocat etc. Ex hoc eodem Narcisso satis notam fabulam Ovidius ipse refert. Dicit enim quod, nato Narcisso, ad Tyresiam vatem delatus est, ut de successu vite ipsius haberet responsum. Qui respondit percontantibus puerum victurum quam diu se videre differret. Quod quidem vaticinium primum ab audientibus risum est, sed tandem effectum non caruit. Nam cum in formosissimam adolescentiam excrevisset, venator factus a Nynphis pluribus amatus est. Sed ab Echo Parnasi nynpha potissime. Sed cum esset inexorabilis, et flocci faceret omnes diligentes se, orationibus nynpharum impetratum est, quod infra modicum temporis contigit. | Nam die quadam, cum tam labore venationis quam estu temporis fessus in recentem vallem secessisset, sitiens se in limpidum reclinavit fontem, et viso ydolo suo, quod ante non viderat, existimans fontis nynpham, repente pulchritudinem probavit et captus est, et cum non posset quod arbitrabatur posse contingere, cum se ipsum stulta concupiscentia ligasset, post longam querelam sui oblitus ibidem inedia periit, et in florem sui nominis miseratione Nynpharum 10
15
20
25
30

versus est. Hac ex fictione moralis excerpitur sensus. Nam per Echo, que nil dicit nisi post dictum, famam ego intelligo, que unumquenque mortalium diligit, tanquam rem, per quam consistit. Hanc multi fugiunt et parvi pendunt, et in aquis, id est in mundanis deliciis, non aliter quam aqua labilibus se ipsos, id est suam gloriam, intuentur et adeo a suis voluptatibus capiuntur, ut spreta fama post paululum tamquam non fuissent, moriuntur; et si forsitan aliquid nominis superest, in florem vertitur, qui mane purpureus et splendens est, sero autem languidus factus marcescit, et in nichilum solvitur. Sic et huius modi ad sepulcrum usque aliquid videntur habere fulgoris, sepulcro autem clauso evanescit, et in oblivionem perditur una cum nomine.

CAP. LX

De Meandro flumine Oceani XXI° filio, qui genuit Cyanem.

Meander fluvius Oceani et Terre fuit filius et genuit Cyanem nynpham. Hunc dicit Titus Livius in summa Cylenarum arce nasci, et mediam per urbem | effluere, inde per Carias et Yonas in sinum maris deferri, qui inter Priennem et Miletum est, de quo sic Ovidius: Non secus ac liquidis Frigiis Menandrus in undis Ludit, et ambiguo lapsu refluitque fluitque, Occurrensque sibi venturas aspicit undas, Et nunc ad fontes, nunc ad mare versus apertum Incertas exercet aquas etc.

83 d

CAP. LXI

De Cyane filia < Meandri >.

Cyane Meandri filia, a Mileto Solis filio et dilecta et oppressa, ei peperit Caunum et Bibliidem, ut Ovidius ait: Bibliida cum Cauno prolem est enixa gemellam etc.

CAP. LXII

De Phyllira XXII^o filia Oceani.

Phylliram Oceani fuisse filiam dicit Paulus, et a Saturno dilectam, ei Chyronem centaurum peperisse.

CAP. LXIII

De Sperchio XXIII^o Oceani filio, qui genuit Mnesteum.

Sperchius fluvius Oceani et Terre fuit filius. Hic, ut ait Omerus, ex Polidori filia Pellei et Borionis coniuge genuit Mnesteum. Et, ut ait Pomponius, in sinu Pegaso effluit, eique devoverat Achilles comas, ut ait Lactantius, si sospes ab expeditione Troiana remeasset in patriam.

CAP. LXIV

De Mnesteo filio Sperchi.

Mnesteus, ut ait in Yliade Omerus, filius fuit Sperchii fluminis et Polidoris filie Pellei. Qui, cum egregius esset iuvenis, Achillem ad obsidionem Troianam comitatus est.

CAP. LXV

De Sole XXIII^o Oceani filio.

Solem alium a superis in libro Naturalis hystorie dicit Plinius, autoritate Gellii, Oceani fuisse filium, matre non expressa. Et hunc dicit medicine et mellis fuisse inventorem; quod pluribus hactenus attributum est, nec propterea admirandum; possibile enim est talium multos variis in locis repertores fuisse, cum ubique ingenia meditationesque valeant; et sic quod apud Grecos credimus Apollinis opus aut

Aristei, non aufertur quin possibile fuerit apud Oceanios
nasci aut advenisse, qui tantundem valuerit ingenio, et eadem
experientia comperisset, quem loci incole ad extollendum
nomen eius et genus Solem vocavere, et Oceani, per quem
5 forte navigio venerat, dixere filium.

Nos autem, quoniam omnis Oceani proles explicata est,
finem faciamus volumini septimo.

Genealogie gentilium deorum liber VII^{us} explicat.

| GENEALOGIE DEORUM GENTILIIUM SECUNDUM JOHANNEM BOCCACCIUM DE CERTALDO LIBER OCTAVUS INCIPIT FELICITER.

84 a

In arbore autem precedenti, cuius in radice Saturnus Celi filius ponitur, describitur tam in ramis quam in frondibus pars posteritatis eiusdem Saturni, cum reliqua omnis in <quinque> sequentibus describitur libris, sub Iunone et Neptuno atque Iove, filiis eius.

Prohemium.

Offuscari nebulis celum, et solis preclarum deficere iubar, turbari ventis aera, crebras coruscationes aperiri, audiri sibilata, mugire solum et quodam modo in cavernis tumultuari, in summum cete maris et monstra reliqua efferri, terrisque misceri undas, querulis volucris taciturnitatem imponi, et in umbras impelli nemorum, et in latebras silvestres abire feras, ac omnia repente tristari ceptum est. Ego autem mirari primo, demum, tam grandi rerum permutatione exterritus, in mediis Sperchii faucibus Solis adhuc inventa prospiciens, quod in Oceano minime timueram, timere cepi, ne in antiquum chaos omnia verterentur, nec, quid agerem, stabat consilium. Tandem, dum sic in pendulo essem, et ecce ex orientali Oceano quasi sese ab Inferis in altum efferens, tardum atque nubilum sydus visum est, Stygia velatum caligine. Quod dum nebulis immixtum intuerer, memor preceptorum venerabilis Andalo, odiosum atque nocuum Saturni astrum fore cognovi. Cuius dum perniciosos mores in mentem reducerem, cessit

illico repentine mutationis pavor et admiratio, et quasi eo
 apparente suarum miseriarum a nova rerum immutatione pre-
 monitus, cum ex Celi filiis secundum cepti operis ordinem
 esset extremus, ad explicandam eius splendidam prolem, non
 uno quidem volumine, pregrandis quidem est, sed sex istis
 sequentibus proximo evocatum me novi. Sane cum Laberintos
 quatuor fuisse hystorie testentur veterum, Etruscum scilicet,
 et Egyptiacum, Cretensem, atque Lemniacum, ex his qui er-
 rorum et circumvolutionum plenior fuit, non dubitem quin
 facilius intranti atque progredienti prestiterit exitum, quam
 prestature sint infelices grandevi senis, cuius sermonem in-
 traturi sumus, ambages. Nam, cum in eum fere omnis vetusti
 erroris inclinetur et gentilitatis insania, non erit leve ad exitum
 deduxisse diversitates opinantium, ac dissonantias errantium,
 et antiquorum relationes ambiguas, et in propositum pulsum,
 ac devium exulem, atque agricolam revocasse regem. Non ergo
 absque horrore quodam Oceani litora prolemque relinquo,
 inter asperos scopulos et profundos ad inferos usque hyatus
 aquarumque vertigines plurimas directurus fragilis navigii pro-
 ram, et potissime cum nondum satis, etiam si per fuscum aerem
 oculos inpingam, quorsum evasurus sim, advertere possim.
 Spero tamen is, qui luridas Ditis domos et terribiles eterna
 fuligine pervias factas victor evacuavit, in optatum exitum
 aperiet equor immensum.

84 b

5

10

15

20

CAP. I

25

De Saturno XI^o Celi filio, qui X genuit filios, scilicet primum Cronim,
 II^{am} Vestam, III^{am} Cererem, IIII^{am} Glaucam, V^{um} Plutonem,
 VI^{um} Chyronem, VII^{um} Picum, VIII^{am} Iunonem, VIII^{um} Neptu-
 num, X^{um} Iovem tertium. Sane de Iunone, Neptuno et Iove non
 in hoc libro, sed in sequentibus quinque libris scribitur.

30

Saturnus Celi et Veste fuit filius, ut in libro Divinarum
 institutionum scribit Lactantius. Cui ante alia veteres Opim
 sororem suam sacro vinxere connubio, eique ex ea susceptos

plures ascripsere filios. Quos aliqui ferunt devorasse omnes,
 et evestigio evomisse. Nonnulli servatum Iovem Opis fraude,
 et illi, loco eius, addit lapidem presentatum, quasi illum pe-
 perisset Opis. Volunt preterea illum Celo patri virilia absci-
 disse falce. Quod illi a Iove factum dicunt alii. Inde quidam
 5 eum regno pulsum scribunt a Iove. Alii vero apud Inferos
 religatum. Sunt insuper qui illum senem, mestum, sordidum,
 capite obvolutum, inertem, segnemque et armatum falce descri-
 bant. Cur Celi Terreque dictus sit filius, rationem ostendit
 10 Lactantius, ubi in libro Divinarum institutionum, in testem
 Minutium Felicem inducens, ait: Saturnum, cum fugatus esset
 a filio in Ytaliamque venisset, Celi filium dictum, quod solea-
 mus hos, quorum virtutem miremur, aut eos, qui repentine
 advenerint, de Celo cecidisse dicere; Terre autem, quod ignotis
 15 parentibus natos Terre filios nominemus. Sunt hec quidem
 similia veri, non tamen vera, quia constat etiam tum cum
 regnaret ita esse habitum. Potuit sic argumentari Saturnum,
 cum potentissimus rex esset, ad retinendam parentum suorum
 memoriam, nomina eorum celi terreque indidisse, cum hi aliis
 20 vocabulis appellentur, | qua ratione et montibus et fluminibus
 nomina scimus imposita. Hec Lactantius. Qui alibi dicit:
 Emnius quidem in Evemero non primum dicit regnasse Sa-
 turnum, sed Uranium patrem. Et alibi idem: Apparet ergo
 non ex Celo natum esse, quod fieri non potest, sed ex eo ho-
 25 mine, cui Urano nomen fuit; quod esse verum Trimegistus
 autor est, qui cum diceret admodum pauco extitisse, in quibus
 esset perfecta doctrina, in his Uranum, Saturnum, et Mercu-
 rium nominavit cognatos suos etc. Quem Uranum Celum a
 Saturno vocitatum idem testatur Lactantius dicens: legi in
 30 sacra hystoria Uranum potentem virum Vestam habuisse co-
 niugem, et ex ea Saturnum atque Opem et alios suscepisse.
 Qui Saturnus cum regno potens efficeretur, patrem Uranum
 Celum appellavit et matrem Terram, ut hac mutatione nominum
 fulgorem sue originis ampliaret etc. De Opi autem coniuge
 35 multa supra dicta sunt. Eum devorasse filios et evomisse de-
 mum, duplicem tegit sensum, hystorialem scilicet, et naturalem.

84 c

85 c

Nam in Sacra legitur hystoria, ut alias dictum est, quia Saturnus ut retineret regnum, cum Tytano fratre pactionem habuit occidendi omnem masculinam prolem, que a se gigneretur; verum qui nascebantur masculi clam ab eo a coniuge servabantur, eique presentabantur femine, et sic absumpti videntur filii quantum ad Saturnum, et tunc emisse cum in ultionem suam adversus Tytanum comparuere. Circa autem naturalem rationem dicit sic Cicero: Saturnus autem est appellatus, quod saturetur annis; edere enim natos fingitur, quia consumit etas temporis spatia, annisque preteritis insatiabiliter expletur etc. Et hoc quantum ad devorationem filiorum dictum; de emissionem autem dicitur, de fructibus annuis e terra susceptis; nam producte in tempore fruges ex terra, esto devorentur, omnes in tempore, ab eodem tempore, agente deo, anno sequenti redduntur. Ob hanc fictionem ab ignaris minime intellectam, a nonnullis creditum est detestabilem illum sacrorum ritum apud quosdam barbaros nationes exortum, quo scilicet Saturno quidam, nedum alios, sed natos immolabant proprios, quasi ad instar illius acturi. Macrobius autem dicit in libro Saturnaliorum, quod Hercules, Gerione superato, sacrum hoc apud Ytalos immutavit, iussitque loco humanorum capitum, quibus conficiebatur, oscilla, ad humanam effigiem ex cera composita, Saturni aris accensis luminibus imponerent; quod postea diu observatum est. Dicunt insuper, nato Iove, loco eius Saturno a coniuge lapidem | ostensum; de quo dicit Theodontius, eum ipsum lapidem fuisse Iovem, sed monstratum Saturno Iovem non suum, sed alterius hominis fuisse filium et Lapidem nuncupatum, quod forsitan sic est. Dicit enim Eusebius, Danao Argis regnante, Lapidem quendam Cretensibus imperasse, quo tempore iam Cretensis Juppiter secundum quosdam poterat regnare cepisse. De abscissione genitalium, quam quidam a Jove Saturno factam volunt, satis supra, ubi de secunda Venere dictum est. Saturnum a Iove regno pulsum certissimum hystoriographi arbitrantur, facinoris causam Sacra declarat hystoria, in qua legitur, quod cum Iuppiter Saturnum et Opim a Tytanibus captos liberasset, com-

5

10

15

20

25

30

35

84 d

perit forte Saturnus quod regno pelleretur a Iove, et ideo ad evitandam sortem Iovi insidias tetendisse, ut illum occideret; quod cum Iuppiter comperisset, contractis copiis, arma in eum sumpsit. Qui cum nequiret resistere, et ut volunt quidam
 5 in Flegra victus, aufugit. Quod autem apud Inferos religatos fuerit a Iove falsum esse Sacra demonstrat hystoria, in qua sic scriptum est: Deinde Tytan, postquam rescivit Saturno filios procreatos atque educatos esse clam se, seducit secum filios suos, qui Tytani vocantur, fratremque suum Saturnum
 10 atque Opem comprehendit, eosque muro circumegit, et custodiam his apposuit. Et post hec paululum subditur: Iovem ad ultimum, cum audisset patrem atque matrem custodiis circumseptos atque in vincula coniectos, venisse cum magna Cretensium multitudine, Tytanumque atque filios eius expugnasse,
 15 parentes vinculis exemisse, patri regnum reddidisse, atqua ita in Cretam rediisse. Hec ibi. Pro quibus, dicit Lactantius, liberatur Iuppiter summi sceleris crimine, quod, patrem iunxisse compedibus, perhibetur. Si vero eiusdem Lactantii velimus opinionem sequi, qui super Thebaide Statii dicit, Saturnum religatum a filio apud Inferos, tunc dicemus, quod cum Saturnus a Iove pulsus, ut dicitur, in Ytaliam abierit, que a Grecia inferior est, id est occasui propinquior, apud Inferos descendisse videtur, et ibidem ideo religatus, quia in regnum redire nequibat, sic et exules etiam non nunquam dicimus
 25 religatos. Quod autem mestus senex obvolutus capite, tardusque et sordidus sit, atque ornatus falce, et planete et homini conveniunt omnia. Albumasar autem, in suo maiori introductorio, dicit Saturnum complexione frigidum esse et siccum, melanconicum et fetidi oris, que ad mestum hominem spectare videntur. Dicit preterea eum comestorem pregrandem,
 30 avarum, pauperem ad inopiam usque, malitiosum, | invidum, ingenio valentem, seductorem et in periculis audacem, et conversationis pauce, superbum, simulatorem, iactatorem, et cogitationis quam plurime, atque profundi consilii, tardum ad iram, sed irrevocabilem fere, bonum, nemini cupientem, populatoremque locorum. Est preterea significator operis ad

agriculturam spectantis, mensurationum terrarum atque divi-
 sionum, peregrinationum longarum ac laboriosarum, carcerum,
 tristiaram atque merorum, et involutionum animorum, frau-
 dum, et afflictionum, destructionum, amissionum mortuorum
 et eorum reliquiarum, vituperationum ac latrociniorum, effos- 5
 sorum etiam sepulcrorum, et vispilionum, magorum, et vilium
 hominum et spadonum. Que omnia quam conformia sint Sa-
 turno homini attributis, quoniam facile videbit oculatus homo,
 et pro parte insequentibus etiam tangentur, non appono. Sed
 videre superest quantum Saturno, de quo sermo, conformia 10
 sint. Mestus autem fingitur, ut melanconica complexio et exilii
 tristitia ostendatur. Senex, et quia tunc erat dum pulsus est,
 et quia turpis faciei sint senes, et ut plurimum fetidioris, et
 quia consilio et astutia, qua summe valent annosi, valuit ipse.
 Obvolutum autem capite ideo voluere, ut fuscum syderis Sa- 15
 turni aspectum et fugientis habitum, et occultam Saturninorum
 sagaciam, cogitationes, atque simulationes designarent. Tar-
 dum autem dixere, quia ob gravitatem membrorum tardi sunt
 senes ad incessum, tardi ad iram, tardum et ipsum planete
 corpus motu; nam fere in XXX annis cursu suo orbem zodiaci 20
 perficit, quod in longe minori spatio temporis ceteri faciunt.
 Sordidum vero ideo fictum puto, quia impuros habeat Saturnus
 prestare mores. Seu quia more veteri regno pulsus, et in mi-
 seria constitutus ad Janum susceptorem suum sordidatus ac-
 cessit, id est vestibus miseriam pretenditibus indutus. Seu ut 25
 ostendatur agriculturam exercentes laute vivere non posse. Falce
 autem ideo insignitus est, ut intelligamus, quia per ipsum omnis
 agrorum cultus primo Ytalis traditus sit; erat enim apud nos ante
 adventum eius incognitus. His igitur explicatis libet apponere,
 quid illi pulso contigerit, quid vivens egerit, quid etiam mortuo a 30
 superstitibus inpensum sit. Cum ergo superatus atque fugatus,
 ubique persequeretur a filio, ad ultimum in Ytaliam fugit, ut
 testatur Virgilius dicens: Primus ab ethereo venit Saturnus
 Olympo, Arma Iovis fugiens et regnis exul adeptis etc. In
 85 b Ytalia | autem, ut dicit Macrobius, a Iano susceptus est. Et: 35
 genus indocile ac dispersum montibus altis Composuit legesque

dedit Latiumque vocari Maluit, his quoniam latuisset tutus in oris. Aurea que perhibent illo sub rege fuere Secula: sic placida populos in pace regebat etc. Apud Ytalos enim receptus multa ostendit ante non cognita, et inter alia cum eo usque ex pel-
5 libus pecudum duratis igne pecunia conficeretur, ipse primus era signavit, et nomen signatis apposuit, numo infigens ex parte una Iani susceptoris sui caput bifrons, ex altera vero navim, eo quod venisset in navi fugiens, et hoc fecit, ut eius adventus memoria perseveraret in posteros. Hec in libro Fa-
10 storum testatur Ovidius, esto non ab eo, ut Macrobius ait, sed a posteris era signata dicat, sic: Causa ratis superest, Tuscum rate venit in amnem Ante pererrato falcifer orbe deus. Hac ego Saturnum memini tellure receptum, Celitibus regnis a Iove pulsus erat. Inde diu genti mansit Saturnia nomen.
15 Dicta quoque est Latio terra, latente deo, At bona posteritas puppim formavit in ere; Hospitis adventum testificante dei etc. Aiunt insuper cum concors una cum Iano regnaret, et vicina communi opere constructa haberent oppida, Saturniam scilicet et Ianiculum, aurea fuisse secula, eo quod libera tunc esset
20 omnibus vita, nemo servus, nemo alteri obnoxius, nullum etiam fertur in eius finibus furtum factum, nec sub illo fuit aliquid alicuius privatum. Nec signare solum aut partiri limite campum fas erat, in medium querebant. Quam ob rem respectu secutorum seculorum illa aurea dicta sunt. Et Romani apud edem Sa-
25 turni erarium publicum esse voluerunt, ut apud eum locaretur pecunia communis, sub quo fuissent cunctis universa communia. Insuper ignaros docuit arva colere, semina terris dare, matura colligere, et suo tempore stercoribus agros fecundare, ex quo cum ex reliquis officiis nullum esset conse-
30 cutus cognomen, Sterculius appellatus est. Deo tanto atque tali profecto splendidum et insigne nomen. Demum cum in multis hominum vitam in melius redegisset, contigit ut repente nusquam compareret. Quam ob causam excogitavit Ianus, ut Macrobius asserit, honorum eius augmentum, ac primum ter-
35 ram omnem dicioni sue parentem Saturniam nominavit. Aram deinde cum sacris tanquam deo condidit, que Saturnalia ap-

85 c pellavit, | iussitque eum observari maiestate religionis, quasi vite melioris autorem. Cuius rei simulacrum eius indicio est, cui falcem, insigne messis, adiecit. Huic deo insertiones surculorum pomorumque educationes et omnium huiuscemodi fertilium tribuunt disciplinas. Et, ut idem dicit Macrobius, hunc una cum coniuge nonnullis persuasum celum et terram esse, Saturnumque a satu dictum, cuius causa de celo est, et terram Opem cuius ope humane vite alimenta queruntur, vel ab opere, per quod fructus frugesque nascuntur. Huic dee sedentes vota concipiunt, terramque de industria tangunt, demonstrantes ipsam matrem terram esse mortalibus appetendam. Et sic non deum solum esse Saturnum, sed etiam Celum una cum coniuge agentem volunt. Phylocorus insuper, ut appareat non solum Ytalorum hanc fuisse insaniam, dicit Saturno et Opi primo in Attica statuisset aram Cecropem, eosque deos pro Iove terramque coluisse, statuissetque ut patres familiarum et frugibus et fructibus inchoatis passim cum servis vescerentur. Sic et Apollophanes comicus dicit in epyco carmine, Saturnum quasi sacrum num, nus enim grece sensus dicitur, aut satorem num, quasi divinum sensum creantem omnia etc. Romani autem quibus plurimum cure fuit nil absque significato componere, cum huic deo templum construxissent eius in fastigio Tritonas sculpsere cum bucinis et terris earum caudas immersere, volentes per hoc intelligi, quod ab eius commemoratione in nostrum usque evum hystoria clara sit atque vocalis, que ante eum muta et obscura atque incognita est, quod per infixionem caudarum intelligunt. Et hec de Saturno dicta sint.

CAP. II

De Croni I^a Saturni filia.

Cronis, secundum Barlaam, filia fuit Saturni. Lactantius vero non feminam sed marem dicit et latine Serpentarium appellari, et ab Egyptiis inter sydera collocatum. Sed cum sonet latine tempus, ne videatur quod tempus nascatur ex

tempore, pro certa temporis dimensione accipiendam puto. Et
 quoniam Greci a Croni cronicas vocant libros gestorum, quos
 nos vocamus annales, hanc dimensionem Cronim veteres an-
 num intellexisse puto, quod etiam anni vetus Egyptiorum de-
 5 scriptio, Serpentarius scilicet, satis videtur ostendere. Est enim
 Serpentarius homo serpentem manibus tenens in se in modum
 circuli adeo revolutum, ut devorare ore caudam videatur. Hoc
 enim signo pro anno utebantur Egyptii, ante | quam eius licter-
 10 rarum characteres traderentur ab Yside vel Mercurio; et sic
 Cronis erit illa temporis dimensio, quam annum vocitamus.
 Ad hunc annum designandum Censorinus, in libro quem De
 natali die scripsit ad Cerellum, longam describit hystoriam
 intercalationes annorum atque mensium et dierum diminutiones
 additionesque plurimas apponens et diversorum insuper phy-
 15 losophorum opiniones, quas ego curiosis exquirendas omittam,
 ut brevitati obsequar, oportuna summens tantummodo. Est
 igitur annus duplex, vertens scilicet atque magnus; vertentem
 olim Egyptii habuere bimestrem, trimestrem Archadas, decem
 mensium inequalium veteres habuere Romani sub Romulo rege
 20 primo, cui Numa Pompilius duos addidit, ut XII esset men-
 sium, dierum vero CCCLIII, qui antiquissimus Hebreorum
 fuit annus, et ab Ysraaelitis in hodiernum usque servatur. Sane
 cum multas intercalationes annus talis exquireret, ne ferie
 messium hiemales esse contingeret, aut sacra hiemalia efficeren-
 25 tur estiva, Gaius Iulius Cesar, consulatu suo III^o, annum ad
 solis cursum equavit, eumque dierum CCCLXV cum qua-
 drante esse constituit, eo quod comperisset hoc in spatio
 solem fere zodiacum omnem circumisse. Et quoniam quadran-
 tem illum singulis apponere annis videbatur difficile, instituit
 30 ut quarto anno annus esset semper dierum CCCLXVI, diem
 illam Februario mensi addens, hac in forma, ne auctus vide-
 retur, ut VI Kal. Martii bis diceretur, scilicet duobus conti-
 nuis diebus in quibus venire contingeret, et hic bisextus est.
 Hunc autem annum Romani a mense Martio incepere ob
 35 Martis reverentiam, a quo mensis ille denominatus est, alii
 vero aliter. Magnus autem annus is est secundum Aristotilem,

quem sol et luna ceterique planete in eundem punctum, unde iuncti omnes discesserint, invicem redeuntis conficiunt, ut si omnes sint in principio Arietis, et inde cursum ceperint, quandoque contingat eosdem omnes in principio Arietis invicem repperiri, annus tunc magnus erit perfectus. Hoc fieri diversimode putaverunt antiqui, ut idem Censorinus ostendit. Dicit enim Aristarcum putasse hunc annum confici ex annis vertentibus $\bar{\text{ii}}\text{ccccclxxxiiii}$, Arethem vero Dyracinum ex $\bar{\text{v}}\text{dlii}$, Heraclitum et Lynum ex $\bar{\text{x}}\text{dccc}$, Clionem ex $\bar{\text{x}}\text{dccccclxxxiiii}$, Orpheum ex $\bar{\text{cxx}}$, Cassandrum ex tricis sexies centum milibus. | Hec ille. Tullius quidem arbitrari videtur ex $\bar{\text{xv}}$ annis confici. Sed Servius ex duodecim milibus nongentis quinquaginta quattuor. Senex autem venerabilis Andalo et Paulus geometra Florentinus, astrologi ambo insignes, ex $\bar{\text{xxxvi}}$ expleri dicebant. Ex his quippe, apud quosdam exortus est error, asserentibus eis si contingat supercelestia corpora in eundem locum, unde alias cursum cepere, reverti et reassumere cursum, eosdem de necessitate productura effectus, quos alias produxere, et sic nos iterum et iterum et infinitum usque, hanc in vitam redituros, quod quidem credere ridiculum est.

CAP. III

De Vesta Saturni II^a filia.

Vestam Saturni et Opis Ovidius fuisse filiam dicit: Ex Ope Junonem memorant Cereremque creatam Semine Saturni tertia Vesta fuit etc. Et sic due fuere Veste, Saturni mater et filia. De his confuse loquuntur autores, non nunquam unam ponentes pro altera. Et ideo dicentes Vestam terram esse, quia floribus et herbis vestita est, de matre Saturni dictum sumendum est. Quando autem eam dicunt virginem, Saturni filia designatur, quam ignem esse voluere, ut ait Ovidius: Nec aliud Vestam, quam vivam intellige flammam, Nataque de flamma corpora nulla vides. Jure igitur virgo est, que semina nulla remittit, Nec rapit etc. Hanc, dicit Albericus nu-

tricem fuisse Jovis, exponens quod ex igne inferiori celestis
 alatur ignis. Ego autem contrarium credo, elementatum scilicet
 ab elemento, quod sublimius est nutriri. Jovem autem a
 Vesta nutritum ad hystoriam pertinere reor, cum ut supra dictum
 5 est, Jovem natum Saturni aspectui subtractum et Veste avie
 sue commendatum et ab ea clam nutritum. Dicunt et hanc a
 Priapo, ortorum deo, fuisse dilectam, quod credibile est, cum
 dicat Ovidius: Nitimur in vetitum cupimus semperque negatum.
 Vestam enim virginem volunt, et virgines obsequio suo
 10 deputavere Romani, quas semper eo quod cautiore servarentur
 custodia, libidinosi appetivere. Seu quia absque igne, id est
 calore, iaceat Priapus. Huius preterea nunquam visam dicunt
 effigiem, quod dicunt, eo quod incognita sit; nam si flammam
 videamus, quam illi dicemus esse effigiem? Dicit insuper Augu-
 15 stinus veteres non nunquam et Vestam dixisse Venerem,
 quod et si inhonestum videatur virginem deturpare meretricis
 nomine, potuit hec fictio rationis aliquid habuisse. Dicimus
 enim in Venerem, seu libidinem venientes, in ignem | incurrere, 86 b
 ut Virgilius. In furias ignesque ruunt, id est luxuriam; ergo et
 20 hic calor a similitudine Vesta vocari poterit, nec omnino erit
 a toto sensu fictionis huius extraneum, cum Vestam dicamus
 Saturni filiam, id est saturitatis, ex qua saturitate non minus
 oritur venereus ignis, quam virgineus pudor. Hanc Romani
 summe coluerunt, et eius in templo obsequentibus virginibus
 25 perpetuum servabant ignem, quem semper summa celebritate
 die prima Martii innovabant, et sacrum istud inter alia a
 Troianis habuerunt.

CAP. IV

De Cerere III^a Saturni filia et matre Proserpine.

30 Ceres altera a superiori, et notissima dea frugum est, et
 Saturni filia atque Opis, ut ab Ovidio supra monstratum est.
 Hanc aiunt Jovi fratri suo placuisse, et ex eo concepisse Pro-
 serpinam. Quam cum rapuisset Pluto, nec reperiretur a Cerere,

dicunt eam accensis facibus et maximo cum ululatu per universum orbem exquisitam; demum apud paludem Cyanis irata, cum rastros et aratra et cetera ruralia instrumenta, que ad culturam terre invenerat, fregisset, filie cingulum comperit, et ab Arethusa nynpha certior facta est, quoniam illam apud Inferos vidisset. Que cum Jovi Plutonis accusasset audaciam, ab eo eidem primo suasum est, ut papavera comederet. Que cum fessa fecisset, in soporem soluta est, et cum expergefata astitisset Jovi, ab eo habuit se filiam rehabere posse, si nil apud Inferos comedisset, sed, accusante Ascalapho, compertum est eam tria grana mali punici ex viridario Plutonis gustasse. Qua propter Juppiter ad Cereris mitigandam tristitiam sancivit, ut sex mensibus anni Proserpina cum viro esset, et totidem apud Superos cum matre. Narrant insuper, et inter alios Lactantius, quod cum perquirens Ceres filiam ad Eleusium regem pervenisset, cuius erat uxor Hyonia, et ea peperisset parvulum nomine Tryptoleum, quereretque illi nutricem, ultro se Cererem altricem infantulo obtulisse, et cum suscepta esset volens alumnum facere immortalem, interdium lacte divino nutriebat, noctu clam igne obruebat, itaque preter quam soliti erant mortales crescebat puer. Quod cum miraretur pater, clam nocturno tempore observavit, quid in puerum nutrix ageret, et cum vidisset eum igni obrui, exclamavit, ex quo irata Ceres Eleusium exanimavit, ac Tryptolemo eternum contulit beneficium; nam fruges ei propagandas et currum draconibus iunctum dedit. Quibus ille victor orbem terrarum frugibus obsevit. Postquam autem domum rediit, Cepheus rex eum tanquam emulum occidere conatus est, sed, re cognita, iussu Cereris Tryptolemo regnum tradidit, qui ibidem oppidum constituit, quod ex patris sui nomine appellavit Elusium, et Cerere sacra primus instituit, que thesmophoria Greci nuncupavere. Ovidius vero dicit Tryptoleum infirmum fuisse puerum, et cuiusdam pauperis mulieris filium, quem Ceres in retributionem beneficii illum curavit, et demum illi currum tradidit, et cum frumento misit. Postremo in Scithia a Lynceo rege fere occisus est. Quem Ceres in animal sui nominis transformavit. Sunt insuper qui

dicant, et Omerus potissime in Odissea, Cererem Iasionem quendam amasse, et sese illi amicitia et lecto iunxisse. Et Leontius addebat Cererem ex Iasione Plutonium filium peperisse, et tandem Iasionem a Jove invidia fulminatam. Recitantur preterea et alia, nos autem sensum eliciamus ex dictis.

5 Est igitur Ceres aliquando Luna, aliquando Terra, et nonnunquam terre fructus, et persepe femina, et ideo quando Saturni et Opis dicitur filia femina est, et Sycani Sycilie regis coniunx, ut Theodontius asserit, quando autem ex Jove

10 Proserpinam parit, tunc Terra est, ex qua primo Proserpina, id est luna nascitur, secundum opinionem eorum, qui ex terra omnia creata arbitrati sunt, seu potius ideo credita est Luna Terre filia, quia, dum ab inferiori hemisperio ad superius ascendit, visum est priscis eam ex terra exire, et sic illam Terre

15 dixere filiam. Hanc rapit Pluto, qui et terra est, sed inferioris hemisperii, quando post diem XV^{am} incipit sole cadente non apparere, et hinc fit ut appareat eam tantundem esse apud hemisperium inferius quantum apud superius, ex quo sumptum est fabulosum illud, Jovem sanxisse ut anni medium apud In-

20 feros cum viro esset, et tantundem apud Superos cum matre. Seu aliter. Est quidem Proserpina loco frugis habenda, que ex iacto sulcis semine, nisi celi temperies agat, incrementum habere non potest, et nisi eiusdem iuvetur calore, in maturitatem venire non posset. Juppiter autem et celi temperies est, et calor,

25 cuius opere suis temporibus et crescunt segetes, et maturitatem suscipiunt; et sic ex Jove et Cerere Proserpina nascitur. Que tunc a Plutone, id est terra rapitur, quando semen sulcis iniectum | non redditur, quod aliquando contingit ob nimium frequentatam sationem, ex qua adeo terra bono humore emun-

30 gitur, ut exhausta nequeat dare iniectis seminibus nutrimentum. Hinc turbata Ceres, id est agricultores, qui terrei dici possunt homines, strumenta frangit ruralia, id est frustra operata cognoscit et negligit, et ululatu femineo, id est agricultorum querela, incensis facibus, id est exustione agrorum, per quam

35 humores adversi, qui sunt circa terre superficiem, exalant, et utiles ab inferiori terra evocantur in altum; et suadetur a Jove

Cereri ut papavera comedat, id est ut in quietem vadat, habent
 enim papavera somni quietem prestare, per quam quietem
 intermissio culture intelligenda est, ut possit terra ob intermis-
 sionem emunctos humores reassumere. Redire autem ad
 Superos rapta Proserpina, id est habundantia frugum, non pot- 5
 est incontinenti, quia grana mali punici gustaverat, per que
 intelligenda sunt vegetative vite principia, que tunc initiantur,
 quando ex humore terre humectatur et calefit semen iniectum,
 et inde putrefactum prosilit in radices, quarum opere segetes ve-
 getantur. Que principia ideo per grana mali punici designantur, 10
 ut intelligatur, quia sanguini similia sint, sicut sanguis nutrimentum
 est animalis sensitivi, sic et illa principia vegetativi, et uti,
 ut placet Empedocli, in sanguine vita consistit animalium sensiti-
 vorum, sic et segetum in humore terrestri. Sed Iovis senti- 15
 tentia, id est celi dispositione, agitur, ut post sextum mensem,
 qui anni dimidium signat, ad Superos redeat Proserpina, id
 est segetum habundantia, eo quod a die sationis seu a mense
 in mense septimo incipiant spicæ segetum apparere et grana
 suscipere, et in maturitatem etiam devenire, que grana usque 20
 ad sationis nove tempus apud superos commorantur. Theodontius
 ex Cerere ista vetustissimam refert hystoriam, ex qua
 videtur multum cause fictionis superioris assumptum, et di-
 cit: Cererem Saturni filiam Sycani regis fuisse coniugem, et
 Sycilie reginam, ingenio clarissimo peditam. Que cum per 25
 insulam cerneret homines vagos glandes et mala silvestria
 comedentes, nec ullis obnoxios legibus, prima in Sycilia terre
 culturam excogitavit, et adinventis instrumentis ruralibus boves
 iunxit, et terris semina dedit, ex quo homines cepere inter
 se campos dividere, et in unum convenire, et humano ritu
 vivere; ex quo ab Ovidio dictum est: Prima Ceres unco ter- 30
 ram dimovit aratro, Prima dedit fruges alimenta que mitia
 terris, Prima dedit leges: Cereris sunt omnia munus etc.
 87 a Proserpinam vero dicit | speciosissimam fuisse virginem Cereris
 regine filiam, et ob insignem eius pulchritudinis famam, ab
 Orco Molossorum rege raptam et in coniugem sumptam. Quod 35
 etiam testatur in libro Temporum Eusebius. Verum de hoc

infra prolixior fiet sermo. De Tripholemo autem scribit Phyl-
locorus vetustissimum fuisse regem apud Atticam regionem.
Qui cum tempore ingentis penurie occiso a concursu populi
patre Eleusio, quia, pereunte fame plebe, filium aluisset ha-
5 bunde, aufugit, et longa navi, cuius serpens erat insigne, abiit
ad exterarum regiones, et quesita frumenti copia in patriam rediit,
ex qua pulso Celeo, qui terram occupaverat, seu secundum
alios, Lynceo Trace, in regnum paternum restitutus est, et non
solum restitutus alimenta tribuit subditis, sed illos docuit, facto
10 aratro, terram colere, ex quo Cereris alumnus est habitus.
Sunt tamen qui velint non Tripholemum, sed Buzigem quendam
Atheniensem Atticis bovem et aratrum comperisse. Dicit tamen
Philocorus Tripholemum multis seculis ante fuisse quam fue-
rit Ceres regina Syculorum. Quod autem Ceres Iasonium
15 amaverit, dicit Leontius etiam hystoriam fuisse talem, cum
tempore diluvii Ogigii, Iasonius quidam Cretensis multum
frumenti congregasset, illud patientibus penuriam ob diluvium
pro libito vendidit, et sic ex frumento maximam conflavit pec-
20 uniam, et hinc locus fabule datus, quod ex Cerere, id est
ex frumento, Plutonium divitiarum deum, id est divitias sus-
ceperit. Iasonius autem a Jove invidia fulminatus dicitur,
quia ab amicis, quibus oportunus erat, visum est, quod ante
tempus subtractus sit.

CAP. V

De Glaucia III^a Saturni filia.

25 Glaucia Saturni et Opis fuit filia, et, ut Sacra narrat
hystoria, uno partu cum Plutone edita, et Saturno sola presen-
tata, clam Plutone servato atque nutrito, que adhuc parvula
diem clausit.

CAP. VI

De Plutone V° Saturni filio, qui genuit Venerationem.

Pluto, qui latine Dispater dicitur, Saturni filius et Opis uno eodemque partu, ut supra dicitur, cum Glauca editus est, et clam a Saturno servatus. Hunc veteres Infernorum finxere regem, eique civitatem dedere Ditem, de qua sic Virgilius: 5
 Respicit Eneas: subito et sub rupe sinistra Menia lata videt, triplici circumdata muro, Que rapidus flammis ambit torrentibus amnis, Tartareus Flegeton, torquetque sonantia stagna. Porta adversa ingens solidoque adamante columne. Vis ut nulla virum, non ipsi excindere ferro Celicole valeant; stat ferrea turris ad auras, Thesiphoneque sedens, palla succincta cruenta, Vestibulum exomnis servat noctesque diesque etc. Eius inde aulam 10
 87 b atque maiestatem sic | describit Statius: Forte sedens media regni infelicis in arce, Dux Herebi, populos poscebat crimina vite, Nil hominum miserans, iratus omnibus umbris, Stant Furie circum, varieque ex ordine Mortes, Sevaque multisonans exercet Pena catenas. Fata ferunt animas, et eorum pollice damnant: Vincit opus. Iuxta Minos cum fratre verendo Jura bonus meliora monet, regemque cruentum Temperat, assistunt lacrimis atque igne timentes Cociton Flegetonque et Stix periuria divum Arguit etc. Currum illi insuper trium rotarum statuere, qui triga dicitur, trahique illum a tribus equis voluere, a Metheo scilicet, et Abastro, et Novio. Qui ne celebs viveret, sic uxorem sibi quesisse dicit Ovidius. Nam cum die quadam ingentibus viribus tentasset Typheus superimpositam sibi Trinacriam abicere, visum est Plutoni si hoc contingeret, possibile ad eum usque lucem diei penetrare; quam ob rem conscenso curru exploraturus qualia essent Trinacrie fundamenta, exivit Infernum et dum insulam circumiret, haud longe a Syragusis vidit Proserpinam cum virginibus sociis legentem flores. Que cum Veneris sperneret ignes, factum ut repente Pluto sua pulchritudine caperetur, et ob id flexo curru virginem nil tale timentem rapuit, et ad Inferos detulit, et sibi coniugio copulavit. Huic in- 15
 20
 25
 30

super Venerationem seu Reverentiam filiam fuisse dicunt, et
 Tricerberum canem regni custodem attribuunt. Quem aiunt
 tricipitem fuisse et inaudite ferocitatis, et cuncta vorantem.
 De quo sic tragedus Seneca, in tragedia Herculis furentis: Post
 5 hec avari Ditis apparet domus: Hic sevus umbras territat Stigius
 canis, Qui terna vasto capita concutiens sono Regnum tuetur.
 Sordidum tabo caput Lambunt colubre, viperis horrent iube
 Longusque torta sibilat cauda draco. Par ira forme etc. Hec
 ego sic intelligenda existimo, cum iuxta Fulgentium Pluto
 10 latine sonet divitias, et ideo Dispiter, quasi divitiarum pater
 a latinis appelletur, et divitias perituras in terris consistere,
 aut ex terris effodi clarum sit, et terra vocetur Opis, ut supra
 sepius dictum est, merito Pluto Opis dicitur filius. Verum
 quoniam divitie prime pro parte ex cultura terre patuere, non-
 15 dum auro comperto, et Saturnus terram colere docuerit, Plu-
 tonis dictus est pater. Divitiis ferrea civitas et custos The-
 siphon ideo datur, ut ferreas avarorum mentes et truculentias
 eorundem circa custodiam et tenacitatem earum cognoscamus.
 Hanc civitatem intrare neminem iustum dicit Virgilius: Nulli
 20 fas casto sceleratum insistere limen etc, ut appareat aut querere
 aut servare divitias absque iniustitia non posse. In hac civitate
 scribit Dantes noster obstinatis inferri supplicia, quibus nulla
 proximæ caritas, nullusque fuit amor in Deum. Per aulam autem
 atque circumstantes multiplicium curarum anxietates, et augen-
 25 de rei labores execrables, atque | perdendi formidines, quibus
 anguntur in divitias hylco tendentes gutture, intelligendi sunt.
 Currus autem circumitiones optantium ditari designat triplici
 vectus rota, ut labor circumeuntium periculum et futurorum
 incertitudo monstretur. Sic et equi trahentes tres esse dicun-
 30 tur. Quorum primus Metheus dicitur, qui interpretatur obscurus,
 ut per eum intelligatur insana deliberatio acquirendi, quod
 minime oportunum est, qua trahitur seu impellitur cupidus.
 Secundus Abaster dictus est, qui idem quod niger sonat, ut
 appareat discurrentis meror et tristitia circa incumbentia fere
 35 semper pericula et pavores. Tertius Novius nuncupatur, quem
 intellexere sonare tepentem, ut per eum advertamus, quoniam

87 c

ob timorem periculorum ardor ferventissimus acquirendi tepescat aliquando. Coniugium vero Proserpine quam supra habundantiam diximus, nulli dubium est cum divitibus fieri, et potissime iudicio prospectantis vulgi, cuius sepe falsa est extimatio; arbitratur quidem sepe dum divitis intuentur horrea plena, ibi habundantiam fore, ubi fames est, et peniuria, avaritia procurante. Ex hoc quippe coniugio nil gignitur, laudabile scilicet aut memoratu dignum. Cerberus, ut nonnulli arbitrantur, verus fuit canis, triceps dictus, eo quod esset latratu sonorus, mordax nimium, et in tenendo fortissimus. Senserunt tamen veteres, ut reor, sensus alios hac sub veritate repositos, eo quod custos fingatur Ditis, et ideo cum pro Dite divitie intelligende sint, ut premonstratum est, nullum earum rite dicemus custodem preter avarum; et sic pro Cerbero avarus intelligendus est, cui ideo tria descripsere capita, ut triplicem avarorum denotarent speciem. Sunt enim qui aurum cupiunt, et in omne lucrum etiam inhonestum volentes irruunt, ut quesitum dissipent et expendant, qui si divitiarum custodes dici non possint, perniciosi tamen et damnosi sunt homines. Sunt qui maximo labore atque periculo suo congregent undique et quomocunque, ut teneant, servent atque custodiant, nec ex quesitis sibi prosint vel aliis, et hi hominum genus inutile. Sunt qui nullo suo opere, sed maiorum quesita sudoribus tam studiosa vigilantia servent, ut non aliter quam alienum depositum contingere audeant; et hi segnes atque tristissimi sunt et Ditis custodis certissimi. Serpentes vero Cerbero additi, tacite atque mordaces avaritie cure sunt. Plutonem hunc insuper vocavere Orcum, ut in Verrinis Cicero, dum dicit: Ut alter Orcus venisse Ethnam, et non Proserpinam, sed ipsam Cererem rapuisse videbatur etc. Quem ideo sic vocari dicit Rabanus, quasi receptorem mortium, quia recipiat quacunq[ue] morte morientes. Februarium preterea dictum volunt, non a febre, ut multi stolide arbitrantur, sed a lustrum quodam sacro a veteribus ei constituto, per quod | Manes purgari credebantur, et hoc in mense Februarii fiebat, et inde mensis ille nomen sortitus est, quod a Macrobio in libro Saturnaliorum dicitur sic:

Secundum dicavit Februo deo, qui lustrationum potens creditur; lustrare autem eo mense civitatem necesse erat, quo statuit ut iuxta diis Manibus solverentur etc. His prelibatis, quid hec fictio hystorie tegat apponendum est. Refert ergo
 5 Lactantius de Plutone in libro Divinarum institutionum sic: Ergo illud in vero est, quod regnum orbis ita partiti sortitique sunt, ut orientis imperium Jovi cederet, Plutoni, cui cognomen fuit Agesilao, pars occidentis obtingeret, eo quod plaga orientis, ex qua lux mortalibus datur superior, occidentis
 10 autem inferior videatur etc. Theodontius autem paululum plenius de hoc inquit: Saturno scilicet Jovem, Neptunnum et Plutonem fuisse filios, qui eo mortuo cum eius partirentur imperium, contigit Plutoni iuniori in occiduam regni partem regnare, apud ea loca, in quibus postea mansere Molossi,
 15 secus inferum mare, et is a circumadiacentibus regno suo populis Orcus appellatus est, eo quod sevus et receptator scelestorum esset hominum, et quod ingenti cani suo, quem Cerberum appellabat, consuetus esset vivos homines trucidandos apponere. Hinc Proserpinam virginem Syculam, cum intercepisset, rapuit et in regnum deportavit suum, eamque sibi coniugem copulavit. Hec ille. Eusebius autem in libro Temporum hunc appellatum Aydoneum ait et, tempore Lyncei regis Argivorum atque Ericthei Atheniensium, regnasse.

CAP. VII

25 De Veneratione Plutonis filia et Honoris coniuge.

Venerationem filiam fuisse Plutonis Servius affirmat. Theodontius autem hanc Reverentiam vocat, dicens venerari deos oportere, maiores autem homines revereri; et quoniam ea, que hominibus exhibetur et non diis, Plutonis fuit filia, ideo
 30 Reverentia non Veneratio appellari. Ex qua autem concepta sit matre non habetur, cum Proserpinam sterilem fuisse omnes affirmant. Hanc Honori nuptam Paulus et Theodontius dicunt, et ex eo peperisse Maiestatem, ut supra monstratum est. Ego

88 a ex hoc figmento id sentio quod intuo; diximus supra Plutonem divitiarum deum, e quibus divitiis oriri reverentiam satis cernimus, cum reverentia solis exhibeatur divitibus, | etiam si inertes, degeneres, inscii, privatique sint homines, tante sunt apud mortales existimationis divitie. 5

CAP. VIII

De Chyrone VI° Saturni filio, qui genuit Ochyroem.

Chyronem centaurum Saturni et Phyllare filium voluere. Lactantius tamen dicit eum ex Pelopea conceptum; cuius originis talis extat fabula. Saturnum scilicet venustate Phyllare 10 captum eam interceptisse, et dum eius, ut ait Servius, uteretur concubitu, interveniente Opi coniuge, confestim se vertit in equum, ne cognosceretur in culpa. Phyllara autem ex eo concubitu Chyronem concepit, peperitque animal, ab umbilico supra hominem, ab inde vero infra equum. Qui cum excrevisset, in 15 silvas abiit, easque coluit. Huic aiunt a Thetide Achillem puerum commendatum, quem ipse nutrit et docuit, et similiter Esculapium. Postremo cum eum visitasset Hercules, casu factum est, ut una sagittarum eius Lerneo veneno perlita super pedem eius caderet; attamen cum a parentibus fuisset genitus 20 immortalis, ut Ochyroes filie vaticinium impleretur, quo predixerat eum optaturum esse mortalem, gravi vexatus morbo mori cupiens, oravit Superos ut illi mori concederent. Quo concesso, ab eisdem in celum translatus est, et in zodiaco locatus et Sagittarius appellatus; et quoniam valuerit auspicio, eo coram 25 celestis ara apposita est. Ex his fictionibus Theodontius et Barlaam sensum exprimebant huiusmodi. Chyronem ideo Saturni filium dictum, quia circa agriculturam plurimum valuerit, et quia ortorum adaquationem invenerit, Phyllare dictus est filius, quasi Phyllidros, id est aque custos vel amator, eo quod 30 ad irrigationem ortorum plurima uteretur. Quod autem in conceptione eius Saturnus a coniuge repertus verteretur in equum, dictum est, eo quod causam suam apud turbatam coniugem

iustificaverit, dicens, quod ob id aliarum mulierum concubitum
quereret, si forte filios masculos suscipere posset, cum sibi
prolem melioris sexus ex ea conceptam ob promissum Tytano
factum servare non posset, et sic ob hoc eque agere visum
5 est, et inde equus, id est iustus. Alii vero volunt fabulam a
precedentibus causam habuisse. Nam cum vidissent illum mor-
tales, ut dicit Ysidorus, hominum pariter et iumentorum me-
dicinam invenisse, hominis et equi filius dictus est, et Chyron
denominatus, ut intelligeretur quia cyrugiam non physicam |
10 reperisset, que levi doctaque manu operatur; nam chyros grece
manus est. Quod a sagitta Herculis vulneratus sit, hystorio-
graphum dicunt, et cum letalem morbum arte sua aliquandiu
curasset, visum est amicis eum immortalem creatum, quem
veneni vis non occideret. Tandem cum venisset in mortem,
15 ob meritum virtutis sue, quia iustissimus fuerit homo, ut in
Yliade dicit Homerus, ad perpetuam sui nominis memoriam
ab antiquis inter astra locatus est.

88 b

CAP. IX

De Ochyroe filia Chyronis.

20 Ochyroe filia fuit Chyronis ex quadam nynpha Cayci flu-
minis suscepta, ut ait Ovidius: Ecce venit rutilus humeros
protecta capillis Filia Centauri, quam quondam nynpha Cayci
Fluminis in rapidis ripis enixa vocavit (Ochyroem), non hec
25 artes contenta paternas Edidicisse fuit: fatorum arcana cane-
bat etc. Hec Esculapium orbi toto profuturum predixit, et
patrem optaturum mortem, et se equam futuram. Que omnia
evenere. Rei huius significatum potest esse, cum dicat Theodon-
tius eam Thetim Achillis matrem fuisse, ideo in equam versam
dici, quia genuerit equum, id est hominem bellicosum, uti
30 achilles fuit, a furore cuius et ipsta Thetis, ut dicit Leontius,
aquarum dea nuncupata est. Equi autem ubique apud anti-
quos bellorum erant presagium, ut Virgilius dicit: Quattuor
hic, primum omen, equos in gramine vidi Tondentes late

campum, candore nivali. Et pater Anchises: bellum, o terra hospita, portas: Bello armantur equi, bellum hec armenta minantur etc.

CAP. X

De Pyco VII° Saturni filio, qui genuit Faunum et Sentam Faunam.

5

Pycus, Auxonie rex, Saturni fuit filius, ut asserere videtur Ovidius, dum dicit: Pycus in Auxoniis, proles Saturnia, terris Rex fuit, utilium bello studiosus equorum etc. Et Virgilius: Accepimus; Fauno Pycus pater isque parentem Te, Saturne, refert, tu sanguinis ultimus autor etc. Hunc dicit Servius a Pomona, pomorum dea, dilectum ac eius sortitum coniugium. Demum, ut ait Ovidius, cum die quadam venaretur, a Circe, Solis filia, visus et adamatus est, quam cum ipse parvipenderet, ab ea irata in avem sui nominis versus est. Sane Ovidius a Servio discrepat, Pycum virum fuisse Cyrcis dicens, eumque dilexisse Pomonam, et ob id Cyrces, zelo commota, aurea illum tetigit virga et in pycum avem mutavit. Huius autem fictionis | effectus talis a Servio arbitrari videtur, Pycum scilicet regem eo in pycum avem mutatum dici, quia augur fuerit, et domi pycum habuerit per quem futura prenosceret, et sic in pontificalibus libris haberi. Nonnulli dicunt hunc Pycum Cyrcis fuisse virum et, cum ob singulare studium domandorum equorum alias rudis esset homo, ab ea doctus eloquentissimus factus est. Qua eloquentia in commodum suum multos traxit agrestes, eosque sibi fecit obsequiosos, et ob id fictum eum in avem sui nominis fuisse conversum. Est enim pyco avi inter alias proprietates hec, ut cum habeat longissimam linguam, estivo tempore exquirat loca formicarum plena, et emissa inter eas lingua, patitur eas illam conscendere, et morsu prehendere; tandem cum illam formicarum plenam sentit, retrahit et adherentes una secum formicas, ex quibus sic pastus evolat. Sic Pycus rex, lingua, id est eloquentia, trahebat agrestes, qui formicis similes sunt, et in suum, ut dictum est, vertebat commodum. Augustinus autem, ubi De

10

15

88 c

20

25

30

civitate dei, dato que ad hystoriam spectant, quasi poeticam fictionem floccifaciat incipit: Exortum est Laurentum regnum, ubi Saturni filius Pycus regnum primus accepit. Et paulo post sequitur: Sed hec poetica opinentur esse figmenta, et Pyci patrem Stercen potius fuisse asseverent, a quo peritissimo agricola inventum ferunt, ut fimo animalium agri fecundarentur, quod ab eius nomine stercus dictum est. Hunc quidam Stercutium vocatum ferunt, qua autem ex causa eum Saturnum appellare voluerunt. Certe tamen hunc Stercen seu Stercutium, merito agriculture fecerunt deum, Pycum quoque similiter eius filium etc. Et sic videtur per Augustinum ostendi Pycum filium non fuisse Saturni. Sane cum Pyci plures esse potuerint, et Augustino credimus Pycum quendam Stercen fuisse filium, et alium Pycum filium fuisse Saturni. Huius insuper inventum lusoriam pilam in libro Naturalis hystorie Plinius asserit fuisse.

CAP. XI

De Fauno Pyci filio, qui genuit Faunos, Satyros, Panes et Silvanos, Acim et Eurimedontem et Latinum et, secundum quosdam, Sentam Faunam, quam alii eius volunt sororem fuisse et coniugem.

Faunus Pyci fuit filius, ut Virgillii testimonio patet, dicens: Accepimus; Fauno Pycus pater etc. Hic etiam patri successit in regno. De quo dicit Lactantius [in] libro Divinarum institutionum primo: Quod ut Pompilius apud Romanus institutor ineptarum religionum fuit, sic ante Pompilium Faunus in Latio, qui et Saturno avo nepharia sacra constituit, et sororem suam Sentam Faunam eandemque coniugem consecravit. Quam ut Crispus Clodius in eo libro, quem grece scripsit, dicit, eo quod contra mores decusque regium clam vini ollam ebiberat, et ebria facta erat, virgis mirteis ad mortem usque cecidit, postea facti penitens, cum desiderium eius ferre non posset, illi sacros detulisse honores. De Fauno vero hoc, et Fauna quod dii facti sunt videtur testari Servius sic: Quidam deus est Fatuclus, huius uxor est Fatua; idem Faunus, et

eadem Fauna dicti autem sunt Faunus et Fauna a vaticinando, id est fando, unde et fatuos dicimus inconsiderate loquentes; ergo faune et fatue nomen quasi asperum etc. Hec ille.

CAP. XII

88 d

De Senta Fauna Pyci filia et coniuge Fauni seu filia |

5

Senta Fauna, ut proximo supra dictum est, filia fuit Pyci regis et coniunx Fauni, fratris sui, Lactantio teste. Et quicquid Crispus Clodius minus honestum de ea scribat, Gabius Bassus dicit eam Fatuam nominatam, quod mulieribus fata canere consuesset, ut Faunus viris. Eandem Varro scribit tante pudicitie fuisse, ut nemo illam, dum vixerit, preter suum virum, mas viderit, nec nomen eius audierit; et ideo mulieres illi in operto sacrificare consueverant, et Bonam appellare Deam. Sed de hac Macrobius Saturnaliorum libro, autoritate Cornelii Labeonis, hanc Maiam dici dicit; eique sub nomine Bone Dee edem Kal. Maias dedicatam, eandem terram esse, et id occultiore sacrorum ritu doceri. Demum eam Opem, Bonam, Faunam et Fatuam pontificum libris appellari. Bonam quod bonorum omnium ad victum causa sit, Faunam quod omnibus animantibus faveat, Opem quod eius auxilio vita constet, Fatuam a fando, eo quod non ante infantes partu editi, vocem edant, quam terram attigerint. Et quia, cum regali sceptro figuretur, sunt qui dicant eam Junonis habere potentiam. Et alii eam arbitrari Proserpinam, eo quod illi porca ob depastas segetes sacrum fiat. Preterea eam non sororem et coniugem Fauni, ut quidam dicunt, sed filiam, eumque in amorem eius lapsum, et ob id, quod etiam oppressa vino, nolisset eius parere desiderio, ab eo virgis mirteis cesam; tandem eo in serpentem verso, cum ea concubisse creditum; et ob id in templo eius haberi virgam mirteam nephas esset, et extentam supra caput eius vitem videri, eo quod pater vino illam decipere tentasset. Quod in templo eius, suo nomine, non consuevit inferri, sed vas in quo vinum esset inditum mellarium nominari, et vinum

10

15

20

25

30

nuncupari lac. Et serpentes in templo eius innocuos et impavidos apparere, et alia plura, quasi velit hanc Faunam terram esse. Quas quidem ego ambages et circumitiones detestor et omitto libens.

CAP. XIII

De Faunis, Satyris, Panibus et Silvanis filiis Fauni.

Faunos, Satiros, et Panes, atque Silvanos dicit Theodotius Fauni fuisse filios. Leontius vero dicebat Saturni. De quibus eo quod nullius nomen sciatur proprium, seu opus, invicem tractare de omnibus necesse est. Faunos ergo et Satyros nemorum dicebant deos, et, ut ait Rabanus, voce non signo ostendebant futura paganis exigentibus. Panes vero agrorum deos, et Silvanos silvarum, sed inproprie a poetis persepe |
 10 unus pro altero assumpti sunt, ut Virgilius facit: Et vos, agrestum presentia numina, Fauni etc. Hos etiam semones, seu semideos vocari veteres voluere, ut scribit Ovidius: Sunt michi semidei, sunt rustica numina, Nynphe, Et Fauni, Satyrique et monticole Silvani: Quos, quoniam celo nondum dignamur honore, Quas dedimus certe terras habitare sinamus etc. Hos
 15 ego nec Fauni, nec Saturni filios credam, cum homines isti, illi vero quodam modo animalia bruta sint, sed possibile forsitan est circa Saturni tempora vel Fauni, ex eis ortus est error, et de eis primo recitationes inter mulierculas haberi cepte. De quibus tamen ab insignibus autoribus quedam miranda narrantur. Nam Pomponius Mela ultra Athlantem, Mauritanum montem, dicit noctu lumina visa, et strepitus cimbalarum atque fistularum auditus persepe, nec die repertus quisquam, atque pro constanti habitum, hos Faunos esse atque Satyros, et huiusce generis animalia. Preterea dicit Rabanus Satyros homuntiones esse, et habere uncas nares, et cornua in frontibus, pedesque
 20 caprarum similes, et ex his unum a beato Antonio per solitudines Thebaidis, Paulum sanctissimum virum heremiticam agentem vitam exquirente, visum, atque ab eodem interrogatum respondisse, se mortalem et ex accolis heremi, unum ex his,

89 a

quos stolido errore lusa gentilitas Faunos Satyrosque colit. Alii silvestres homines putant appellantque Incubones seu Ficarios. Ex quibus sic scribit Martianus, ubi De nuptiis Mercurii et phylologie: Ipsam quoque terram, que hominibus invia est, referuntur longevorum chori, qui habitant silvas, nemora, lucos, lacus, fontes atque fluvios, appellanturque Panes, Fauni, Fones, Satyri, Silvani, Nynphe, Fatui, Fatueque vel Fantue, vel etiam Fane, a quibus fana dicta, eo quod soleant divinare. Hi omnes post prolixum evum moriuntur, ut homines, sed tamen et presciendi, et incursandi, et nocendi habent promptissimam potestatem. Hec Martianus. Hos autem dicit Aristotiles post annorum milia et Nynphas et Satyros perire. Nonnulli autem gentilium inter alias stultias suas in hanc devenere, ut se horum mallent filios quam hominum dici, arbitantes, dum matrum meretricia accusarent, sue nobilitati plurimum splendoris iniungere, ex quibus pauci apponuntur.

CAP. XIV

De Aci Fauni filio.

89 b Acis filius fuit Fauni et nynphe Symetridis, ut clare | scribit Ovidius: Acis erat Fauno nynphaque Semetryde cretus etc. Ex hoc talis ab Ovidio fertur fabula. Quod scilicet Galatheam nynpham Syculam amaverit, et ab ea amatus sit, quam cum etiam diligeret Polyphemus ciclops, nec se diligi cerneret, eosque die quadam misceri invicem viderit, iratus in eos cursum rapuit; sed Galathea se mersit in undas impune, quia nynpha, Acis autem minus velox a Ciclope captus atque dilaceratus est. Verum precibus Galathee in flumen sui nominis miseratione deorum versus est. Cui fabule Theodontius talem tribuit sensum. Dicit enim Ciclopem tyrannum apud Syculos fuisse, cui maximum erat pecus, lacte cuius plurimum eius augebantur substantie, et ideo Galatheam, id est lactis deam, amasse dicitur. Verum Galatheam ideo amasse Acim dicit, quia ex humiditate lac procreetur. Sed cum aque Acis fluminis

hanc habeant proprietatem, ut desiccent ubera potantium pecudum, non solum Ciclops ob id a flumine illo certo anni tempore amoveri greges iubebat, sed non nunquam per rivulos illud exinanire atque desiccare conatus sit, frustra tamen.

5 Leontius vero dicebat Acim nobilem fuisse iuvenem diligentem Galatheam amasiam tyramni, et a tyramno captus in flumine necatus est, et sic dedit flumini nomen; Galathea autem, cum intrasset navim, aufugit. Ego autem non credo hunc Fauni regis fuisse filium, sed forsan alicuius alterius nobilis viri sic

10 vocati, seu unum ex his fuisse, qui Faunorum filios dici maluere quam hominum.

CAP. XV

De Eurimedonte Fauni filio, qui genuit Periviam.

Eurimedon filius fuit Fauni, ut placet Statio in Thebaide,

15 ubi dicit: Proximus Eurimedon, cui pastoralia Fauni Arma patris, pinusque iubas imitatur equinas, Terribilis silvis: reor et Mavorte cruento Talis erit etc. Hunc ego, ut de Aci dixi, non arbitror Fauni Laurentum regis fuisse filium, sed quoniam in silvis conversaretur, ad extollendam progeniem suam,

20 se Fauni finxit filium. Fuit enim hic, ut idem Status ostendit, in bello thebano partibus favens Ethioclis.

CAP. XVI

De Perivia Eurimedontis filia, et Nausithei matre.

Perivia filia fuit Eurimedontis, ut in Odissea scribit Omerus, dicens: Ναυσίθοον μὲν πρῶτα Ποειδάμων ἐνοσίχθων Γείνατο καὶ Περίβοια, γυναικῶν εἶδος ἀρίστη, Ὀπλοτάτη θυγάτηρ μεγαλήτορος Ἐυρυμέδοντος [Que latine sonant]: Nausitheim quidem prius Neptunus terram movens genuit. Et Perivia feminarum specie optima, iunior filia magnanimi Eurimedontis. Dicit autem

30 Leontius Eurimedontem Gigantum | fuisse dominum, et cum

eis perisse; et sic esto in tempore cum eo, de quo dictum est, convenire possit, non tamen eum credere cum patre Perivie idem esse, que Neptunno peperit Nausitheim, ut per Omerum monstratum est.

CAP. XVII

5

De Latino Laurentum rege, Fauni filio, qui genuit Laviniam et Prenestem.

Latinus Laurentum rex, Fauni regis et Marice nynphe Laurentis fuit filius, ut carmine patit Virgilii dicentis: Rex arva Latinus et urbes Iam senior longa placidas in pace regebat. Hunc Fauno et nynpha genitum Laurente Marica Accepimus etc. Justinus autem non Fauni filium, sed nepotem dicit ex filia. Scribit enim, redeunte Hercule ex Hispania, Gerione superato, Fauni filiam vitiasse, et ex eo concubitu suscepisse Latinum. Servius autem refert secundum Esyodum eo in libro, quem Aspidopiam vocat, Latinum Ulixis et Cyrcis fuisse filium, quam nonnulli Maricam vocant; et inde de eo dicit dixisse Virgilium: Solis avi specimen etc, eo quod Solis Cyrces fuerit filia; verum dicit Servius, quia temporum ratio non procedit; et ideo illud accipiendum esse Hyginii, qui ait Latinos plures fuisse, ut intelligamus poetam abuti, ut solet, nominum similitudine. Sed quicquid dicant alii, cum universalis fama Virgilio faveat, Latinum scilicet Fauni fuisse filium carmini eius obtemperandum est, credendumque Latinum Fauni fuisse filium. Est insuper et de matre Marica opinio varia. Servius autem de ea dicit: Est autem Marica dea litoris Miturnensium iuxta Lirim fluvium. Oratius: et innantem Marice Litoribus tenuisse Lirim. Quod si voluerimus accipere uxorem Fauni Maricam, non procedit; dii enim topici, id est locales, ad alias regiones non transeunt; sed potest dictum esse per poeticam licentiam Laurente Marica, cum sit Miturnensium. Dicunt alii per Maricam Venerem intelligi debere, cuius fuit sacellum iuxta Maricam, in quo erat scriptum ΠΟΝΤΙΗ ΑΦΡΑΙΤΗ; hec Servius. Hoc tamen dubium paucis potest absolvi. Plures enim potuerunt esse Marice, ut supra de Latino etiam dictum est. Hic autem La-

10

15

20

25

30

tinus Laurentibus rex fuit, eo tempore quo Troia deleta est, habuitque Amatam Dauni regis Ardee sororem in coniugem, ut per Virgilium patet. Varro autem eo in libro, que De origine lingue latine scripsit, dicit Palantiam Evandri filiam eius
 5 fuisse u|xorem, eumque volunt profugum suscepisse Eneam, 89 d
 et, uti ex responso suscepit, Laviniam filiam iam Turno filio Dauni promissam, dedisse uxorem. Quam ob rem bellum ingens inter Eneam et Turnum exortum est, in quo Latinum cecidisse dicit Servius.

10

CAP. XVIII

De Lavinia filia Latini et Enee coniuge.

Lavinia filia fuit Latini regis et Amate secundum Virgilium, quam cum, Turno regi promissam, Latinus pater daret in coniugium Enee Troiano, ingens exortum est bellum, et,
 15 ut ait Servius, in primo fere concursu Latinus occisus est; et sic patris dotata sanguine advene coniugio iuncta est. Et cum virum in eodem conflictu apud Nomicum fluvium perdidisset, timens victoris privigni insolentiam, ex Enea pregnans aufugit in silvas, et, ut dicit Servius, apud Tyrum pastorem divertit,
 25 ibique peperit filium, quem Julium Silvium Postumum appellavit, eo quod post patris funus in silvis natus esset. Hanc Ascanius postea revocavit in regnum patrium, cum ipse secessisset in Albam a se conditam. Quod quidem cum regia indoles generoso mulieris in pectore ob adversas res in nullo
 25 fracta esset, adeo integre conservavit, ut, adulto Silvio, auctum quam diminutum potius resignaret. Eusebius autem in libro Temporum dicit hanc post Enee mortem Melampodi cuidam nupsisse, et ex eo concepisse filium, quem Latinum Silvium nominavit, qui etiam Latinus, Julio Silvio mortuo, imperavit.

CAP. XIX

De Preneste Latini regis filio.

Preneste Latini regis fuit filius, ut Solinus, ubi de Mirabilibus mundi scribit, videtur asserere, et hunc ait Preneste etiam civitatem fecisse, et a suo nomine nuncupasse. Dicit enim sic: Preneste, ut Zenodotus, a Preneste Ulixis nepote Latini filio etc. De eo autem nil amplius legi. De Junone, Neptunno et Jove, Saturni filiis et eorum prosapiis insequentibus scribitur, ut huic octavo libello finis imponatur.

Genealogie deorum gentilium liber VIII^{us} explicit feliciter.

FINE DEL VOLUME PRIMO.

J. M. K. 45332

INDICE

The first of these is the fact that the United States is a young nation, and that its history is a history of growth and expansion. The second is the fact that the United States is a nation of immigrants, and that its history is a history of the struggle for a better life. The third is the fact that the United States is a nation of free men, and that its history is a history of the struggle for freedom.

APPENDIX

The following is a list of the names of the persons who have been mentioned in the text of this book. The names are arranged in alphabetical order.

Adams, John
 Adams, Thomas
 Adams, William
 Adams, John Quincy
 Adams, Abigail
 Adams, Charles
 Adams, John C.

LIBER PRIMUS

Prohemium	p. 1
Quis primus apud gentiles deus habitus sit	10
In arbore signata desuper ponitur in culmine Demogorgon versa in celum radice, nec solum infra descripte progeniei sed deorum omnium gentilium pater, et in ramis et frondibus ab eo descen- dentibus describuntur eius filii et nepotes de quibus hoc in primo libro prout signati sunt distincte scribitur. Verum ex eis Ether solus excipitur, de quo et eius amplissima posteritate in libris sequentibus describetur. Fuerunt ergo Demogorgoni filii filieque VIII. Quorum primus Litigium, secundus Pan, III Cloto, IIII Lachesis, quinta Atropos, sextus Polus seu Pollux, septimus Phyton seu Phaneta, ottava Terra, nonus autem Herebus . . .	13
CAP. I. - De Eternitate	15
CAP. II. - De Chaos	17
CAP. III. - De Litigio primo Demogorgonis filio	18
CAP. IV. - De Pane secundo Demogorgonis filio	21
CAP. V. - De Cloto, Lachesi et Atropu filiabus Demogorgonis	25
CAP. V. - De Polo sexto Demogorgonis filio	29
CAP. VII. - De Phytone septimo Demogorgonis filio	30
CAP. VIII. - De Terra ex filiis Demogorgonis octava, que ex incognitis parentibus quinque genuit filios; quorum primus Nox, secundus Tartarus, tertius Fama, quartus Taigetes, quintus Antheus . . .	32
CAP. IX. - De Nocte prima Terre filia	34
CAP. X. - De Fama secunda ex filiis Terre	36
CAP. XI. - De Tartaro III Terre filio	39
CAP. XII. - De Tagete IIII Terre filio	40
CAP. XIII. - De Antheo V Terre filio	41
CAP. XIV. - De Herebo VIII Demogorgonis filio, cui fuerunt filii XXI. Quorum primus Amor, II Gratia, III Labor, IV Invidentia, V Metus, VI Dolus, VII Fraus, VIII Pertinacia, VIII Egestas,	

X Miseria, XI Fames, XII Querela, XIII Morbus, XIII Senectus, XV Pallor, XVI Tenebra, XVII Somnus, XVIII Mors, XVIII Ca- ron, XX Dies, XXI Ether	43
CAP. XV. - De Amore primo Herebi filio	46
CAP. XVI. - De Gratia Herebi et Noctis secunda filia	47
CAP. XVII. - De Labore tertio Herebi filio	48
CAP. XVIII. - De Invidentia seu Invidia IIII Herebi filia	48
CAP. XIX. - De Metu V Herebi filio	49
CAP. XX. - De Dolo Herebi filio VI	50
CAP. XXI. - De Fraude VII Herebi filia	51
CAP. XXII. - De Pertinacia Herebi VIII filia	52
CAP. XXIII. - De Egestate Herebi filia VIII	52
CAP. XXIV. - De Miseria Herebi X filia	53
CAP. XXV. - De Fame XI Herebi filia	53
CAP. XXVI. - De querela Herebi filia XII	54
CAP. XXVII. - De Morbo XIII Herebi filio	55
CAP. XXVIII. - De Senectute Herebi XIII filia	55
CAP. XXIX. - De Pallore Herebi filio XV	56
CAP. XXX. - De Tenebra XVI Herebi filia	56
CAP. XXXI. - De Sommo Herebi filio VII	56
CAP. XXXII. - De Morte XVIII filia Herebi	60
CAP. XXXIII. - De Carone Herebi filio XVIII	62
CAP. XXXIV. - De Die Herebi XX filia	63

LIBER SECUNDUS

In arbore autem signata desuper, in celum versa radice, ponitur in culmine Ether filius Herebi et Noctis; eiusque in ramis et frondi- bus, cum Etheri duo tantum fuerint filii Juppiter scilicet primus et Celius seu Celum, Jovis primi solum prosapia designatur omnis; Celi seu Celi prole in sequenti reservata volumine	67
Prohemium	67
CAP. I. - De Ethere Herebi et Noctis XXI filio, qui genuit Jovem primum et Celium seu Celum	68
CAP. II. - De Jove primo Etheris filio qui XIII inter filios et filias genuit. Quorum prima Minerva, secundus Apis, III Sol, IIII (Diana), V Mercurius, VI Tritopatreus, VII Ebuleus, VIII Dyoni- sius, VIII Hercules, X Proserpina, XI Liber pater, XII Epaphus, XIII Scithas.	68
CAP. II. - De Minerva prima, primi Jovis prima filia	71

CAP. IV. - De Api Argivorum rege, primi Jovis secundo filio	74
CAP. V. - De Sole primo, primi Jovis filio III	76
CAP. V. - De (Diana) prima, primi Jovis IIII filia	76
CAP. VII. - De Mercurio primo, primi Jovis V filio	77
CAP. VIII. - De Tritopatreo VI et Ebuleo VII et Dyonisio VIII, Jovis primi filiis	79
CAP. IX. - De Hercule primo, VIII primi Jovis filio	80
CAP. X. - De Proserpina prima, X primi Jovis filia	81
CAP. XI. - De Libero primo, XI primi Jovis filio, qui genuit Mercurium secundum	81
CAP. XII. - De Mercurio secundo Liberi et Proserpine filio, qui genuit Cupidinem et Auctolium	81
CAP. XIII. - De Cupidine primo, secundi Mercurii filio	83
CAP. XIV. - De Auctolio secundi Mercurii filio, qui genuit Synonem primum	83
CAP. XV. - De Synone primo Auctolii filio, qui genuit Syssimum et Auctoliam	84
CAP. XVI. - De Syssimo filio primi (Synonis et patre) secundi	84
CAP. XVII. - De Auctolia Synonis primi filia et Ulixis matre	84
CAP. XVIII. - De secundo Synone filio Syssimi	85
CAP. XIX. - De Epapho primi Jovis XII filio, qui genuit Lybiam et Belum	85
CAP. XX. - De Lybia filia Epaphi	86
CAP. XXI. - De Belo prisco Epaphi filio, qui genuit Danaum, Egistum et Agenorem	87
CAP. XXII. - De Danao Beli prisci filio, qui quinquaginta genuit filias, ex quibus Ypermestra et Amimon atque Bona tantum nomine co- gnoscuntur	87
CAP. XXIII. - De quinquaginta filiabus Danai in generali	88
CAP. XXIV. - De Ypermestra una ex quinquaginta filiabus (Danai)	89
CAP. XXV. - De Amimone una ex quinquaginta filiabus (Danai)	89
CAP. XXVI. - De Bona una ex quinquaginta filiabus (Danai)	90
CAP. XXVII. - De Egysto Beli prisci filio, qui genuit quinquaginta filios ex quibus Linceus	90
CAP. XXVIII. - De Linceo ex quinquaginta filiis Egysti uno, qui ge- nuit Abantem et Jasium et Acrisium	90
CAP. XXIX. - De Abante filio Lyncei, qui genuit Pritum	91
CAP. XXX. - De Prito filio Abantis, qui genuit Meran et sorores	91
CAP. XXXI. - De Merane Preti filia	92
CAP. XXXII. - De Acrisio Abantis filio, qui genuit Danem matrem Persei	92
CAP. XXXIII. - De Dane filia Acrisii	93
CAP. XXXIV. - De Jasio Abantis filio, genuit Athlantam, Amphyonem et Thalaonem	94
CAP. XXXV. - De Athlanta filia Jasii et matre Parthenopei	94

CAP. XXXVI. - De Amphyone Jasii filio, qui genuit Clorim	94
CAP. XXXVII. - De Clori filia Amphyonis et Neley coniuge	95
CAP. XXXVIII. - De Thalaone Jasii filio, qui genuit Euridicem, Fle- geum et Adrastum	95
CAP. XXXIX. - De Euridice Thalaonis et Amphyarai coniuge	95
CAP. XL. - De Flegeo filio Thalaonis	96
CAP. XLI. - De Adrasto rege filio Thalaonis, qui genit Deyphylem et Argiam	96
CAP. XLII. - De Deyphyle Adrasti filia et Tydei coniuge	97
CAP. XLIII. - De Argia Adrasti filia et coniuge Pollicinis	97
CAP. XLIV. - De Agenore III Beli prisci filio, qui genuit VII filios, quorum prima Taygeta, II Polidorus, III Cilix, IIII Phenix, V Europa, VI Cadmus, VII Labdacus	97
CAP. XLV. - De Taygeta, prima Agenoris filia	98
CAP. XLVI. - De Polidoro, II Agenoris filio	97
CAP. XLVII. - De Cilice, III Agenoris filio, qui genuit Lampsacium et Pigmaleonem et Pyrodem	99
CAP. XLVIII. - De Lampsacio Cilicis filio	99
CAP. XLIX. - De Pigmaliione, primo Cilicis filio et Cypriorum rege, qui genuit Paphum	99
CAP. L. - De Papho Pigmaleonis filio, qui genuit Cynaram	100
CAP. LI. - De Cynara filio (Paphi), qui genuit Myrram et ex Myrra Adonem	101
CAP. LII. - De Myrra filia Cynare et matre Adonis	101
CAP. LIII. - De Adone filio et nepote Cynare	102
CAP. LIV. - De Pyrode Cilicis filio	103
CAP. LV. - De Phenice, IIII Agenoris filio, qui genuit Phylistenem et Belum	104
CAP. LVI. - De Phylistene filio Phenicis, qui genuit Syceum	104
CAP. LVII. - De Syceo Phylistenis filio et Dydonis viro	105
CAP. LVIII. - De Belo Phenicis filio, qui genuit Pigmalionem et Dydo- nem et Annam	105
CAP. LIX. - De Pigmaliione filio Beli	105
CAP. LX. - De Dydone filia Beli et coniuge Sycei	106
CAP. LXI. - De Anna Beli regis filia	107
CAP. LXII. - De Europa Agenoris V filia	107
CAP. LXIII. - De Cadmo, Agenoris VI filio, qui genuit Semelem, Aga- vem, Auctonoem et Ynoem	109
CAP. LXIV. - De Semele filia Cadmi	111
CAP. LXV. - De Agave filia Cadmi	111
CAP. LXVI. - De Auctonoe filia Cadmi	112
CAP. LXVII. - De Ynone Cadmi filia	112
CAP. LXVIII. - De Labdacio, VII Agenoris filio, qui genuit Layum.	112
CAP. LXIX. - De Layo rege Thebarum Labdacii filio, qui genuit Edippum	113

CAP. LXX. - De Edippo filio Lay, qui genuit Antigonam et Ysmenam et Ethyoclem et Pollinicum	113
CAP. LXXI. - De Anthigona Edyppi filia	114
CAP. LXXII. - De Ysmene filia Edippi	115
CAP. LXXIII. - De Ethyocle Edippi filio et Yocaste	115
CAP. LXXIV. De Pollinice filio Edippi, qui genuit Thessandrum	115
CAP. LXXV. - De Tessandro Pollinice filio	116
CAP. LXXVI. - De Scitha XIII filio primi Jovis	116

LIBER TERTIUS

In arbore autem signata desuper, ponitur in radice Celius Etheris et Diei filius et in eius ramis et frondibus pars sue posteritatis ostenditur. Fuerunt enim Celio filii (XII). Quorum prima fuit Opis, II Thetis magna, III Ceres prima, IIII Vulcanus primus, V Mercurius tertius, VI Venus magna, VII Venus secunda, VIII Toxius, VIII Tytanus, X Juppiter secundus, XI Oceanus, XII Saturnus. Ex istis XII reservantur quattuor, de quibus nulla in presenti libro III mentio fiet, scilicet Tytanus, de quo scribetur in quarto, et Juppiter secundus de quo et eius prole scribetur in quinto et sexto, et Oceanus de quo scribetur in septimo, et Saturnus de quo et eius posteritate fiet mentio in octavo et reliquis huius operis libris 117

Prohemium 117

CAP. I. - De Celo Etheris et Diei filio, qui genuit (XII) filios, dato quod in presenti III libello de VIII tantum tractetur, ut puta de Opi, de Thetide magna, de Cerere prima, de Vulcano primo, de Mercurio tertio, de Venere magna et de Venere secunda et de Toxio 119

CAP. II. - De Opi prima Celi filia et Saturni coniuge 120

CAP. III. - De Theti magna, Celi II filia et Oceani coniuge 122

CAP. IV. - De Cerere prima, Celi III filia, que peperit Acherontem . 123

CAP. V. - De Acheronte infernali fluvio Cereris filio, qui genuit VI filios scilicet Alecto, Thesiphonem, Megeram, Victoriam, Aschala-phum et Stigem 124

CAP. VI. - De Furiis filiabus Acherontis in generali 127

CAP. VII. - De Alectho Acherontis prima filia 129

CAP. VIII. - De Thesiphone furia Acherontis secunda filia 129

CAP. IX. - De Megera furia III Acherontis filia 130

CAP. X. - De Victoria IIII Acherontis filia 131

CAP. XI. - De Honore Victorie filio 132

CAP. XII. - De Maistate Honoris filia 133

CAP. XIII. - De Ascalapho V acherontis filio	133
CAP. XIV. - De Stige Acherontis VI filia	134
CAP. XV. - De Cocito infernali fluvio Stigis filio, qui genuit Flegetontem	136
CAP. XVI. - De Flegetonte fluvio infernali, qui genuit Lethem	136
CAP. XVII. - De Lethe fluvio infernali Flegetontis filio	136
CAP. XVIII. - De Vulcano primo, Celi filio IIII, qui genuit Apollinem	137
CAP. XIX. - De Apolline, primi Vulcani filio	137
CAP. XX. - De Mercurio V Celi filio	137
CAP. XXI. - De Hermofrodito Mercurii et Veneris filio	140
CAP. XXII. - De Venere magna VI Celi filia	142
CAP. XXIII. - De secunda Venere Celi VII filia et matre Cupidinis .	148
CAP. XXIV. - De Cupidine Veneris filio	152
CAP. XXV. - De Toxio VIII Celi filio	152

LIBER QUARTUS

In arbore autem signata desuper ponitur in radice Celius, eo quod nondum filii eius descripti sunt, sed in ea tam in ramis quam in frondibus omnis Tytanis progenies demonstratur	153
Prohemium	153
CAP. I. - De Tytano Celi filio VIII, qui genuit filios multos, ex quibus hic XIII nominantur. Quorum primus Yperion, II Briareus, III Ceus, IIII Thyphon vel Thypheus, V Encheladus, VI Egeon, VII Aurora, VIII Japethus, VIIII Astreus, X Alous, XI Pallenes, XII Runcus, XIII Purpureus, XIII Lycaon. Genuit preterea Gigantes, quorum nomina non habemus	154
CAP. II. - De Yperione primo Tytanis filio, qui genuit Solem et Lunam	157
CAP. III. - De Sole Yperionis filio, qui genuit Horas, quas loco unius filie pono, et sic prima genuit Eonas, quas eque loco filie unius scribo et sic secunda, III Phetusam, IIII Salempetii, V Dyrce, VI Miletum, [VII Pasiphem], (VIII) Oetam, (VIII) Circem, (X) Anginam	157
CAP. IV. - De Horis filiabus Solis et Cronis	162
CAP. V. - De Eonis filiabus Solis	162
CAP. VI. - De Phaetusa et Salempetii III et IIII filiabus Solis	163
CAP. VII. - De Dyrce solis V filia et Lyci regis coniuge	165
CAP. VIII. - De Mileto Solis VI filio, qui genuit Caunum et Biblidem	166
CAP. IX. - De Cauno et Biblide (filiis) Mileti	166
CAP. X. - De Pasyphē VII Solis filia et Mynois coniuge	167
CAP. XI. - De Oeta Colcorum rege Solis filio VIII, qui genuit Medeam et Absyrthium et Calciopem	169

CAP. XII. - De Medea Oete regis filia et Josophis coniuge	169
CAP. XIII. - De Absyrthio et Calciope filiis Oete	171
CAP. XIV. - De Cyrcce Solis filia	171
CAP. XIV. - De Cyrcce Solis filia	171
CAP. XV. - De Angitia Solis filia	173
CAP. XVI. - De Luna Yperionis filia	174
CAP. XVII. - De Rore filio Lune	177
CAP. XVIII. - De Bryareo Tytanis filio	177
CAP. XIX. - De Ceo Tytanis III filio, qui genuit Latonam et Asterien	178
CAP. XX. - De Latona (Cei) filia, que peperit Apollinem et (Dianam)	179
CAP. XXI. - De Asterie filia (Cei) et matre Herculis	181
CAP. XXII. - De Typhone seu Typhoe IIII Tytanis filio, qui genuit Aeos et Chymeram	182
CAP. XXIII. - De Aeio Typhonis filio	184
CAP. XXIV. - De Chymera Thyphonis filia	184
CAP. XXV. - De Enchelado Tytanis V filio	185
CAP. XXVI. - De Egeone Tytanis VI filio	186
CAP. XXVII. - De Aurora VII Tytanis filia	186
CAP. XXVIII. - De Japeto Tytanis VIII filio, qui genuit Hesperum et Athlantem et Epymetheum et Prometheum	187
CAP. XXIX. - De Hespero Japeti filio, qui genuit tres Hesperidas	187
CAP. XXX. - De Egle Heretusa et Hesperetusa filiabus Hesperis	188
CAP. XXXI. - De Athlante VIII Tytanis filio, qui genuit Hyam et VII Hyades, quarum hec sunt nomina: Eudora, Ambroxia, Pydile, Coroni, Phyto, Polixo et Thyenes, et genuit insuper Plyades, qua- rum hec sunt nomina: Electra, Maya, Steropes, Celeno, Taygeta, Alcyone, Meropes, et genuit Calipsonem nynpham	189
CAP. XXXII. - De Hyade Athlantis filio	190
CAP. XXXIII. - De Hyadibus VII filiabus Anthlantis	191
CAP. XXXIV. - De Eletra filia Athlantis et matre Dardani	192
CAP. XXXV. - De Maya Athlantis filia et matre Mercurii	193
CAP. XXXVI. - De Sterope Athlantis filia	194
CAP. XXXVII. - De Cyleno Athlantis filia	194
CAP. XXXVIII. - De Thaygeta Athlantis filia	194
CAP. XXXIX. - De Alcione filia Athlantis	194
CAP. XL. - De Merope filia Athlantis	195
CAP. XLI. - De Calipsone Athlantis filia	195
CAP. XLII. - De Epymetheo Japeti filio, qui genuit Pyrram	195
CAP. XLIII. - De Pyrra Epymethei filia et Deucalionis coniuge	196
CAP. XLIV. - De Prometheo Japeti filio, qui fecit Pandoram et genuit Ysydem et Deucalionem	196
CAP. XLV. - De Pandore homine a Prometheo facto	202
CAP. XLVI. - De Yside Promethei filia	203
CAP. XLVII. - De Deucalione filio Promethei, qui genuit Ellanum et Psythacum et Dyonisium et Phe(n)ratem	204

CAP. XLVIII. - De Ellano Deucalionis filio	205
CAP. XLIX. - De Psytaco Deucalionis filio	206
CAP. L. - De Dyonisio Deucalionis filio	206
CAP. LI. - De Fentrate Deucalionis filio	206
CAP. LII. - De Astreo Tytanis filio VIII, qui genuit Astream et Ventos	207
CAP. LIII. - De Astrea filia Astrei	207
CAP. LIV. - De Ventis filiis Astrei in generali	208
CAP. LV. - De Subsolano vento et Vulturno et Euro et collateralibus suis, filiis Astrei	212
CAP. LVI. - De Notho vento et Euroastro atque Austroaffro collatera- libus eius, filiis Astrei	212
CAP. LVII. - De Septentrione vento et Circio collateralis eius, filiis Astrei	213
CAP. LVIII. - De Aquilone seu Borea vento, Astrei filio et collateralis Septentrionis	213
CAP. LIX. - De Zetho et Calay filiis Boree	215
CAP. LX. - De Arpalice Boree filia et Phynei coniuge	217
CAP. LXI. - De Zephyro vento et Affrico et Choro collateralibus, filiis Astrei	217
CAP. LXII. - De Aloo Tytanis X filio	218
CAP. LXIII. - De Pallene XI Tytanis filio, qui genuit Minervam	219
CAP. LXIV. - De Minerva Pallenis filia	219
CAP. LXV. - De Runco et Purpureo XII et XIII filiis Tytanis	219
CAP. LXVI. - De Lycaone XIII Tytanis filio, qui genuit Calystonem	220
CAP. LXVII. - De Calystone filia Lycaonis et matre Arcadis	222
CAP. LXVIII. - De Gigantibus ex sanguine Tytanorum procreatis et Terra	222

LIBER QUINTUS

In arbore signata desuper ponitur in radice Celi, eo quod pater fuerit Jovis secundi, cuius proles et si non omnis, nam Dardanus in li- brum alium hunc sequentem reservatur, in hac arbore tam in ramis quam frondibus describitur	231
Prohemium	231
CAP. I. - De Jove secundo Celi nono filio, qui genuit filios quindecim, quorum prima (Diana), II Apollo, III Titius, IIII (Bachus), V Am- phyon, VI Zethus, VII Calatus, VIII Pasithea, IX Egiales, X Euprosinne, XI Lacedemon, XII Tantalus, XIII Hercules, XIII Minerva, XV Arcas	233
CAP. II. - De (Diana) prima Jovis secundi filia	234

CAP. III. - De Apolline II Jovis secundi filio, qui XVI inter filias et filios genuit, quorum hec sunt nomina: prima Lapitha, II Eurinomes, III Mopsus, IV Lynus, V Phylistenes, VI Garamas, VII Brancus, VIII Phylemon, VIII Orpheus, X Aristeus, XI Nomius, XII Auctous, XIII Argeus, XIII Esculapius, XV Psyce, XVI Arabs	236
CAP. IV. - De Lapyta prima Apollinis filia	239
CAP. V. - De Eurimone Apollinis secunda filia	239
CAP. VI. - De Mopso III Apollinis filio	240
CAP. VII. - De Lyno IIII Apollinis filio	240
CAP. VIII. - De Phylistene V Apollinis filio	241
CAP. IX. - De Garamante VI Apollinis filio	241
CAP. X. - De Branco VII Apollinis filio	242
CAP. XI. - De Phylemone VIII Apollinis filio	243
CAP. XII. - De Orpheo Apollinis filio VIII	244
CAP. XIII. - De Aristeo Apollinis X filio, qui genuit Atheonem et Yolaum	247
CAP. XIV. - De Actheone filio Aristei	249
CAP. XV. - De Yoloa Aristei filio	249
CAP. XVI. - De Nomio Apollinis XI filio	250
CAP. XVII. - De Aucthoo XII Apollinis filio	250
CAP. XVIII. - De Argeo XIII Apollinis filio	251
CAP. XIX. - De Esculapio XIII Apollinis filio, qui genuit Macaonem	251
CAP. XX. - De Macaone Esculapii filio, qui genuit Asclepio	254
CAP. XXI. - De Asclepio (Macaonis) filio	254
CAP. XXII. - De Psyce XV Apollinis filia	255
CAP. XXIII. - De Arabe XVI Apollinis filio	261
CAP. XXIV. - De Tytio filio Jovis tertio	261
CAP. XXV. - De Bacho secundi Iovis IIII filio, qui genuit Hymeneum, Thyoneum et Thoantem	262
CAP. XXVI. - De Hymeneo filio Bachi	270
CAP. XXVII. - De Thyoneo Bachi filio	271
CAP. XXVIII. - De Thoante Bachi filio, qui genuit Ysiphilem	272
CAP. XXIX. - De Ysiphyle Thoantis filia	272
CAP. XXX. - De Amphyone rege Thebarum, V Iovis secundi filio, qui VII genuit filios et totidem filias	273
CAP. XXXI. - De XIII filiiis Amphyonis	275
CAP. XXXII. - De Zetho secundi Iovis filio VI, qui genuit Ythilum et Thyim	275
CAP. XXXIII. - De Ytilo et Thyi filiiis Zethi	276
CAP. XXXIV. - De Calatho secundi Iovis filio VII	276
CAP. XXXV. - De Pasythea et Egyale et Euprosyne Gratiis secundi Iovis filiabus	276
CAP. XXXVI. - De Lacedemone XI secundi Iovis filio, qui genuit Amiclatem	277
CAP. XXXVII. - De Amiclate filio Lacedemonis, qui genuit Argulum	278

CAP. XXXVIII. - De Argulo filio Amiclatis, qui genuit Oebalum . . .	278
CAP. XXXIX. - De Oebalo Arguli filio, qui genuit Tyndarum et Yearum . . .	278
CAP. XL. - De Tyndaro Oebali filio	278
CAP. XLI. - De Ycaro Oebali filio, qui genuit Erigonem, Ypthimam et Penelopem	279
CAP. XLII. - De Erigone filia Ycari	279
CAP. XLIII. - De Yphtima filia Ycari	280
CAP. XLIV. - De Penelope filia Ycari et uxore Ulixis	281
CAP. XLV. - De Tantalio XII Iovis secundi filio	281
CAP. XLVI. - De Hercule XIII, secundi Iovis filio, qui Cartaginem genuit	282
CAP. XLVII. - De Cartagine, quarti Herculis filia	282
CAP. XLVIII. - De Minerva, secundi Iovis filia XIII	282
CAP. XLIX. - De Arcade XV filio secundi Iovis, qui genuit Yonium	284
CAP. L. - De Yonio filio Arcadis, qui genuit Nycostatam	286
CAP. LI. - De Nycostrata filia Yonii et matre Evandri	286

LIBER SEXTUS

In arbore precedenti, cuius in radice ponitur Dardanus, XVI filius Iovis secundi, omnis eiusdem Dardani proles describitur tam in ramis quam in frondibus	289
Prohemium	289
CAP. I. - De Dardano XVI Iovis secundi filio, qui genuit Erichthonium	290
CAP. II. - De Erichthonio Dardani filio, qui genuit Troyum	291
CAP. III. - De Troyo Erichthonii filio, qui genuit Ganimedem, Ylioneum et Assaracum	291
CAP. IV. - De Ganimede Troy filio	292
CAP. V. - De Ylione filio Troy, qui genuit Laomedontem	293
CAP. VI. - De Laumedonte Ylionis filio, qui inter mares et feminas octo genuit filios, quorum hec sunt nomina: Antigona, Hesyona, Lampus, Clition, Icetaon, Tyton, Bucolion et Priamus	293
CAP. VII. - De Antigona Laumedontis filia	294
CAP. VIII. - De Hesyona Laumedontis filia et Teucris matre	295
CAP. IX. - De Lampo, Clitione et Icetaone filiis Laumedontis	295
CAP. X. - De Tytone Laumedontis filio, qui genuit Menonem	295
CAP. XI. - De Menone Tytonis filio	296
CAP. XII. - De Bucolione Laumedontis filio, qui genuit Esipium et Pidasum	297
CAP. XIII. - De Esypio et Pidaso filiis Bucolionis	297
CAP. XIV. - De Priamo Laumedontis filio, qui ex Ecuba coniuge	

XVIII genuit inter filios et filias, et ex aliis mulieribus inter mares et feminas genuit XXXI, ex quibus quinquaginta, nomina tantum XXXVIII cognovimus, que hec sunt: prima Creusa, II Cassandra, III Yliona, IIII Laodices, V Licastes, VI Medesicastes, VII Polixena, VIII Paris, VIII Hector, X Helenus, XI Caon, XII Troylus, XIII Deyphobus, XIII Polydorus, XV Polydorus, XVI Lycaon, XVII Esacus, XVIII Anthisus, XVIII Ysus, XX Teucer, XXI Dimocoontes, XXII Echemon, XXIII Cromenon, XXIII Gorgiton, XXV Cebrion, XXVI Phorbas, XXVII Doriclou, XXVIII Pammon, XXVIII Anthyphon, XXXI Hyppotous, XXXII Aganon, XXXIII Lacoontes, XXXIII Mistor, XXXV Yphates, XXXVI Thestorius, XXXVII Timootes, XXXVIII Polytes	298
CAP. XV. - De Creusa prima filia Priami et Enee coniuge	299
CAP. XVI. - De Cassandra II Priami filia	300
CAP. XVII. - De Yliona III Priami filia et Polymestoris regis Tracie coniuge	301
CAP. XVIII. - De Laodice IIII Priami filia, Helicaonii coniuge	301
CAP. XIX. - De Lycaste V Priami filia et coniuge Polidamantis	301
CAP. XX. - De Medesicasti VI Priami filia et Polyippi coniuge	302
CAP. XXI. - De Polysena VII Priami filia	302
CAP. XXII. - De Paride VIII Priami filio, qui genuit Daphnidem et Ydeum	302
CAP. XXIII. - De Daphnide et Ydeo filiis Paridis	305
CAP. XXIV. - De Hectore Priami filio VIII, qui genuit Astianactem	305
CAP. XXV. - De Astianacte Hectoris filio	307
CAP. XXVI. - De Heleno X Priami regis filio	307
CAP. XXVII. - De Caone Priami regis filio XI	308
CAP. XXVIII. - De Troilo XII Priami regis filio	308
CAP. XXIX. - De Deyphobo XIII regis Priami filio	309
CAP. XXX. - De Polydoro XIII Priami filio	310
CAP. XXXI. - De Polydoro XV et Lycaone XVI filiis Priami regis	311
CAP. XXXII. - De Esacho XVII Priami filio	312
CAP. XXXIII. - De Anthypho XVIII et Yso XVIII filiis Priami	313
CAP. XXXIV. - De Theucro XX Priami filio	313
CAP. XXXV. - De (Dimocoonte) Priami XXI filio	314
CAP. XXXVI. - De Echemone XXII et Cromenone XXIII filiis Priami	314
CAP. XXXVII. - De Gorgitione XXIII Priami filio	314
CAP. XXXVIII. - De Cebrione XXV Priami filio	315
CAP. XXXIX. - De Phorbante XXVI Priami filio, qui genuit Ylioneum	315
CAP. XL. - De Ylioneo Phorbantis filio	315
CAP. XLI. - De Doriclone Priami filio XXVII	316
CAP. XLII. - De Pamnone XXVIII, Anthyphone XXVIII, Agathone XXX, Hyppothoo XXXI et Aganone XXXII filiis Priami	316
CAP. XLIII. - De Lacoonte XXXIII Priami filio	316
CAP. XLIV. - De Mistore XXXIII Priami filio	317

CAP. XLV. - De Yphate XXXV et Testhorio XXXVI filiis Priami	317
CAP. XLVI. - De Thimoete XXXVII Priami filio	317
CAP. XLVII. - De Polyte XXXVIII Priami filio, qui genuit Priamum	318
CAP. XLVIII. - De Priamo Polytis filio	318
CAP. XLIX. - De Assaraco Troyli regis Troye filio	319
CAP. L. - De Capi filio Assaraci, qui genuit Anchisem	319
CAP. LI. - De Anchise filio Capis, qui genuit Hyppodamiam et Eneam	319
CAP. LII. - De Yppodamia Anchisis filia	321
CAP. LIII. - De Enea Anchisis filio, qui genuit Iulium Ascanium et Silvium Postumum	322
CAP. LIV. - De Ascanio Enee filio, qui genuit Iulium Silvium et Rhomam	327
CAP. LV. - De Iulio Silvio, Ascanii filio	328
CAP. LVI. - De Rhoma Ascanii filia	329
CAP. LVII. - De Silvio Postumo Enee filio, qui genuit Eneam Silvium	329
CAP. LVIII. - De Enea Silvio, Silvii Postumi filio, qui genuit Latinum Silvium	330
CAP. LIX. - De Latino Silvio, Enee Silvii filio, qui genuit Albam Silvium	330
CAP. LX. - De Alba Silvio, Latini Silvii filio, qui genuit Athim Silvium	331
CAP. LXI. - De Athi Silvio filio Albe, qui genuit Capim Silvium	331
CAP. LXII. - De Capi Silvio filio Athis, qui genuit Carpentum Silvium	331
CAP. LXIII. - De Carpento Silvio filio Capis, qui genuit Tyberinum Silvium	331
CAP. LXIV. - De Tyberino Silvio Carpentii filio, qui genuit Agrippam Silvium	332
CAP. LXV. - De Agrippa filio Tyberini, qui genuit Romulum Silvium	332
CAP. LXVI. - De Romulo Silvio Agrippe filio, qui genuit Iulium Silvium et Aventinum Silvium	332
CAP. LXVII. - De Iulio Silvio Romuli filio	332
CAP. LXVIII. - De Aventino Silvio Romuli Silvii filio, qui genuit Pro- cam Silvium	333
CAP. LXIX. - De Proca Silvio filio Aventini, qui genuit Amulium et Numitorem	333
CAP. LXX. - De Amulio Proce filio	333
CAP. LXXI. - De Numitore filio Proce, qui genuit Lausum et Yliam et Rheam	334
CAP. LXXII. - De Lauso Numitoris filio	334
CAP. LXXIII. - De Ylia Numitoris filia, que peperit Romulum et Rhemulum	334

LIBER SEPTIMUS

In precedenti arbore, cuius in radice scribitur Oceanus, omnis eiusdem Oceani tam in ramis quam in frondibus posteritas ordinate apponitur, de qua in sequenti septimo libro dicetur	335
Prohemium	335
CAP. I. - De Oceano Celi et Veste filio, qui genuit XXIII inter filios et filias, quorum hec sunt nomina: Prima Eurinomi. II Persa. III Etra. IIII Pleyon. V Climenes. VI Triton. VII Doris. VIII Protheus. VIII Corufices. X Nereus. XI Achelous. XII Ynacus. XIII Peneus. XIII Nylus. XV Alpheus. XVI Crinismus. XVII Tyberis. XVIII Axius. XVIII Asopus. XX Cephysus. XXI Meander. XXII Phyllira. XXIII Sperchius. XXIII Sol	336
CAP. II. - De Eurinomi Oceani filia I	339
CAP. III. - De Persa Oceani filia II	339
CAP. IV. - De Ethra III Oceani filia et coniuge Athlantis	340
CAP. V. - De Pleyone IIII Oceani filia et Athlantis coniuge	340
CAP. VI. - De Climene V Oceani filia et matre Phetontis	340
CAP. VII. - De Tritone VI Oceani filio	341
CAP. VIII. - De Dori VII filia Oceani et Nerei coniuge	342
CAP. IX. - De Protheo sene VIII Oceani filio, qui genuit Melantonem et Ydotheam	343
CAP. X. - De Melanthe filia Prothei	345
CAP. XI. - De Ydothea Prothei filia	346
CAP. XII. - De Corufice Oceani filia VIII	346
CAP. XIII. - De Nereo X Oceani filio. Hic genuit (nynphas), que multe sunt, verum quoniam nisi de quattuor sit singularis mentio, earum tantum nomina apponam; genuit ergo Cymodocem, Tethim minorem, Galatheam et Arethusam et alias	347
CAP. XIV. - De (nynphis) in generali	347
CAP. XV. - De Cymodoce filia Nerei	350
CAP. XVI. - De Tethide minore Nerei filia et matre Achillis	350
CAP. XVII. - De Galathea Nerei filia	351
CAP. XVIII. - De Arethusa Nerei filia	351
CAP. XIX. - De Acheloo flumine Oceani XI filio, qui genuit Syrenas	353
CAP. XX. - De Syrenis filiabus Acheloi	354
CAP. XXI. - De Ynaco fluvio XII filio Oceani, qui genuit Yonem, Phoroneum et Phegeum	357
CAP. XXII. - De Yone Ynachi filia et matre Epaphi	357
CAP. XXIII. - De Phoroneo Ynaci filio, qui genuit Eglyaleum et Nyobem	360
CAP. XXIV. - De Eglyaleo Phoronei filio	361

CAP. XXV. - De Nyobe filia Phoronei que peperit Apim	362
CAP. XXVI. - De Phegeo Ynaci fluminis filio	362
CAP. XXVII. - De Peneo flumine XIII Oceani filio, qui genuit Cyrenem et Danem	362
CAP. XXVIII. - De Cyrene Penei filia, que peperit Aristeum et fratres	363
CAP. XXIX. - De Dane, Penei filia	363
CAP. XXX. - De Nylo flumine XIII Oceani filio, qui genuit Minervam, Herculem, Dyonisium, Mercurium et Vulcanum	365
CAP. XXXI. - De Minerva Nyli filia	365
CAP. XXXII. - De Hercule Nyli filio	365
CAP. XXXIII. - De Dyonisio Nyli filio	366
CAP. XXXIV. - De Mercurio III Nyli filio, qui genuit Mercurium quintum et Daphnim	366
CAP. XXXV. - De Daphni Mercurii III filio	366
CAP. XXXVI. - De Mercurio V, filio Mercurii III, qui genuit Noracem	367
CAP. XXXVII. - De Norace Mercurii quinti filio	368
CAP. XXXVIII. - De Vulcano Nyli filio, qui genuit Ethyopem et Solem	368
CAP. XL. - De Sole Vulcani filio, qui genuit Phetontem, Phethusam, Lampethusam et Iapetiam	369
CAP. XLI. - De Phetonte Solis filio, qui genuit Lygum	369
CAP. XLII. - De Lygo seu Lygure filio Phetontis	372
CAP. XLIII. - De Phetusa, Lampethusa et Iapetia filiabus Solis	372
CAP. XLIV. - De Alpheo fluvio Oceani filio XV, qui genuit Orsilocum	373
CAP. XLV. - De Orsiloco filio Alpei fluvii, qui genuit Dyocleum	373
CAP. XLVI. - De Dyocleo filio Orsiloci, qui genuit Crithonem et Orsilocum	374
CAP. XLVII. - De Crithone et Orsiloco filiis Dyoclei	374
CAP. XLVIII. - De Criniso fluvio XVI Oceani filio, qui genuit Acestem	374
CAP. XLIX. - De Aceste filio Crinisii fluminis	375
CAP. L. - De Tyberi fluvio Oceani XVII filio, qui genuit Citheonum	376
CAP. LI. - De Citheono Tyberis filio	376
CAP. LII. - De Axio fluvio, XVIII Oceani filio, qui genuit Pelagonium	377
CAP. LIII. - De Pelagonio Axii filio qui genuit Asteropium	377
CAP. LIV. - De Asteropio Pelagonii filio	377
CAP. LV. - De Asopo fluvio Oceani XVIII filio, qui genuit Hypseum et Eginam	377
CAP. LVI. - De Ypseo Asopi fluminis filio	378
CAP. LVII. - De Egyrna filia Asopi, que peperit Eacum	379
CAP. LVIII. - De Cephyso flumine Oceani XX filio, qui genuit Narcissum	379
CAP. LIX. - De Narcisso filio Cephysi	380
CAP. LX. - De Meandro flumine Oceani XXI filio, qui genuit Cyanem .	381
CAP. LXI. - De Cyane filia (Meandri).	381

CAP. LXII. - De Phyllira XXII filia Oceani	382
CAP. LXIII. - De Sperchio XXIII Oceani filio, qui genuit Mnesteum	382
CAP. LXIV. - De Mnesteo filio Sperchi	382
CAP. LXV. - De Sole XXIII Oceani filio	382

LIBER OCTAVUS

In arbore autem precedenti, cuius in radice Saturnus Celi filius ponitur, describitur tam in ramis quam in frondibus pars posteritatis eiusdem Saturni, cum reliqua omnis in (quinque) sequentibus describitur libris, sub Iunone et Neptuno atque Iove, filiis eius 385

Prohemium 285

CAP. I. - De Saturno XI Celi filio, qui X genuit filios, scilicet primum Cronim, II Vestam, III Cererem, IIII Glaucam, V Plutonem, VI Chronem, VII Picum, VIII Iunonem, VIII Neuptunum, X Iovem tertium. Sane de Iunone, Neuptuno et Iove non in hoc libro, sed in sequentibus quinque libris scribitur 386

CAP. II. - De Croni I Saturni filia 392

CAP. III. - De Vesta Saturni II filia 394

CAP. IV. - De Cerere III Saturni filia et matre Proserpine 395

CAP. V. - De Glauca IIII Saturni filia 399

CAP. VI. - De Plutone V Saturni filio, qui genuit Venerationem 400

CAP. VII. - De Veneratione Plutonis filia et Honoris coniuge 403

CAP. VIII. - De Chyrone VI Saturni filio, qui genuit Ochyroem 404

CAP. IX. - De Ochyroe filia Chyronis 405

CAP. X. - De Pycy VII Saturni filio, qui genuit Faunum et Sentam Faunam 406

CAP. XI. - De Fauno Pyci filio, qui genuit Faunos, Satyros, Panes et Silvanos, Acim et Eurimedontem et Latinum et, secundum quosdam, Sentam Faunam, quam alii eius volunt sororem fuisse et coniugem 407

CAP. XII. - De Senta Fauna Pyci filia et coniuge Fauni seu filia 408

CAP. XIII. - De Faunis, Satyris, Panibus et Silvanis filiis Fauni 409

CAP. XIV. - De Aci Fauni filio 410

CAP. XV. - De Eurimedonte Fauni filio, qui genuit Periviam 411

CAP. XVI. - De Perivia Eurimedontis filia, et Nausithei matre 411

CAP. XVII. - De Latino Laurentum rege, Fauni filio, qui genuit Laviniam et Prenestem 412

CAP. XVIII. - De Lavinia filia Latini et Enee coniuge 413

CAP. XIX. - De Preneste Latini regis filio. 414
